DE JURE DIVINO
ET NATURALI
CIRCA USURAM
LIBRI SEX,

In quibus adverſus Hæreticos uſurarum patronos, cum recentes, tum antiquiores, catholicum præſertim dogma fuſe defenditur.

Præmittitur præfatio cum hiſtoria de origine, auctoribus, & varietate hæreſis impugnandæ; unde contra iſtam magnum vel ex novitate præjudicium exſurget.

TOMUS SECUNDUS.

BONONIÆ MDCCXLVII.

PROSTANT ROMÆ
Apud Gregorium Ruiſecchi in foro Agonali.
Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD LECTOREM.

POſtquam ſex libros de jure divino, ac naturali circa Uſuram ſcripſi, in quibus Catholicam de Uſuris doctrinam ab Uſurarum patronis oppugnatam vindicare ſtudui; proximo Anno 1743. prodiit in Batavia, ſine loci deſignatione, magnum *de Uſuris* volumen in duodecim libros digeſtum, in quo a Nicolao Broederſen Schiſmatico Belga Uſuræ patrocinium omni conatu ſuſcipitur. Hunc tomum cum legiſſem, etſi nihil novum, & grave deprehendi, quod in memoratis libris ſatis confutatum non ſit; quædam tamen peculiaria, quæ minus attentis fucum facere viſa ſunt, reſponſionem aliquam efflagitant, quam licet poſt Opuſcula lucubratam, memoratis libris ſex *vin-*

diciarum nomine ſubjiciendam credidimus, ita ut pro ſeptimo libro haberi queat. Hac occaſione nonnulla utilia addentur, quibus doctrina Catholica magis magiſque confirmabitur.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

Caput I. *De origine controverſiæ præſentis, & variorum ſcriptorum circa uſuram inter Schiſmaticos Belgas. De Broederſen volumine.* pag. 7.

Caput II. *Mirificæ adverſarii confuſiones, quæ fucum faciunt, deteguntur. Vera quæſtio dogmatica ab aliis ſcholaſticis, vel practicis ſegregata ſtatuitur. Ita ſolvuntur, ſeu explicantur libri primi Broederſiani partes duæ, prima & tertia.* 10.

Caput III. *De mutui, & uſuræ notione. Refellitur libri primi pars ſecunda.* 15.

Caput IV. *Vindiciæ juris naturalis circa uſuram. Confutatur liber ſecundus Nicolai Broederſen. Invictum pro jure naturali ſtatuendo argumentum ex eodem adverſario colligitur.* 17.

Caput V. *Vindiciæ juris Divini circa uſuram; ac primum de uſuræ injuſtitia. Refelluntur quæ Broederſen hac de re variis in locis ſcripſit.* 24.

Caput VI. *De jure Divino ex Teſtamento veteri. Refellitur liber tertius Broederſen.* 31.

Caput VII. *De novo Teſtamento, contra librum quartum Broederſen.* 35.

Caput VIII. *De Traditione. Refellitur liber quintus.* 36.

§. *I. De Traditione SS. Patrum. Expungitur pars prima libri quinti.* ibid.

§. *II. De Traditionis ſucceſſione in Scholaſticis. Expungitur pars ſecunda libri quinti.* 42.

Caput *IX. Eccleſiæ circa uſuras ſententia, quæ in Canonibus, ac Decretalibus exprimitur. Confutatur liber ſextus Broederſen.* 46.

§. *I. De jure Eccleſiaſtico veteri. Refellitur libri ſexti pars prima.* ibid.

§. *II. De jure Eccleſiaſtico novo. Refellitur libri ſexti pars ſecunda. De præcipuis circa uſuram quæſtionibus. De contractibus, & propoſitionibus damnatis. Invictum argumentum ex jure novo pro Catholica de uſuris ſententia demonſtranda.* 49.

Caput X. *Paucis refelluntur quæ Broederſen libro ſeptimo obtrudit. De reſtitutione uſurarum perceptarum, quæ maximam difficultatem affert. Num aliquo caſu bonæ fidei poſſit non obligare.* 58.

Caput XI. *Refutantur quæ Broederſen diſſerit libris octavo, nono, & decimo.* 63.

Digitized by Google

Caput XII. *De libris undecimo, & duodecimo Broederſen. Diſſertatiuncula de Concilio Viennenſi ſub Clemente V., & ejus decretis. Clementina de Uſuris huic Concilio jure tributa oſtenditur, & a Broederſen objectionibus vindicatur.* pag. 65.

§. I. *Brevis hiſtoria Concilii Viennenſis. De Conſtitutionibus in eo editis. Duplex earundem promulgatio poſt Concilium per Clementem V. Prima ex puris Conſtitutionibus Viennenſibus, editione aliquot exemplarium, quæ tamen mox fuerunt revocata, & cur. Altera poſt novum examen, & correctionem, cum detractionibus, & additionibus nonnullis in Conſiſtorio publicata. Mors Clementis V. promulgationem, qua ejuſmodi libri ad ſtudia publica mittebantur, impedivit: idque Joannes XXII. perfecit.* 66.

§. II. *De genuinis Viennenſis Concilii Conſtitutionibus. Quæ reſecatæ, quæ additæ fuerint in editione Clementinarum. De mutationibus, & correctionibus, quæ in nonnullis Conſtitutionibus Viennenſibus factæ fuerunt. Certæ Conſtitutiones Viennenſes, & in his Clementina de Uſuris.* 71.

§. III. *Violenta interpretatio Clementinæ de Uſuris a Broederſen ſubjecta exploditur. Concluditur pro Catholico dogmate.* 77.

Digitized by Google

VINDICIÆ

JURIS DIVINI, AC NATURALIS

CIRCA USURAM.

CAP. I.

De origine controverſiæ præſentis, & variorum ſcriptorum circa uſuram inter Schiſmaticos Belgas. De Broederſen volumine.

1. Cum potiſſima ratio, cur inter Schiſmaticos in Fœderato Belgio pro fœneratitiis contractibus, cenſuum utrinque redimibilium nomine tectis, ſumma contentione dimicatum ſit, ducatur ab antiqua Belgii conſuetudine, quam jure, ac legitime inductam, ac ab Epiſcopis, & Eccleſia approbatam nonnemo præfert; de hujus conſuetudinis origine antea cognoſcere juverit. Itaque olim in Belgio, ut in aliis Catholicis locis, ac præſertim in Germania, & Hiſpania, reales legitimi cenſus, in ſolius venditoris gratiam redimibiles, ex Martini V., & Calliſti III., aut Nicolai V. Conſtitutionibus uſque ad medium ſeculum decimum ſextum creabantur ab omnibus, qui pecuniam hominibus fundos habentibus dabant; idque jus vulgatum, atque certum teſtatur ipſa Philippi II. ſanctio an. 1567., qua a Delphenſibus rogatus in gratiam pecuniarum pupillarium, quibus ex Caroli V. edicto anni 1550. reales cenſus emebantur, ſcripto juri derogandum putavit, ut pupilli, cum ex tutela exceſſiſſent, ſi collocatio cenſualis diſpliceret, utiliuſque ſibi ducerent pecuniam negotiari, aut alia ratione occupare, cenſus redemtionem a venditoribus exigere, & pecuniam repoſcere poſſent. Edita mox Pii V. Bulla de cenſibus, qua hoc pactum in emtorum gratiam appoſitum ſuſtulit, nec non Gregorii XIII. Conſtitutione, qua etſi, eodem Philippo II. intercedente, a Pianæ Conſtitutionis rigore diſpenſavit; tamen pacta antiquæ Nicolai V. Bullæ contraria, ſi alicubi inducta eſſent, aboleri præcepit, inter quæ pactum redimendi in emtoris gratiam cenſetur, ut Opuſcul. I. c. 4. §. 3. videbimus. His, inquam, Conſtitutionibus editis, num illud pupillarium pecuniarum privilegium ab ipſo Rege ſublatum fuerit, ignoro.

[Broederſen l. 1 part. 1. n. 12. p. 10.]

[Ib. n. 25. p. 12.]

2. Hoc unum ſcio, non multo poſt an. 1588. præcipuam quandam Belgii conſuetudinem jamdiu inductam allegari a Saſboldo Epiſcopo, qua pupillares pecuniæ apud Senatum depoſitæ, non amplius in emtionem cenſuum, ſed in ſubſidium indigentium conferebantur; idque

[Broed. l. 12. part. 2. c. 15 §. 6. n. 5. p. 1718.]

pieta-

pietatis intuitu primo inductum, & ſolo titulo veri lucri ceſſantis, non modo ab Epiſcopis, ſed ab ipſa etiam Apoſtolica Sede probatum ferebatur, in ſpeciem Montis Pietatis, ut memorato Opuſculo explicabimus. At curſu temporis, nulla veri lucri ceſſantis ratione habita, pupillares pecuniæ ad lucrum credebantur, præſertim mercatoribus, ac ſi privilegio peculiari liceret in his fœnus, quod in aliis pecuniis non licet. Hinc pupillarium pecuniarum collocationem nominatim damnarunt Synodi Belgicæ Cameracenſis, Mechlinienſis, Iprenſis, Attrebatenſis, & directorium Octavii Ferrarii Epiſcopi Tricaſſini, & Apoſtolici Nuncii. Idem autem abuſus a pupillorum pecuniis ſenſim ad ceteras tranſiit. Sasboldus ſub finem
pag. 1738. n. 5. ſeculi XVI. *corruptelam recenti memoria* inductam ſignificat. Latius propagatam, & *uſu, atque conſuetudine*
pag. 1175. n. 99. patriæ jam receptam innuit Rovenius in libro ipſius manu circa medium ſequens ſeculum ſcripto. Ita antiqua, & legitima realium cenſuum creandorum ratio exſolevit, & in mutuum, atque in uſuram dilapſa eſt. *Mutui, & obligationis* perſonalis nomine hoc variis de cauſſis, præſertim ob facultatem repetendæ pecuniæ, induci cœperat ſub Sasboldo. *Ut in neceſſitate conſtituti*, inquit, *repetere depoſitas pecunias poſſint, ſub nomine mutui, & obligationum fœnerantur.* Id autem multo magis fuiſſe promotum ab Acatholicis, qui Fœderatum Belgium occuparunt, traditur in præfatione ad *Scripta varia circa uſuram* an. 1728. Lex certe, quæ realibus annuis redditibus, ac cenſibus nummi quadrageſimi ſolutionem præſcripſit, multos removit a legitimis cenſibus, & privata chirographa nullo onere gravata invaluerunt, ut intelligitur ex Neer-
pag. 1161. a. 11. n. 16. caſſelii Epiſtola ad D. Baſſery an. 1682., nec non alia ejuſdem ad Philippum a Deventeria an. 1685.

3. Initio damnata hæc praxis; at cum inundaſſet, difficilis primum eradicatio multos deterruit. Uſura tamen ab omnibus agnita, atque damnata. Illi ſoli excuſarunt, qui his chirographis ad vitandos inſtrumenti cenſualis ſumtus uti poſſe putabant, ita tamen ut veram emtionem cenſuum contraherent, & ſortem ex natura cenſuum non repeterent, niſi venditori redimere placeret, vel alias ſors periclitaretur. Hæc ex variis Neercaſſelii Epiſtolis colligere licebit. Illi ipſi pag. 1160. n. 19. & ſeq.
paſtores Schielandiæ, qui anno 1687. pro hoc vulgari, & inolito contractu vindicando maxime laborabant, eundem in conventibus parochorum aliquoties expenſum, *illicitum, ac uſurarium*, vel ſaltem (quocunque defenderetur nomine) *multo plenum periculo* judicarunt: & ſiquidem in ejuſdem defenſionem aliqua ſcripſere, pag. 930. n. 2.
quæ Lovanienſibus Doctoribus propoſuerunt. Ea ſcripſiſſe liquet, non ex perſuaſione, ac certa doctrina, ſed ut quidquid afferri poterat, Lovanienſium examini, ac judicio ſubjicerent: *Contractus illi*, inquiunt, *in conventu noſtro non ſemel ſunt propoſiti, & examinati: & licet multis omnino illiciti, ac uſurarii, omnibus multo pleni periculo apparerent; viſum tamen eſt aliquibus rationes aliquas proponere, quibus aut liciti, aut ſaltem in hac patria tolerari poſſe viderentur.* Ex ſola difficultate tollendi e medio mali, quod latius radices egerat, omnia experiri, & proponere placuit: *Hi enim contractus fuerunt*, inquiunt, *jam longo tempore ſine ulla ſuſpicione mali frequentati, adeo ut plerisque in locis, ſine magna populi perturbatione, illis contradici non poſſit.* Non itaque vera, & certa ratio, ſed popularis difficultatis timor, qui vel ſapientes nonnunquam commovere ſolet, illos ad aliquas defenſionis rationes excogitandas permovit. Tres autem inventæ, & allatæ; quas tamen iidem paſtores ſibimet

Digitized by Google

bimet diſplicuiſſe ex eo ſatis indicant, quod *plauſibiles*, & nihil amplius *quibuſdam viſa ſint;* ceteri vero omnes aſſirmarint, *quaſdam eſſe nimium benignas*, ideſt laxiores, *quaſdam eſſe gratis, & ſine fundamento confictas*, quaſdam denique *eſſe veritati adverſas*. Illæ autem rationes hoc poſtremo loco indicantur, quibus mutuum, & uſuram excludi poſſe cenſuum utrinque redimibilium nomine credebatur. Conſtans vero omnium ſententia erat, quod ſi contractus mutuum uſurarium eſt, divino ſaltem jure a culpa eximi nequit; ut vel ex quęſtionibus eo in documento ſubiectis liquet, ubi de ſolo naturali jure interrogarunt. De hoc caſu Lovanienſes conſulti bis deliberarunt, primum anno 1687., dein anno 1688.; cumque cenſus redimibilis nomine nihil ſuffragante, contractus illos eſſe *verum mutuum, & etiam uſuram* poſt multam diſceptationem concluſerint; etſi dubium aliquod a nonnemine injectum fuerit de naturali jure circa uſuram, nec non de divino; tamen id communi doctrinę adverſum repellentes, eoſdem contractus, veluti certo criminoſos, vel ſaltem *ob periculum* criminis omnino vitandos, & populum per paſtores, quibuſcunque rebus poſſent, ab iiſdem contractibus removendum ſenſere. In praxi tamen, ex difficultate, quę multos ab officio deterrere ſolet, parum, vel nihil factum eſt, aliique aliis de cauſſis diſſimulandum putarunt uſque ad an. 1727.

pag. 932. — pag. 935. n. 2. — pag. 937. n. 27.

4. Hoc autem anno quidam, pręſertim exteri, qui Janſeniſmi cauſſa ex Gallia apud Fœderatos Belgas ſeſe receperant, quique tutum iis in locis apud Schiſmaticos aſylum nacti fuerant, licet conſentirent in iis, quæ ſive ad Janſeniſtarum errores, ſive ad Schiſma pertinebant; hiſce tamen contractibus, uti univerſim fiebant, non potuerunt acquieſcere. Itaque eam pecuniæ collocationem acriter aggreſſi, uſuræ palam damnarunt. Principio de redditibus utrinque redimibilibus, quo nomine ii contractus nuncupabantur, pugnatum eſt. At cum revera non eſſent niſi mutuum, & uſura; ad uſuram certo modo defendendam diſputatio deflexit. Cum enim eorum contractuum impugnatores an. 1728. tria edidiſſent opuſcula, *Caſus poſitionem &c., Iteratam diſcuſſionem, & Appendicem ad caſus poſitionem*: & in his catholicam de uſuris doctrinam inculcantes, adverſarios ad reſpondendum provocaſſent; Nicolaus Broederſen Paſtor Delphenſis an. 1728. typis dedit opus inſcriptum: *Tractatus brevis de redditibus utrinque redimibilibus*, in quo non pauca afferuntur pro vindicando fœnore, quod per eos contractus non a pauperibus, ſed a divitibus, & negotiatoribus ad legum normam exigitur. In ipſa autem hujus operis fronte aliud opus promiſit, quo idipſum fuſius ſtatueretur. Interim alia plura opuſcula edita hinc, & hinc. Tandem anno proximo præterito 1743. promiſſum opus eodem Auctore prodiit cum titulo: *De uſuris licitis, & illicitis, vulgo nunc compenſatoriis, & lucratoriis, ſecundum jus naturale, divinum, veteris, atque novi Teſtamenti, eccleſiaſticum, & civile, ac juxta doctrinam ſanctorum, veterumque Patrum, Theologorum, ac juris tum Canonici, tum Civilis peritorum, nec non uſu omnium ſeculorum, & plurimarum regionum libri XII. Auctore Nicolao Broederſen Paſtore Catholico-Romano. Delphis MDCCXLIII.* Licet Auctor ſe *Romano-Catholicum* dicat; vere tamen Schiſmaticæ Ultrajectinæ Eccleſiæ paſtor eſt: unde in approbatione, quæ in fine legitur, *Eccleſiæ noſtræ Canonicus, & Archidiaconus* dicitur a Franciſco Meganck, quem pag. 918. ipſe Broederſen vocat *Canonicum Capituli noſtri Ultrajectini, Paſtorem Lugdunenſem, & librorum cenſorem in Archiepiſcopatu Ultrajectino.*

Vide præfationem ad libros de jure divino & naturali circa Uſuram §. 11.

jectino. Hic Archiepiſcopatus aperto Schiſmate inſtitutus, & ab Apoſtolica Sede cenſuris reprobatus, nonniſi a Schiſmaticis defendi potuit: præſumtum vero Capitulum cum tota Ultrajectina Eccleſia adeo præter Schiſma Janſenianæ hæreſi favit, ut Janſeniſtas e Gallia transfugas comiter exceperit, beneficiiſque cumulaverit; unde ipſe Broederſen pag. 1716. de celebri Janſeniſta Petit-pied, qui adverſus Romanam Sedem debacchatus eſt, teſtatur: *Ille quondam e patria ſua diſcedere coactus, in Eccleſia hac tranquillum, ac ſecurum reperit domicilium, ac ſuaves in præcipuis hujus Eccleſiæ paſtoribus amicos, qui illum ut fratrem, quandocunque ei placebat, receperunt &c.* Magnifica operis inſcriptio catholicam ſententiam pollicetur. At præter inſcriptionem, & præter magnum promiſſionis hiatum, re ipſa opus veram, & damnatam uſuram contra Catholicam doctrinam tuetur, atque propugnat. Qui non omnino perſpicax eſt, prima præſertim fronte decipi poterit. Duodecim, & eo amplius annorum ſtudio, poſt lectas præcipue diſertiſſimas pro catholico dogmate diſputationes, adverſarius ejuſmodi ſyſtema compegit, quo propoſitæ difficultates, queis æqua reſponſio non eſt, facilius declinantur, & ipſa Eccleſiæ, atque Scholaſticorum traditio, quæ præſertim adverſatur, in novæ ſententiæ patrocinium traducitur. Cum hoc cognoſcere ad confutationem maxime pertineat, ipſum ſyſtema ex univerſo opere accurate in primis colligendum, atque oculis ſubjiciendum eſt.

CAP. II.

Mirifica adverſarii confuſiones, quæ fucum faciunt, deteguntur. Vera quæſtio dogmatica ab aliis ſcholaſticis, vel practicis ſegregata ſtatuitur. Ita ſolvuntur, ſeu explicantur libri primi Broederſiani partes duæ, prima, & tertia.

1. Non ſolum in titulo, ſed ſæpiſſime in opere ſolas uſuras compenſatorias, & non alias, auctor ſeſe defendere præfert. Immo jam inde ab an. 1734. in notatione ad quandam manuſcriptam amici epiſtolam has tantum capitulares quoque ſuos approbare innuit: *Alias, quæ compenſatoriæ non ſunt, nullus hic probat.* Alludit, ut arbitror, ad ſententiam Capituli Ultrajectini, quam in literis ad Petit-pied datis 27. Jan. 1734. declaratam invenies his verbis: *Abſit a nobis, ut de redditibus, qui in patria noſtra ſunt, in uſu, quidquam quod a fide catholica diſſentiat, ſentiamus. Firmum eſt apud nos principium a Theologis communiter receptum, in contractu mutui non licere quidquam ultra ſortem, ſive a pauperibus, ſive a divitibus, aut exigere, aut principaliter intendere vi mutui. Cenſemus tamen in contractu mutui aliquid extra ſortem exigi poſſe, non quidem vi mutui, ſed per modum indemnitatis, & juſta compenſationis, quando occurrit juncta bona fidei ratio lucri ceſſantis, & damni emergentis.* Hæ literæ ſcriptæ fuerunt manu D. Kemp, & ſubſcriptæ a DD. Dalenoort, Van Dych, Kemp, Meganch, tam ſuo, quam nomine D. Van Erekel, & Akkoi. Omnes ſunt Canonici præſumti Capituli Ultrajectini, & in his quidam pro diſceptatis contractibus libellos ediderunt.

pag. 1715. n. 6.

Suite de ſupplement aux Lettres Theologiques côtre le Traité des Prêts de commerce pag. 56. num. 16.

2. Si de mera compenſatione veri lucri ceſſantis, ac damni emergentis actum fuiſſet, & intra hos

fines

Digitized by Google

fines ſeſe continuiſſet Broederſen; cum nihil æquius proponi, ac defendi poterat, tum vero nihil contra catholicam de uſuris doctrinam aſſertum fuiſſet. Uſura compenſativa hoc ſenſu intellecta potius reſtauratio juſta eſt damni, quam uſura: juſtam autem compenſationem, ac reſtaurationem damni catholica doctrina nunquam damnavit. Sed in hoc uſuræ compenſatoriæ vocabulo hallucinationes, vel inſidiæ occluduntur: primum quia uſuram compenſatoriam pro vera uſura habet, & ab aliis haberi ſua multum intereſt; deinde quia compenſatoriç uſurç nomine lucratoriam complectitur, atque defendit. Hæc duo in primis animadvertenda ſunt diligenter, ut ſyſtematis ejus artificium, ac fallaciam detegamus.

Uſura compenſatoria improprie uſura dicta.

3. Primum ergo uſura compenſatoria, qua damnum emergens, aut lucrum ceſſans compenſatur, improprie, & late uſura appellatur, quatenus ad veræ uſuræ modum pretium ejus legibus taxatum, uſuram imitatur. At cum vera uſura proprie ſit (1) *pretium uſus pecuniæ*, quæ alteri creditur, compenſationis autem pretium non pro uſu pecuniæ, ſed pro damno emergenti, vel lucro ceſſanti reſarciendo ſolvatur; id ab uſura re ipsa abeſſe nemo non videt. Secus uſuram ſolvere dicendi eſſent, quicunque damnum furto ex. gr. illatum, aut interceptum lucrum reſtaurant. Id quod intereſt, indemnitas, & vitatio damni proprie eſt, non lucrum pecuniæ, nec proinde uſura proprie ſumta, quam tamen unam Scriptura, Patrum traditio, & Eccleſia damnat, cum uſuram damnat. Dixi *cum uſuram damnat*; ſi enim compenſationem, aut reſtaurationem damni aliquo caſu ex. gr. a paupere impotente exigi reprobat; id non reprobat uſurç condemnatione, ac nomine, ſed * aliis præceptionibus, quibus mandat, ne ipſum debitum exigatur ab inope, cui eleemoſynæ ſubſidium ex charitate præſtandum eſſet potius, quam debitum repetendum. Sed juvat Broederſen uſuræ nomen compenſatoriæ tribuere, ut aliquam uſuram licitam adſtruat. Ita enim duo opportune in rem ſuam colligit. Primo cum teſtimonia, ſive Scripturæ, ſive Patrum, ſive Canonum opponantur, in quibus uſura univerſim damnatur, & ex his uſura omnis reprobata a Catholicis dicitur; interpretanda ea teſtimonia reponit, & uſuram ſaltem compenſatoriam excipiendam: cui exceptioni ſi ſemel aditus pateat, non ſolum generales ſacræ auctoritatis locutiones de omni uſura perperam accipi, verum aliis, atque aliis exceptionibus, ac reſtrictionibus locum eſſe concludit, ita ut aliæ quoque uſuræ a condemnatione ſubduci pariter queant. Deinde ut potiſſimam objectionem, quæ ab omnium Scholaſticorum conſenſu ducitur, rejiciat; quotquot Scholaſtici titulum ejus quod intereſt approbant, veluti uſuræ vindices allegans, hos omnes ſecum ſentientes, ac ejuſdem ſententiæ obtrudit. Fraudulentum ſane conſilium, vel, ut minimum, confuſæ mentis inſignis deceptio, qua plures vel invitos in ſui erroris veluti teſtimonium, & patrocinium adducit. Hinc porro illud pariter obtinet, ut Catholicorum auctoritatem contemtui exponat, ac ſi illi uno loco uſuram omnem damnantes, alio aliquam abſolventes, contraria tradiderint, vel certe rigidius, ac imprudenter damnarint uſuram omnem, qui aliquam abſolvere aliquando debuere. Sed vere non hi Catholici contraria tradiderunt, cum omnem uſuram damnantes, uſuram pro-

(1) Vide Geminian apud ipſum Broederſen pag. 1421. n. 6.

B 2

* *Aliis erat vetita legibus*, inquit ipſe adverſarius de uſuris, quam Judæis in peregrinis pauperibus interdictam agnoſcit pag. 998. num. 3.

propriam intellexerint; id autem quod intereſt, non uſuram, niſi forte improprio latiori ſenſu, ſed indemnitatem, ac reſtaurationem æquiſſimam habuerint. Broederſen potius omnia confundit, & miſcet; quod minus cauti ſi non advertant, facile decipientur.

Broederſen compenſatoriæ uſuræ nomine lucratoriam defendit.

4. Quod ſi uſuram vere compenſatoriam vindicaret tantum, etſi in uſuræ nomine inſiſtens, ſcandalo eſſe nonnullis poſſet; re tamen nihil a catholica doctrina alienum propugnaret, & quæſtio nominis eſſet potius, quam rei. At hoc nomine uſuram lucratoriam ab eo vere defendi, multis ex locis, & argumentis liquet. In caſu quidem, quem vindicandum proponit, occaſiones lucri ubique obvias præfert, quæ ad lucrum ceſſans referuntur; & hunc caſum omnium Belgarum proprium teſtatur, ac ſi omnes Belgæ lucri ceſſantis nomine lucrum legitimum capiant. Sed præter plures conditiones, quæ in ipſis occaſionibus lucri ad uſuram vitandam requiruntur, ut Opuſcul. 1. c. 3. oſtendam, nec non præter non paucas exceptiones, quæ in praxi accidere queunt, ne omnes caſus legitimum lucri ceſſantis titulum præſto habere judicandi ſint; ſiquidem unum lucrum hoc titulo proveniens Broederſen defendendum ſuſcepiſſet, nonne propoſitum impleſſet, ſi hunc unum titulum explicaſſet, ſtatuiſſet, & quatenus in praxi apud omnes ſit, legitime demonſtraſſet? Quid hac in re parum ſolicitus, paucaque leviter attingens, toto opere iis in argumentis laborat, quæ ipſum lucrum, & uſuram per ſe, etiam ab hoc titulo ſeparatam, vindicare ſtudent? Cogitentur quæ affert ſive ex naturali, ſive ex divino jure, ſive ex eccleſiaſtico, ſive ex civili, & omnia fere de lucratoria uſura proprie dicta loquuntur, ut ex dicendis patebit. Adde quod cum de vero titulo lucri ceſſantis, & intereſſe univerſim diffidat, ſubjicit identidem, & ingerit triplicem contractum, vel cenſum utrinque redimibilem, ſeu pecuniæ locationem, aut alium innominatum contractum, quorum nomine hoc lucrum vindicetur. Novæ in hoc hallucinationes, vel inſidiæ latent, quibus puſilli decipiantur, & lucratoria, ac vera uſura, quam defendendam ille ſuſcepit, hiſce coloribus, & fucis illita minus diſpliceat. Ita enim quicunque Catholici Auctores triplicem contractum, vel cenſum utrinque redimibilem defenderunt, Broederſen nihili faciens, utrum jure, an perperam defenderint, & utrum plures repudiarint practice, quod ſpeculative defendi poſſe putarunt; hos omnes pro ſe veluti ejuſdem ſententiæ allegat, ne in vindicanda uſura Catholicorum auctoritate deſertus videatur. Sed hos titulos, vel contractus cum uſura miſcere, & auctores de titulis, vel contractibus differentes allegare quaſi patronos ejus uſuræ, quam omnes damnant, nonne mirifice decipi, vel decipere eſt?

5. Scio quidem Broederſen repoſiturum, ſe hos auctores non pro uſura, quam eoſdem damnare alicubi fatetur, ſed pro practicis, ſeu, ut vocat, diſceptatis Belgii caſibus allegare, quos illi titulorum, vel contractuum nomine defendunt. Sed cum lucrum, quod illis in caſibus percipitur, pro uſura videatur habere, de qua una operis titulus pollicetur; ita ut alio licet nomine, idem tamen re ipſa eos defendere affirmet, ſive qui uſuram, ſive qui titulos, vel contractus defendunt; unde alicubi ſcripſit: *Vocentur dicti caſus uſura, aut alio nomine, parum refert. Natura non conſiderat nomina, ſed res*: cumque in ipſa operis fronte receperit, ſe uſuram aliquam probaturum licitam, ex iſtorum quoque auctorum, ſeu Theologorum ſententia; jam hos, cum pro caſibus illis practicis allegat, nonne veluti uſuræ patronos

p. 1537. n. 5. 1569. n. 8.

p. 1438. 1440. &c.

p. 137. n. 54.

nos allegare videtur? Licet vero compenſatoriam uſuram tantum ſe vindicare jactitet; cum tamen lucratoriam etiam re ipſa vindicet, dum nec juſtitiæ, nec charitati repugnet, ut fieri poſſe autumat inter mercatores, ac divites, & in laudatis Belgii caſibus reapſe evenire contendit; eos auctores pro hac uſura, quam alias damnant, allegare videri poteſt, ut nonnullis vane viſum accepi. Saltem magna in hoc auctoris, & operis confuſio eſt, qua quæſtiones de titulis, vel contractibus, cum quęſtione de uſura miſcentur. Vel enim veri, & legitimi ſunt tituli, vel contractus, quos illi auctores defendere ſtudent, vel non: ſi primum, uſura perperam habebitur lucrum, quod non ex mutuo, ſed ex legitimo titulo, vel contractu redit; ſi vero ſecundum, falluntur illi procul dubio, dum legitimum præferunt titulum, vel contractum, qui vere non eſt, & uſuram veram, quam reprobant, eo titulo, vel contractu tectam defendunt; & in hoc monendi, vel docendi ſunt, non tamen ita allegandi, ut alio atque alio nomine ejuſdem uſuræ, quam damnant, patroni videri poſſint.

Quæſtio præſens ſtatuitur.

6. Hæc itaque confuſio, quæ veritati cognoſcendę impedimento eſt, ne in re præſenti offendat, diſtinguendæ ſunt quæſtiones a quæſtionibus, & quæ nunc in diſputationem veniat, exacte ſtatuenda. Igitur hoc loco mihi nec de titulis, nec de contractibus memoratis quæſtio eſt, ſed de uſura; ac proinde ſepoſitis in aliam diſputationem, ſeu in Opuſcula, quæ ad titulos, vel contractus ejuſmodi pertinent, videndum quid de uſura auctor doceat. Hoc principium cardinale in primis ſtatuendum, ſine quo inutilis erit omnis diſputatio de titulis, vel contractibus ceteris; num enim hi legitimi, an fictitii ſint, & num lucrum ex his perceptum ſit legitimum, an uſurarium, definiri non poteſt, ſi principium de uſura certum non ſit. Dum autem hoc principium in præſentiarum ſtatuitur, ingerere, & interferere de titulis, vel contractibus mentionem, ut facit adverſarius, eſt confundere, & perturbare omnia, ne quid certo confici, & definiri unquam poſſit. Hoc diſtincte præmonendum, ut præſens quęſtio, de qua præciſe agendum erit, cognoſcatur. Non de circumſtantiis practicis Belgii, vel alterius Provinciæ agitur, non de quibuſdam titulis, vel contractibus, ſed de uſura, quę a titulis, & contractibus ceteris ſeparata, compenſatoria uſura non eſt, ſed lucratoria.

7. Neque diſtrahi a nobis quęſtionem a ſe propoſitam Broederſen conqueratur. Cum enim ipſe in propoſita quæſtione de caſibus Belgii varias quæſtiones confuderit, quęſtiones confuſas ſeparamus, non autem diſtrahimus. Hæc diſtinctio neceſſaria eſt, ne varia miſcentes, omnia confundamus. Inter multa autem, quæ in controverſiam cadunt, ab eo exordiendum, quod ceteris principii loco eſt: ſine principio enim certo nullus certus finis eſſe poteſt. Inter quæſtiones vero omnes, quæ in rem præſentem incidunt, cum doctrina de uſura per ſe ab omni titulo, & alio contractu ſeparata, ideſt de uſura vere lucratoria, principii loco eſſe debeat; de hac in primis cognoſcendum eſt. Videndum eſt igitur, quid de hac uſura adverſarius ſentiat, & doceat.

Adverſarii ſententia, & argumentū hoc libro impugnandum.

8. Uſuram quidem ab omni titulo, & contractu ſeparatam hoc potiſſimo, ſeu potius unico argumento licitam eſſe contendit, quia nulla lege vetatur. Pluribus locis hoc argumentum urget, ex quo ſibi victoriam pollicetur. Vide autem inter cetera inſignem locum lib. 1. part. 1. c. 8. n. 67., ubi titulum intereſſe, & alios contractus ſeſe attuliſſe in medium fatetur, ut innueret titulos varios, unde id lucrum poſſit

Digitized by Google

poſſit defendi; at ſimul hiſce præſidiis opus non eſſe concludit, ſi etiam ſine illis hoc lucrum nulla lege interdictum probetur: *Caſus, qui a nobis ante ſunt explicati, & in hiſce Provinciis ſunt frequentes, eodem omnes motivo licitos eſſe cenſemus, nempe quia nulla lege ſunt prohibiti. Ut autem iſtud evidentius conſtet, oſtendimus variis rationibus licite illud, quod in dictis caſibus accipitur, poſſe acquiri. Etſi illud licite aliquo titulo nominato fieri non evinceremus, non propterea illud damnandum eſſet; poſſet enim licite fieri titulo innominato. Quod ſi nec tali illud eſſe licitum ſatis ſolide videremur probare, non propterea illicitum eſſe affirmandum eſſet: non enim ex eo dependet veritas, an ſolide demonſtretur, hoc, vel illo titulo caſus propoſitos eſſe licitos; ſed ex hoc, an caſus illi aliqua lege prohibeantur. Si enim nulla lege vetentur, certo liciti ſunt. Demonſtret quis, ut libet ſupponere, caſus illos non eſſe licitos titulo emtionis, titulo ſocietatis, titulo lucri ceſſantis, aut quolibet alio titulo nominato: ſi tamen illi caſus nulla lege damnentur, certiſſime liciti erunt.* (1) Caſus qui ab omni titulo, vel contractu, nedum nominato, ſed etiam innominato ſeparentur, non alii intelligi poſſunt, niſi qui lucrum nullo titulo, vel contractu tectum, ideſt vere uſurarium pariunt. Vide, num veram lucratoriam uſuram ab omni titulo, atque contractu etiam innominato ſeparatam defendat.

9. Enimvero quod hoc loco de caſibus diſceptatis affirmat, in opere ipſo ſæpius affirmat de uſura, cum uſuram, quam in iiſdem caſibus ineſſe non dubitat, etiam ab omni alio titulo, vel contractu ſeparatam, nulla nec naturali, nec divina, nec canonica, nec civili lege interdictam probare ſtudet. Nos in ſuperioribus libris de jure divino, ac naturali circa uſuram, hanc univerſim & divino, & naturali jure condemnatam, nec tam charitati, quam juſtitiæ contrariam utroque jure oſtendimus. E contrario Broederſen caſus diſtinguit, in quibus uſura licita, vel illicita ſit, & nunc charitati, nunc juſtitiæ, nunc autem neutri adverſetur. Uſuram triplici caſu illicitam profert; immoderatam, quæ præſtitutos limites excedit, a quocunque exigatur; necnon moderatam, quæ vel e modicis ſummis, vel a pauperibus exigitur; inter pauperes autem, non ſolos mendicos, aut opifices in neceſſitatem aliquam pecunia indigentes refert, ſed nonnullos etiam divites, qui iis circumſtantiis laborent, ut ex charitate iiſdem opitulandum ſit. Ex primo, & ſecundo caſu uſuram injuſtitiæ coarguit; quidquid enim ſupra conſtitutos limites extorquetur, injuſtum eſt: quod autem percipitur ex modicis ſummis, quas nullo pretio æſtimabiles affirmat, ſupra ipſarum æſtimationem exactum, juſtum eſſe non poteſt. Pauperibus enim modica fere pecunia neceſſaria eſt, ut lucrum exinde exactum ſit injuſtiſſimum: alias ſoli charitati, non autem juſtitiæ adverſari contendit. Extra hos vero caſus lucrum, neque charitati, neque juſtitiæ repugnans, nulla lege vetitum, ac propterea licitum præfert. In hanc rem omne jus naturale, divinum, eccleſiaſticum, atque civile in examen vocat. Si quis vero ea ſeparet, quæ de titulis, atque contractibus perperam obtrudit, ac miſcet, eaque probe teneat, quæ nos in antecedentibus libris fuſius

Tota Broederſen ſententia de uſura, ejuſque capita proponuntur.

(1) Confer præfat. n. 36. part. VII. pag. 19. n. 51. p. 1442. n. 13. &c. & pag. 137. n. 54. *Uſuram* in his caſibus admitti *parum referre* ait, ſi tamen prohibita non ſit.

Digitized by Google

fuſius digeſſimus, nihil reperiet, quod difficile ſolutu ſit. Eædem interpretationes Scripturæ, ac Patrum afferuntur, quas ibidem rejecimus; argumenta autem a nobis producta, quæ majorem vim habent, intacta, vel non æque ſoluta invenies. Sola importuna ineptarum exceptionum, aut exquiſitarum reſtrictionum commixtio fucum facere poteſt, quæ ſi ſeparentur, nihil erit, quod prudentes movere poſſit. Ne quid ad invidiam creandam fingere, & jactare videar, pauca de peculiaribus indicare placet.

CAP. III.

De mutui, & uſuræ notione. Refellitur libri 1. pars ſecunda.

1. PRimo magnam de mutui, & uſuræ definitione quæſtionem adverſus Scholaſticos movet; quippe qui neutrum ex Scriptura, aut Patribus definierint. Sed quod de mutui definitione objicit, ſatis rejectum eſt lib. I. c. 1. n. 6. Cum enim mutuum definiendum ſit, unde uſura naſcitur; ſi res definita, & non verba expendantur, nihil aliud Scripturam, aut Patres ſignificaſſe invenietur, niſi id, quod Scholaſtici, & nos in definiendo mutuo explicavimus. Immo cum mutui appellationes Hebraicas, Græcas, vel Latinas & Scriptura, & Patres promiſcue ſumſerint, ſive cum gratuitum, ſive cum uſurarium mutuum appellarunt, ut & Broederſen fateri cogitur; ipſe potius contra Scripturam, ac Patres, mutuum excludens, ubi lucrum exigitur, hanc veluti propriam mutui definitionem
P. 47. c. 6. ponit: *Mutuum eſt quodcunque proximo utendum datur, ut ſine ullo in-*
P. 42. n. 41. *cremento reddatur.*

2. Neque ſatisfacit, cum impropriam eam mutui appellationem in Scripturis prodit, qua mutuum cum uſura conjungitur: id enim dicere eſt difficultatem eludere, non autem probare, quod probari non poteſt. Si enim velit mutuum eſſe, quod gratis datur, quod autem non datur gratis, mutuum non eſſe; vocis quæſtio inducetur, non rei: re enim uſura, quam Scriptura damnat, ex eo contractu manat, quo pecunia, aut alia res conſumtibilis ad conſumtionis uſum traditur, cum obligatione reſtituendi tantundem: quocunque nomine hic contractus appelletur. Mutui autem appellationem, quæ receptiſſima eſt, retinere maxime intereſt, ne ex incerta, & varia locutione, erroris, & fallaciæ occaſio præbeatur. Vide quæ in hanc rem pluribus diſſeruimus memorato lib. I. c. 2., ubi contractum hunc jam cap. 1. a nobis definitum, communiori Latinorum uſu *mutuum* appellatum oſtendi, ſive gratuitus ſit, ſive cum fœnore. Si vero adverſarius pertinaciter velit mutuum proprie dici non poſſe, quod cum lucro eſt, nihil adhuc conficiet, quando contractum, unde uſura naſcitur, re ipſa alium ab eo eſſe, quem definivimus, affirmare non poſſit. Ejus contractus nomen proferat, quemcunque vult, ego illud accipiam. Solum videat, ne eum contractum, unde uſura naſcitur, uſuram appellet, hæc enim non in contractu illo ſita eſt, ſed in lucro, quod ex eo contractu percipitur. Enimvero ipſe quoque, dum uſuram definit *acceſſionem ad ſortem*; non in ſorte, quæ ad uſum traditur, ſed in acceſſione, quæ pro uſu ſortis exigitur, uſuram collocandam agnoſcit. Hic autem de appellatione propria ejus contractus, quo ſors ad uſum traditur &c., non autem de propria acceſſionis appellatione ſermo eſt: ac propterea proprium hujus acceſſionis nomen *uſura* ei contractui perperam tribuit. Quod ſi mutui nomen jam receptum etiam ipſe retinens (ut a receptis nominibus haud temere recedendum

alibi

Digitized by Google

alibi (1) approbat) uſuram criminoſam oriri vult ſolum ex mutuo pauperum, quod gratuitum eſſe deberet, vel ex mutuo exiguæ pecuniæ &c., id non ad definitionem mutui pertinet, ſed ad controverſiam de uſura, quam in ſequentibus expendemus.

3. Quod porro de uſuræ definitione ingerit, eodem ferme vitio laborat. Accuſat Scholaſticos, qui uſuram aliter definierunt, quam Scriptura, & Patres. Hi enim *quidquid ad ſortem accedit*, uſuram appellarunt: illi autem *lucrum ex mutuo, aut vi mutui perceptum* &c. Sed nonne, variis licet verbis, idipſum omnes reipſa ſignificant? Cum Scriptura, & Patres in acceſſione ad ſortem uſuram collocant, cum ſortis nomine non equos, vel currus &c., ſed rem conſumtibilem uſu cuipiam traditam, ut tantundem reſtituatur, intelligunt, quod proprio vocabulo, diſtinctionis gratia, *mutuum* appellatur; tum uſuram non in acceſſione ad ſortem negotiationi, aliique legitimo contractui expoſitam collocant, nec in acceſſione, quæ juſtam afferat reſtaurationem ejus quod intereſt, ſed in ea, quæ ex pecunia ex. gr. mutuo tradita, nulloque titulo circumſcripta percipitur. Id autem nonne & Scholaſtici, & nos ſentimus? ideo enim lucrum *ex mutuo*, aut *vi mutui* perceptum uſuram definiunt, ut lucrum ex contractu alio, vel ex aliquo juſto titulo in mutuo perceptum excipiant, quemadmodum eidem Broederſen ſubolevit. Recolat quæſo, quæ alibi ſcripſit: *Verbis concertare averſamur. Ideo iis, qui uſuram definiunt lucrum ex mutuo, & ſuam definitionem convenienter ad S. Scripturam, & SS. Patres, & utrumque jus intelligunt, litem non movebimus*. Quod ſi uſuræ nomine comprehenſam, & damnatam credit in Scriptura, & Patribus etiam acceſſionem ex titulo legitimi intereſſe, quam compenſatoriam uſuram appellat, cum eam charitas a paupere exigere vetat; id ea falſa uſuræ hypotheſi nititur, quam ſuperius cap. 2. n. 3. rejecimus. Cum enim uſura proprie ſumta ſit pretium uſus pecuniæ, legitima autem compenſatio ejus quod intereſt propria uſura non ſit, ut ex ipſis Romanis legibus probavimus, ubi etiam hæc compenſatio ex charitate vetatur, non proprio uſuræ nomine, ſed alio præcepto vetatur.

p. 1543. n. 8. & 9.

p. 115. n. 235.

Idipſum cõfeſſus eſt Broeder. p 998. n. 3. ut vidimus ſupra notatione in c. 2. n. 3.

4. Scripturam quidem, & Sanctos Patres uſuræ nomine juſtam compenſationem damnaſſe, adverſarius nunquam probabit: nos autem hunc titulum, ubi adſit, aliquot Patrum teſtimoniis, quibus uſuram damnantes de ſola pecunia *otioſa*, vel *ſine damno* credita loquuntur, ſatis exceptum l. VI. oſtendimus cap. 3. §. 2. Quod ſi expreſſius acceſſionem hoc titulo ſumtam in mutuo non inveniuntur approbaſſe, id *potuit accidere* (ut ipſius Broederſen verbis utar) *per circumſtantias loci, in quo alia quam illicita* (id eſt ſine juſto titulo) *uſura paſſim non fuerit in uſu, aut ſi aliqua alia, quæ* (ex titulo) *damnanda non erat* (ſeu verius non erat uſura) *ibi exerceretur, non fuerit frequens, & e contrario improba* (ſeu vera uſura) *communis*. Enimvero ſatis credibile mihi eſt, antiquorum Patrum ętate, cum rara erat pecunia, & (2) negotiandi ratio alia obtinebat, perpaucas fuiſſe occaſiones pecuniæ utiliter collocandæ cum legitimo titulo. Poſteriori tantum tempore, cum

Sacra Scriptura, & Patres non reprobarunt juſtum titulum lucri ceſſantis.

p. 575. n. 7. Confer pa. 373. n. 10.

Cur olim hic titulus non ita expreſſe approbatus, ut poſteriori tempore.

---

(1) Ita p. 117. n. 239. *lucri* vocem in communi, ac recepto ſenſu accipit.

(2) De difficili olim titulo lucri ceſſantis ex intercepta emtione alicujus fundi vide quæ indicentur infra cap. 9. num. 10.

Digitized by Google

eum & pecuniæ copia augeri cœpit, & negotiandi facilior ratio inducta eſt, ſicut frequentior lucri ceſſantis occaſio fuit, ita hujus tituli expreſſior mentio, & approbatio apud Scriptores invenitur. Hinc hoc quoque tempore, etiam in quibuſdam negotioſiſſimis urbibus, ubi eſt pecuniæ copia, & multiplex negotiatio floret, facilior lucri ceſſantis titulus ſuppetere poteſt, quam in exiguis oppidis, ubi pecunia rarior frequentibus negotiandi occaſionibus careat. Ceterum cum Juſtinianus Novel. 131. c. 12. *fructus, uſuras, & omne legitimum augmentum legati poſt ſex menſium moram* Eccleſiis ſolvi præcepiſſet; hanc acceſſionem, quæ *ex mora* pro eo, quod intereſt percipitur, Photius expreſſe probavit, ut Balſamon animadvertit in ſcholiis ad Nomocanonem tit. 9. c. 27. *Gratias age Patriarchæ Photio, qui recte interpretatus eſt, Epiſcopos, & Clericos poſſe uſuras, tanquam id, quod intereſt, petere.* Dicit *tanquam id, quod intereſt*, quia id, quod intereſt, ipſo Romano jure declarante, uſura vera non eſt, licet ad uſuræ modum taxatum, vulgata & impropria uſuræ appellatione nonnunquam donetur; & eatenus a Clericis, quibus præſertim vera uſura ſeveriſſimis pœnis interdicitur, citra crimen, & pœnam, impropria tantum uſura, pro eo, quod vere interſit, percipi poteſt. De legatis nimirum erat ſermo, quæ vel fructifera erant, vel in utiles contractus erant convertenda, ut juſtum eſſet Eccleſiæ ſolvi, quidquid detrimenti ex mora ceſſiſſet.

CAP. IV.

Vindiciæ juris naturalis circa uſuram. Confutatur liber ſecundus Nicolai Broederſen. Invictum pro jure naturali ſtatuendo argumentum ex eodem adverſario colligitur.

1. SEd his levioribus circa voces, ac definitiones omiſſis, ad probationes ipſas veniamus. Primum a naturali jure Broederſen exorditur. In hoc potiſſimum ſibi præſidium pollicetur, cum in re morali nihil, præſertim apud Chriſtianos, neque divino jure vetitum putet, quod naturali jure prohibitum non ſit. Rejecimus hoc præjudicium lib. V. c. 1. Experiamur tamen ſi quid argumenta ejus valeant. Totus liber ſecundus in hoc verſatur. Duo argumentorum genera affert, negativa, & affirmativa. Præcipua negativa argumenta ex uſu omnium ſeculorum, nec non ex Patrum, & Conciliorum ſilentio ducuntur. Recordetur loqui nos de caſibus uſurariis. Cum Patres, & Concilia omnem uſuram damnarint, ut in ſequentibus probabitur; caſus etiam uſuræ a negotiatoribus, & divitibus perceptæ complexi, immo hos expreſſe nonnullibi condemnaſſe cognoſcentur. Ceterum alii caſus allegari poſſent in uſu frequentes, & illiciti, de quibus nec Concilia, nec Patres expreſſe meminerunt; nec tamen liciti exinde colligi queunt. De argumentis negativis pag. 129. & ſeqq.

2. Quod autem de uſu plurimorum, & piorum etiam dicitur, quam malum ſit argumentum patet ex Lateranenſi III. trecentorum & decem Epiſcoporum can. 25., ubi *in omnibus fere locis* crimen uſurarum ita *inoleviſſe* traditur, ut *multi, aliis negotiis prætermiſſis, quaſi licite uſuras exercerent, & qualiter utriuſque Teſtamenti pagina condemnetur, nequaquam attenderent.* De Malum argumentum ductum ab uſu.

 uſuris

Digitized by Google

uſuris etiam a mercatoribus per pios quandoque viros ignoranter exactis fidem facit hujus temporis exemplum B. Ivettæ viduę, quæ aliquandiu per vulgarem ejus temporis ignorantiam hoc uſurę genus tanquam licitum exercuit, ut coęvus vitæ Auctor Hugo Floreffienſis teſtatur. Incredibilis nimirum eſt conſuetudinis vis, cujus id proprium monet Auguſtinus, ut peccata, quę uſu recipiuntur, peccata non eſſe credantur. Id autem pręſertim evenit, ſi ii, quorum eſt invaleſcenti corruptelæ reſiſtere, & ignorantiam depellere, negligant: unde in Concilio Salisburgenſi an. 1386. c. 13. ſcriptum legimus: *Apud multos ita crimen uſurarum invaluit, quod nonnulli nullis negotiationibus, vel laboribus ſtudent intendere, putantes ſibi hoc licere, quod prælati, & alii eccleſiarum rectores in animarum ſuarum periculum negligunt id corrigere, ac per hoc in majoris damnationis laqueum ſe immergunt*. Hinc canones, & decreta contra uſuras identidem repetita; & cum S. Carolus uſuras apud ſuos etiam clericos fidenter invaluiſſe commemorat ex ignorantia, non ſolum ipſe in primo Mediolanenſi Concilio pluribus decretis ſuæ provinciæ conſuluit, verum etiam apud Summum Pontificem Pium V. egit, ut Conſtitutione aliqua generali huic malo toto orbe graſſanti remedium afferret. Deſcribam paragraphum epiſtolæ S. Caroli ad Ormanettum noſtrum Romę degentem, & Pio V. intimum, die 18. Novembris 1567., quę ſervatur in Ambroſiana Bibliotheca inter MSS. S. Caroli tom. 3. epiſt. 298. *Oggi fa l'ottavo giorno, ch'io ſono in Vareſe, ſempre con occupazioni continue. Ho trovato queſto paeſe pieno di uſure, & di contratti feneratizii, tanto ne' preti, quanto ne' laici; & credendo che ciò ſi cauſi in buona parte dall' ignoranza di molti, loderei aſſai che Sua Beatitudine mandaſſe ad effetto quel penſiero, che già ſi degnò communicarmi, di voler fare una proviſion generale ſopra l' uſure; & mi ricordo che anch'io nominai a S. Santità quelle perſone, che a me parevan buone da maſticar bene queſta materia, & da eſtenderne la Bolla. Lei potrà hora con buona occaſione dirne una parola a S. Santità, e rappreſentarle la neceſſità, che ne vedo particolarmente in queſte parti, che mi riduce a memoria il biſogno, che ve n'è da per tutto*. S. Pium ſtatim deputaſſe & Cardinales, & Theologos, qui a cenſuum, depoſitorum, atque cambiorum materie exordirentur, Ormanettus reſcripſit Epiſt. 318. eodem anno die 6. Decembris: *Noſtro Signore, al quale io parlai delle coſe delle Uſure, ha fatto già la deputazione di tre Cardinali, per provedere a tutti i diſordini occorrenti in queſta materia, e maſſimamente ne' cenſi, depoſiti, e cambii. Se V. S. Illuſtriſſima haverà qualche caſo particolare da ricordare, la me ne ſcriverà. I tre Cardinali ſon Araceli, Sirleti, & .... vi è anche una deputatione di Teologi*. Et ſane duę Conſtitutiones, altera de cenſibus, altera de cambiis & depoſitis non multo poſt prodierunt: quę uſuras mercatorum, ac ditiorum pręſertim proſpiciunt. Argumentum liciti, quod ex uſu, & vulgari errore in hac materie ab adverſario colligitur, apud Eccleſię rectores nihil unquam obtinuit.

Tom. 1. Bollandi die 13. Jan.

3. Sed nunquid poſitiva argumenta graviora ſunt? Nihil minus. Quod ex Deuteronomio colligitur de uſura cum alienis permiſſa, ſi late, ut verba Deuteronomii ſonant, accipiatur, æque pauperes, ac divites complectitur, ita ut ſi quid probet, uſuram probet, quæ non ſolum e divitibus, verum etiam e pauperibus exigitur: quod tamen adverſarii nequaquam concedent. Hujus autem textus interpretationem, ut per ſe juri naturali, quod aliunde ſtatuitur, nihil præjudicet, fuſius

De poſitivis argumentis p. 142.

Digitized by Google

fuſius expoſuimus lib. II. c. 3. Potiora videntur ea, quibus uſuram e divitibus perceptam neque charitati, neque juſtitiæ contrariam probari poſſe Broederſen inculcat. Sed quatenus ea tum charitati, tum juſtitiæ adverſetur, probatum arbitror lib. V. c. 4. & 5. Quęcunque toto opere præfert, argumentis ibidem propoſitis, ſi bene intelligantur, non ſatisfacere invenies. Quod porro de aſſenſu, & conſenſu eorum qui uſuras ſolvunt, nec non de approbatione legum, ac populorum conſenſu additur, quam puſillum ſit, vel ex hoc uno intelliges, quod his argumentis probatur etiam uſura pauperum, qui in eam ſcientes conſentiunt, & quam leges, ac populi nequaquam excipiunt: immo, ne pauperum præſertim neceſſitatibus prǽſidium auferretur, latę fuere, ut nonnullis legibus, præſertim illa Leonis Sapientis, cautum legitur. Neque valet exceptio pauperum a Broederſen legibus ſubjecta. Si enim ex legibus arguendum ſit, non minus de uſuris divitum, quam pauperum eſt arguendum, immo de pauperum uſuris multo magis, cum pro his præſertim leges editę fuerint. Si ergo de his leges fœnebres non probant, neque de ceteris, quas nulla præcipua ratione probarunt, ex iiſdem licebit arguere. Probarunt, inquit, juſtitiam interuſurii per ſe, ubi juſtum eſt uſus rerum, a pauperum autem conditione præſcindunt. Hoc ad aliud argumentum pertinet ductum a ratione, quam veram præſumit; at ad argumentum, de quo hic agitur, ſumtum ab auctoritate legum per ſe, nihil pertinet. Similiter ineptum illud, quod nonnullibi ſcribit, leges probare ſolas divitum uſuras, pauperum autem tolerare, atque permittere. Id ex naturalis juris præſumtione derivat, non ex legibus ipſis, quæ nihil tale diſtinguunt. Nihil ergo hujuſmodi leges per ſe conferunt ad probationem uſurę, ſed totum a jure naturali humanis legibus ſepoſitis decidendum eſt. Plura vero de legibus diſſeruimus lib. III. c. ult., & lib. V. c. 3. De aſſenſu autem, & conſenſu ſolventium uſuras, vide quæ latius diximus lib. VI. c. 5., ubi quæcunque ab adverſario obtruduntur, ſatis disjecta reperies.

pag. 141. — *pag. 144. n. 81.* — *pag. 146. n. 84* — *De legibus civilibus.* — *p. 151. n. 88.*

4. Quoniam vero argumentum ductum a juſta æſtimatione uſus pecuniæ potiſſimum urget, quod in hoc maxime naturalem uſuræ juſtitiam eſſe ſitam putet; hoc exactius expendendum eſt. Itaque pecuniæ uſum negotiatorium, & utilem, ac pro utilitate, & commodo, quod affert, pretio æſtimabilem omnium conſenſu prodit. Tum varios uſus, & utilitates pecuniæ exponit, præſertim in prędiorum, vel realium cenſuum emtiones, aut negotiationem collatæ, ac pro iis juſtum pretium, uti pro locatione aliarum rerum utilium, poſſe exigi colligit. Tandem utilius haberi vulgo ait, ſi pecunia ad uſum liberum credatur, quam ſi in emtionem cenſus rebus aliquot oneroſam detur, ita ut, ſi liceat ex emtione cenſus lucrum capere, multo magis liceat, ſi minori incommodo uſus pecunię ſine emtione ulla tradatur. Num autem contra juſtitiam eſſe poteſt, ubi debitor minus gravatur; ſi qui gravatur, ac læditur magis, contra juſtitiam non eſt? Magnifica ratiocinatio videtur, ſed verius hallucinatio perpetua eſt.

Inſignis objectio de pretio uſus pecuniæ p. 151 n. 90. & ſeqq.

5. Primo ſi pecuniæ uſus eſt per ſe æſtimabilis pretio, uti uſus domorum, aut camporum, qui pretio locantur, juſtam æſtimationem habet; num in ſolis divitibus, & in magnis pecuniæ ſummis hoc pretium juſtum habebitur, & non in pauperibus nec in ſummis etiam exiguis? Nonne uſus, & locatio domorum juſta eſt, & pretio æſtimabilis non minus in paupere, quam in divite? Nonne plus ferre æſtimandus eſt uſus rei in neceſſitatem,

Solvitur.

Digitized by Google

quam in utilitatem, & lucrum collatæ? Pluris enim quis æſtimat pecuniam cum eget, quam cum non eget, ut Salmaſius notavit. Atqui pauperum conditionem non juſtitiæ, ſed charitati adverſari oppones. Non inficior poſse quandoque ex charitate non licere, quod per ſe juſtum eſt. At num ſemper in omnibus caſibus obligat charitas, ſi de re alias juſta agatur? Quam rari caſus penſionis domorum ex pauperibus acceptæ damnantur, ſi præſertim penſio ſponte offeratur; cum omnes caſus uſuræ ex iiſdem ſumtæ, quantumvis ſponte ſolutæ, damnentur. Quod quæſo inter utrumque intereſt? Hoc certe unum, quia pretium uſus domorum juſtum eſt, pretium autem uſus pecuniæ eſt omnino injuſtum. Eadem de cauſa in pecuniis, quæ pauperibus creduntur a Montibus Pietatis, non reprehenditur acceſſio pro legitimo intereſse compenſationis nomine exacta, quia juſta eſt; cum tamen omnis uſura etiam in Montibus vetetur. Quid quod uſura ex ipſis divitibus exacta a Broederſen damnatur, cum iis in circumſtantiis ſunt, ut gratis ipſis ex charitate ſuccurrendum ſit? At quæ divitum anguſtiæ efficere poſſunt, ut ab iiſdem illicite accipiatur quod juſtum eſt? Num illicite ab iiſdem acciperetur domus conductæ penſio in iiſdem anguſtiis? Differri ad ſummum deberet aliquandiu ſolutio in tempus commodius, cum nulla oppreſſio ſit, non autem omnino remitti; nec, ſi ſponte ſolvatur, iniquum eſſet accipere, quod juſte debetur. Quid quod Broederſen non licere concedit exigi quicquam a divite, etiam mercatore, ſi is, qui pecuniam illi credit, otioſam haberet? Vide pag. 26. n. 80. 1538. n. 22. & 1544. n. 9. Num ſi quis domum haberet otioſam, & vacuam, eandem locare pretio non poſſet? Ubi uſus pecuniæ per ſe æſtimabilis eſſet, ejuſque pretium eſſet juſtum per ſe; quandocunque concederetur, præſertim diviti, ac mercatori, hujus uſus pretium juſte exigi poſſet. Quod ſi quis velit occupare utiliter pecuniam, ſive in emtione prædii, ſive in negotiatione legitima, aut per ſe, aut per alium exercenda; id, ſi cetera concurrant, ad id, quod intereſt pertinet, ad uſum vero pecuniæ in ſe ipſo æſtimandum nihil confert.

De fœnor. Trapez. pag. 90. & 635.

6. Cur vero hic pecuniæ creditæ uſus per ſe ſupra æſtimationem ipſius pecuniæ æſtimari nequeat l.b. V. c. 5. fuſius explicatum eſt. Non ea ſola ratio, qua pecuniæ dominium in mutuo transfertur, ingeſta a nobis fuit; ſed alia prorſus communis etiam pecuniæ, cujus dominium traductum non ſit, ut exemplo furis confirmavimus. Confer etiam, quæ in hanc eandem rem digeſſimus Opuſcul. 2. c. 2. Uſus vero pecuniæ, quos utiliſſimos Auctor recenſet, cum ea in negotiationem, vel emtionem fundi convertitur, hi, inquam, pecuniæ uſus quatenus æſtimabiles ſint, & quo jure lucrum ex hiſce contractibus proveniat, iiſdem locis vidimus: neque enim pecunia per ſe ſua naturali vi, ſed fundus emtus, vel negotiatorum induſtria, atque periculum lucrum afferunt; quæ ſi non pertineant ad eum, qui pecuniam dedit, is nonniſi injuſte alienum lucrum exiget. Caſus furis pecuniam ab eo rapientis, qui eam negotiationi, aut emtioni fundi erat certo impenſurus, nihil pro adverſario facit, ſed potius pro nobis. Dum enim fur non tam ad reſtitutionem pecuniæ, quam ad reſtaurationem ejus, quod interfuit, obligatur; non pro nudo pecuniæ uſu, quo alter caruit, quique per ſe utilitatem non affert, ſed pro impedita emtione fundi, & negotiatione, quæ variis titulis a pecuniæ uſu diſcretis lucrum pariunt, juſte obligatur. Cur autem non obligatur pro uſu pecuniæ, quam ipſe fur uſurpavit injuſte, ſi

p. 156. n. 99. & 100.

p. 157. n. 103.

ex

ex eo præſertim lucratus ſit? Hoc probare deberet adverſarii argumentum, ut pro ſuo ſyſtemate concluderet. Uſus enim pecuniæ, quo pecuniæ dominus caruit, ad intereſſe, & damnum pertinet, quod omni jure reſarciendum eſt; non autem ſpectat ad uſuram, de qua nunc agimus, quæque in uſu ejus ſita eſt, qui pecuniam accepit. Hic tamen, ſi domini nihil interſit, ſiue etſi maximum ex pecuniæ uſu lucrum feciſſet, ad uſus adeo utilis pretium aliquod ſolvendum a nemine cogitur, quia hic uſus, & hæc utilitas domino æſtimabilis nequaquam judicatur. In pecunia ſcilicet, cujus fructus naturales nulli ſunt, id, quod intereſt dantis, non quod intereſt accipientis ſolvendum eſt: ac propterea ſi mutuantis nihil intereſt, nihil ex uſu, atque utilitate mutuatarii eidem debetur. Vide plura lib. V. c. 4. & 5.

p. 162. n. 114. 7. Ad id quod tertio additum fuit, utiliorem accipienti eſſe uſum pecuniæ ſine venditione, quam cum venditione cenſus, quæ ab adjunctis oneribus gravior accidit: hæc primum onera non ex natura contractus per ſe, ſed aliunde proficiſcuntur; æque enim privatis ſcripturis ſine ullo onere emtio per ſe contrahi poteſt, ac uſura contrahitur, intercedique apud Principes

Opuſcul. 1. c. 4. §. 1. in fin. poteſt, uti apud Juſtinianum olim factum alibi vidimus, ne publica inſtrumenta conficienda ſint. Quod ſi in emtione cenſus redemtionis exigendæ vim ſibi ſublatam creditores ægre ferunt; cogitent hac maxime conditione cenſum a mutuo, & uſura diſcerni. Ceterum quodcunque incommodum ſit in emtione cenſus, lucrum hinc exactum juſtum eſt, quippe quod legitimo veræ uſusfructus emtionis titulo provenit; at ſine hoc, aut alio legitimo contractu, vel titulo, omne lucrum in mutuo uſurarium & injuſtum eſt. Si ſoli charitati uſura opponeretur, præſtaret multo, ac liceret, uſuram, cum minus incommoda eſt, præ cenſu in petentis gratiam contrahere. At cum uſura adverſetur juſtitiæ, lucrum vero ex cenſu juſtum ſit, ex mutuo autem injuſtum; licet hoc commodius ſit mutuanti, non tamen licet illi, cui injuſtum eſt. Sic etiam quandoque utilius cuipiam eſſe poterit graviorem pro modo legum uſuram ſolvere, quam cenſum, aut fundum vendere; neque tamen ea gravior uſura, quæ injuſta eſt, licere dicetur, quia ſolventi utilior, ſeu minus gravis habetur: quantumcunque enim minus oneroſa ſit, in eo ſaltem, quod legum præſcriptionem excedit, proximum injuſte gravari adverſarii fatentur; quod cum non fiat in venditione cenſus vel fundi; niſi charitas exinde alias lædatur, condemnari non poteſt.

8. Nec omittam duo argumenta, quæ etſi leviſſima, incautis tamen difficultatem faceſſere aliquam poſſunt. Uſus pecuniæ in ſacco obſignatæ, vel ad pompam locatæ, pretio æſtimabilis eſt, licet utilitas ejus minima ſit. Quidni æſtimabilior erit pecuniæ uſus ad negotiationem creditæ, qui majorem utilitatem parit? Pecuniæ ad pompam datæ uſus, cum ſit uſus rei meæ, & quo res non conſumitur, habetur tanquam uſus veſtis, aut equi, qui cum naturalis quidam fructus habeatur, juſto titulo locari pretio poteſt. At uſus pecuniæ in negotiationem traditæ accipientis periculo, nullum naturalem fructum recipit, cujus pretium exigi queat. Nonne Auctor n. 109. fatetur: *Non ex ſola utilitate, quam res aliqua proximo affert, illa æſtimanda eſt*, & n. 113. illos *errare affirmat*, qui *dimetiuntur æſtimationem illius, quod præſtatur, amplius, vel minus, a ſola utilitate, quam per illud adipiſcitur ille, cui aliquid præſtatur?* Hinc quanquam plus utilitatis afferat, qui juſtam ſententiam cuipiam apud judicem precibus obtinuit, quam qui

p. 157. n. 108.

pag. 160.

equum

equum eidem locavit; non ita tamen licere ait ejus officii pretium exigere, uti licet equum pretio locare. Quid ita? quia officii quantumvis utilioris pretium nullum eſt. Ita etiam nullum eſt pretium uſus pecuniæ, niſi cum de naturali quodam pecuniæ fructu agitur; in negotiatione autem, vel emtione fundi, quæ alieno nomine, ac periculo fiant, quiquid fructus provenit, non naturalis pecuniæ fructus eſt, ut ſæpius diximus: unde nihil mirum, ſi hic uſus nullum pretium, ſeu lucrum domino parit, uti in locatione parere poteſt. Eadem utrobique pecunia eſt, ſed uſus, & fructus diverſus, in altero caſus æſtimabilis eſt danti, in altero non item.

p.161.n.111.

9. Aliud argumentum ductum a legatis nonnullis, quibus uſus certæ ſummæ ad annos cuipiam legatur, ita ut poſt id tempus ad alium eadem pecuniæ ſumma perveniat, ad rem nihil pertinet. Æſtimabilis enim hic pecuniæ uſus eſt accipienti; quatenus ex pecunia lucrari, aut aliud commodum percipere queat, ita ut ea uti ipſius maxime interſit. At nonne ex eo, quod accipientis intereſt, nullum jus lucri eſſe oſtendimus illi, qui pecuniam dedit, ſi ejuſdem nihil interſit? Qui uſumfructum pecuniæ cuipiam legavit, in eo beneficium fecit, quod facultatem lucrandi eidem dedit, eaque pro legati tempore privavit heredem; qui neque ex eo, quod ſua interſit ea pecunia non carere, quidpiam a legatario exigere poteſt. Ceterum eo legato non fit, ut quod ex pecuniæ uſu legatarii intereſt, per ſe æſtimandum ſit pro eo, cui nihil interſit; ac proinde ille uſus, & utilitas ſoli legatario æſtimabilis, nullum alius jus in pretium confert.

p.158.n.104.

10. Hæc de argumentis, quæ pro uſura Broederſen affert. Quæ porro late ſubjicit reſponſurus argumentis contra uſuram allatis, cum ſatis ex dictis infirmata ſint, longiori diſputatione non egent. Adde quod multa a nobis allata, nullam ibidem idoneam reſponſionem habent. Quod enim negat ſterilis ceteroquin rei uſum poſſe pretio vendi, & eatenus lucrum parere, verum eſt de re, quæ locatur, & locationis uſum veluti naturalem quendam uſum pariat. Quod vero multis laborat in neganda translatione dominii in mutuo, quam inane ſit, patet ex conſtitutis lib. I. c. 3., & l. V. c. 5. §. 3. Corporis enim mutuo dati dominium transferri, ipſis adverſariis fatentibus, evidenter oſtendimus: quantitatis autem dominium, quod nequaquam traductum comminiſcuntur, ſola fictione juris dominium eſt, & ad pariendam utilitatem, ac lucrum omnino ineptum iiſdem in locis vidimus. Qui hanc uſuræ condemnandæ rationem a traducto corporum dominio ductam cum Broederſen irrident, haud putent ſe nobis tantum atque Theologis irridere, ſed ſciant ſe una nobiſcum irridere debere Joanni XXII. Summo Pontifici, cui in Conſtitutione *Quia vir reprobus* contra Michaelem Cæſenatem data XVI. Kal. Decembris An. 1370., a Nicolao Eymerico ejuſdem ſeculi Scriptore in ſuo Directorio pluries laudata; & ex MS. Vaticanis ab Odorico Raynaldo edita, hanc eandem rationem adoptans, & approbans; *& per hoc*, inquit, *B. Joannes Chryſoſtomus* (ſeu potius Auctor commentarii in Matthæum Chryſoſtomo tributi, & allegati in Gratiani decreto) *rationem reddit, quare pro pecunia mutuata, uſura, ſicut merces pro domo, vel re alia uſu non conſumtibili locata, licite recipi nequaquam poſſit, dicens quod in re uſu non conſumtibili, ut in domo, vel agro, habens illa, non ſolum habet proprietatem, ſeu dominium, ſed ex illius ſubſtantia ſalva rei, ac proprietate rei, & dominio, fructus, ſeu utilitatem aliquam percipit, ut patet in domo, in qua inhabitat; & ſic*

p.176.n.171.

De translatione dominii in mutuo.

Confirmatur Conſtitutione Apoſtolica.

ad An.1370. n. 24.

Diſt.17 cap. ejiciens.

ſic ex ea commodum inhabitationis habet ſibi domus, ſalvo dominio remanente, ſalva rei ſubſtantia, & domo remanente. Ex agro quoque fructus recipit agri, ſalva rei ſubſtantia, & dominio remanente. Et ideo quia locans fructus rei, ſeu utilitatem aliquam provenientem ex ea, retento ſibi dominio, conductori concedit, nec illa, ſcilicet fructus, ſeu utilitatem domus, vel agri finita locatione repetit; non eſt mirum ſi pro iis pretium recipere poſſit; mutuans autem pecuniam, in ejus, cui mutuat, pecunia transfert dominium, non fructum aliquem, nec utilitatem aliam, quæ ex ea, ſalva rei ſubſtantia, valeat provenire, & tantundem ab eo, cui mutuat, poſtea repetit. Quare ultra illud, quod mutuat, a recipiente mutuum licite recipere nequit. Vide num apertiſſime nobiſcum in damnatione uſuræ, & in aſſerenda translatione dominii in mutuo Romanæ Sedis doctrina conſentiat.

11. Quanquam etſi traductum non eſſet dominium pecuniæ in mutuo; lucrum tamen pecunia quæſitum naturalem fructum non eſſe, qui domino debeatur, multis conſtituimus, non tam lib. V. c. 5., quam Opuſculo II. cap. 2. Caſus furis, qui aliena pecunia uſus in lucrum, ſive emtione prædii, ſive negotiatione, nihil tamen pro hoc uſu ſolvere cogitur domino, ſi ejus nihil interfuit, quia hoc lucrum naturalis ejus pecuniæ fœtus non habetur, ut allegatis in locis pluribus expoſuimus; demonſtrationem luculentiſſimam præbebit. Cetera leviora prætermitto, quæ ex hactenus dictis ſatis quiſque ſolvere poterit.

12. Hic autem antequam a naturali jure ad divinum tranſeo, evidentiſſimum argumentum, quod partim ex propoſitione ab adverſario conceſſa, partim ex alia propoſitione, quam hactenus dicta demonſtrant, & adverſarius non poterit inficiari, exponere, & concludere liceat. Omnem etiam moderatam, vel minimam uſuram a pauperibus exactam, eſſe jure naturali illicitam, eſt propoſitio, quam Broederſen cum ſuis aſſeclis certiſſimam ponit. Etſi enim ad hanc propoſitionem concedendam adigant divini juris, ideſt Sacræ Scripturæ, atque Traditionis teſtimonia, quæ dum uſuram univerſim vetant, ad univerſos (1) pauperes alicubi generatim expreſſos reſtringenda contendit; cum tamen nihil in novo Teſtamento circa mores vetitum exiſtimet, niſi quod naturale jus interdicit, ut pluribus locis affirmat; omnem, etſi moderatam, vel minimam uſuram e pauperibus exactam, quæ divino jure damnatur, naturali quoque jure illicitam ſtatuit. Hæc eſt propoſitio, quam ab adverſario oblatam accipio. Porro omnis uſura generatim in pauperibus naturali jure illicita eſſe nequit, niſi quatenus injuſta eſt. Hæc eſt altera propoſitio, quam ex conſtitutis hactenus demonſtratam puto, ita ut ab ipſo adverſario honeſte negari non poſſit. Si enim uſura, ſeu, ut adverſarius explicat, pretium uſus pecuniæ æque per ſe juſtum eſſet, ac pretium uſus domorum per ſe juſtum eſt, ut ille contendit; uſuram moderatam ſtipulari cum pauperibus, & a pauperibus ſaltem ſponte ſolventibus eandem accipere illicitum eſſe non poſſet; ſicut penſionem moderatam domorum cum pauperibus ſtipulari, & ab iiſdem ſaltem ſolventibus accipere illicitum non eſt. Conſidera quæ hoc capite diximus, præſertim n. 5., & confer etiam quæ dicentur capite ſequenti n. 11., & nihil, ut

(1) Immo hoc nomine comprehendi vult etiam divites, cum in anguſtiis poſiti, pro pauperibus habentur. Vide pag. 284. n. 18., 288. n. 12., 377. n. 2., 523. n. 14., 752. n. 5., 832. n. 4.

Digitized by Google

ut arbitror, ad demonſtrationem deſiderabis. Charitatis obligatio, quam ſolam adverſarii in caſu pauperum obtrudunt, inepta eſt. Nemini enim unquam charitatis lege interdictum fuit, quod juſtum per ſe eſt ſtipulari cum paupere; nec juſtam ſolutionem, quæ debetur, & ſponte præſertim ſolvitur, ab eodem accipere. Solum ſi poſt ſtipulationem pauper ſolvendo non ſit, ne durius adigatur ad ſolvendum, & opprimatur, charitas flagitat. Id quod veriſſimum dicetur in penſione domus, aut alio debito, non minus verum eſſe deberet in uſura, ſi per ſe æque juſta eſſet, ut ne univerſim in pauperibus illicita ſit. Igitur ſi vel per adverſarium uſura omnis univerſim interdicitur in quolibet paupere, non a ſola charitate, ſed a juſtitia interdicitur, quia ſcilicet per ſe juſta non eſt. Quod autem eam ob cauſſam non licet in paupere, quia eſt injuſtum; in divite licitum eſſe non poteſt, ut omnibus notum eſt: juſtitia enim nec pauperem, nec divitem reſpicit. Itaque ſi uſura in omnibus pauperibus eſt jure naturali illicita, ut adverſarius poſuit; etiam in omnibus divitibus illicita eſt. Nunquam Broederſen, aut quivis alius hoc argumentum probabiliter ſolvet.

CAP. V.

Vindiciæ juris divini circa uſuram; ac primum de uſura injuſtitia. Refelluntur quæ Broederſen hac de re variis in locis ſcripſit.

1. SEd nimium in naturali jure immorati ſumus, cui ſi quis non plane acquieſcat, potiora, & locupletiora, quæ omnino convincent, in divino jure videbimus. Latius de hoc Broederſen agit, quippe in hoc jure catholicum de uſuris dogma nititur. Tota autem cum eodem controverſia ad hoc duplex caput revocatur, num omnis moderata uſura, citra neceſſitatis caſum, a divitibus, ac mercatoribus exacta, a Deo vetita ſit: & num quæ vetatur exigi in neceſſitate indigentium, ſoli charitati, & non etiam juſtitiæ contraria divino jure probetur. De primo capite toto reliquo opere agit a lib. III., ubi divinum jus a Sacris Scripturis expendendum ſuſcipit. De altero autem capite, nonniſi obiter, & per tranſennam variis in locis diſſerit. Hoc tamen in primis ſtatuendum, ut æquius de altero judicium feratur. Si enim uſura, quæcunque divino jure vetatur, uti contraria juſtitiæ vetita ſit; continuo ea, ſive a pauperibus, ſive a divitibus exigatur, erit injuſta, (juſtitia enim neminem reſpicit) ac proinde æque ex utriſque erit vetitum eandem exigere.

2. Quæ nos ad uſuræ injuſtitiam ex divino jure demonſtrandam toto lib. III. attulimus, Broederſen non ſolvit. Teſtimonia recitavimus, quibus fœnus *iniquum*, & *injuſtum* dicitur; alia, quibus *alieni*, & *rapinæ, ac latrocinii* accuſatur; ac plura, quibus ejus reſtitutio neceſſario præcipitur. Broederſen primi generis teſtimonia interpretari, ſeu potius aliorſum diſtorquere conatur, & *iniqui*, vel etiam *injuſti* voces pro illicito quovis lucro ſignificando nonnunquam late acceptas obſervans, *iniquum*, & *injuſtum* jure dictum ait fœnus, quod a pauperibus contra charitatem illicite exigitur. Hoc pendet ex hypotheſi, qua Patres de ſolis uſuris pauperum locutos præſumit, quod falſum octavo capite demonſtrabitur. Interim vero etſi Patres de ſolis pauperibus locuti credantur, quædam tamen ipſorum formulæ hanc interpretationem non ferunt. Unum Lactantii locum, cui præſertim ille inſiſtit, exempli gratia conſiderandum ſubjiciam ex l. 6. Inſtitut. c. 18., ubi de uſura agens, *Plus autem accipere*, inquit, *quam dederis, injuſtum eſt.* Si

p. 169. n. 54. & p. 1546. diſſert. 5.

pag. 550. n. 5.

Si pauperum rationem Lactantius habuiſſet; uſuræ iniquitatem a conditione pauperum derivaſſet, non autem ex eo, quod *plus acceptum, quam datum ſit*. Qui hoc ſolum dixit *injuſtum*, in hoc injuſtitiam notaſſe videtur; ac proinde in ipſa uſura per ſe, quam in eo ſitam Patres, & Canones frequenter produnt, ut *plus accipiatur, quam datum fuerit*. Enimvero ſi mera inhumanitas charitati contraria ex pauperis conditione ſpectetur, non minus ſæpe injuſtum, ſeu illicitum dici deberet *recipere quod datum fuerit*, ideſt ipſam ſortem exigere, cum ſæpius pauperem magis gravet ſortem, quam uſuram ſolvere. Hoc tamen nec ſomniavit Lactantius. Immo etſi ſorti aliquando non parcendum monuit in pauperum gratiam; hæc tamen una, quæ *ſua* creditorum eſt, hos *debere eſſe contentos* dixit, quod juſtitiam proprie dictam, non autem charitatem eum ſpectaſſe demonſtrat: *In hoc genere officii debet ſuo eſſe contentus, quem oporteret alias ne proprio quidem parcere, ut bonum faciat. Plus autem accipere, quam dederit, injuſtum eſt*. Hæc profecto inter ſortem & fœnus diſtinctio, de juſtitia proprie dicta Lactantium locutum præfert. Qui enim in ſolo fœnore recipiendo *injuſtum* notavit, & non notavit in repetenda ſorte, quam uti graviorem pauperes difficilius ſolvunt; non paupertatem, nec charitatem in pauperes, ſed juſtitiam proprie dictam reſpexiſſe cognoſcitur. Id confirmabitur evidentius ex vocibus *ſuo*, & *alieno*, quas in eodem Lactantii textu adhibitas nunc jam conſideraturi ſumus. Similes obſervationes in aliis ſimilibus teſtimoniis afferri poſſent. In quibus tamen interpretandis ſi quid etiam Broederſen nonnunquam videatur argumenti vim eludere, propterea quod in nonnullis *iniqui*, & *injuſti* voces, nullo explorato juſtitiæ proprie ſumtæ charactere, efficiuntur, nunquid vincet, ſi non æque cetera poſſit aliquatenus explicare, quæ uſuram *alieni*, & *rapinæ* accuſant, & reſtitutione condemnant? Non ex illis primis tantummodo teſtimoniis, ſed ex complexu omnium, fœnoris injuſtitiam catholica doctrina certam monſtravimus.

3. *Alienum* a Lactantio, S. Zenone, & aliis Patribus ita appellatur uſura, uti ſors mutuo data dicitur *ſua*. *Sua* autem ſors dicitur, non quia in dominio ſit creditoris, ut Broederſen perperam comminiſcitur, ſed quia id, quod cuipiam debetur, *ſuum*, vulgari, & juris locutione nuncupari ſolet, ut lib. I. c. 4. oſtendi. E contrario *alienum* vocatur, quod nullo jure cuipiam debetur. In hanc ſententiam Patres locutos apertum eſt: ac propterea cum *fœnus alienum*, ſeu *indebitum* teſtentur, nonne fœnus exigere eſt rem indebitam injuſte exigere? Cum in mutuo homines exigunt ipſam ſortem, quę *ſua* eſt, etſi importuna exactione poſſint aliquando contra charitatem peccare; non tamen *injuſtum* proprie dictum exigunt, quia exigunt *ſuum*, quod ſibi juſte debetur. At cum uſuram præterea exigunt, quæ nullo jure debita, *aliena* eſt; non tam contra charitatem, quam contra juſtitiam peccant, quę omnino vetat, ne exigatur, quod indebitum, & alienum eſt. Ipſę Patrum formulæ *alienum* in hac ſententia ſtricte ſumtum ſatis declarant, ut nonniſi per ſummam vim aliorſum traduci, & intelligi poſſint. Lactantius: *Abſtineat ſe prorſus alieno ...... debet ſuo eſſe contentus*. S. Zeno Epiſcopus Veronenſis, de fœneratore loquens: *Sic ſæpe contingit, ut merito perdat etiam ſua, qui deſiderat aliena*. Mitto cetera ejuſdem generis. Nonne *alienum ſuo* ita opponitur, ut ſicut hoc juſtum, ita illud injuſtum, indebitum, ac injuſte exactum indicetur? Quis de domo agens pauperi locata, *alienam* dixiſſet penſionem, quæ, etſi

immiſericorditer fortaſſis exacta, juſte debetur? Quis *concupiſcere* diceretur *alienum*, cum concupiſcit, & petit a paupere creditum ex juſtitia debitum, quod ex charitate exigi non deberet?

4. Hinc *rapinæ*, & *latrocinii* no-
p. 611. n. 11. mina, non late ut Broederſen vellet, ſed proprie ab Ambroſio, Nyſſeno, aliiſque Patribus uſuræ tributa noſcuntur; uti ſane ſeptimo decalogi præcepto uſuram vetari non tam Scholaſtici, quam Eccleſia Catholica in ipſis Catecheſibus docet. Vide Catechiſmum Romanum, & alia ejuſdem generis documenta. Nemo Scholaſticos, aut præſentis Eccleſiæ doctrinam accuſet. Nam hæc non minus, quam antiqua, eſt Eccleſia Chriſti, quæ in doctrina morum falli non poteſt: illi autem, qui Patribus ſucceſſere, cum in doctrina aliqua conſentiunt, traditionis teſtes ſunt, ut pluribus alibi ſtatuimus. Violentum porro nimis, & aperte falſum eſt, quod Broeder-
p. 717. 1. 741. 6. 743. 8. ſen reponit ab Hildeberto, Hugone de S. Victore, Petro Lombardo, & aliis, *furto*, aut *rapina* uſuram accenſeri, quatenus a paupere contra charitatem exigitur. Dum hoc crimen ab iiſdem auctoribus contra ſeptimum præceptum expreſſe ponitur, quis contra charitatem tantum acceptum credat? Quis unquam rapinam ſeptimo præcepto vetitam affirmaſſet penſionem domus exactam a paupere? Id crudelitatis, & immiſericordiæ, non rapinæ vitium aliquando eſſe poteſt, nec contra præceptum ſeptimum, in quo, cum ſolius juſtitiæ commutativæ ratio habeatur, inter pauperem, & divitem nihil diſtinguitur.
p. 741. n. 6. Atqui *furti* nomen *pro qualibet illicita uſurpatione rei alienæ* Hugo, & Magiſter ſententiarum explicant. Quid inde? Nonne ſatis *uſurpationis*, & *rei alienæ* vocabula injuſtitiam proprie dictam innuunt? *Quamlibet uſurpationem rei alienæ* cum dixerunt, non quamlibet mere *illicitam*, ſed *injuſtam* uſurpationem voluerunt comprehendere, nimirum ne quis forte ſeptimo præcepto, quo furtum interdicitur, vetitam putaret ſolam uſurpationem *occultam*, quæ *furti* nomine intelligi ſolet, non vero manifeſtam, quæ *rapina* vulgo appellatur, & multo minus uſuram, quæ aperte ſumta, omni præterea vi rapinæ propria caret. Audiantur Hugonis verba ex lib. 1. de Sacramentis part. 12. c. 7., ubi commemorato ſeptimo præcepto, *Non furtum facies*; *Furtum*, inquit, *accipitur in hoc loco pro qualibet illicita uſurpatione rei alienæ, ſive occulta, ſive manifeſta. Qui enim furtum prohibuit, rapinam non conceſſit: cum ſit majus peccatum, ut teſtantur Sancti, aperte, & violenter rapere, quam occulte ſubtrahere, quia majus odium, & iram excitat. Sub furto etiam comprehenditur uſura &c.* Neque compenſatoriam uſuram Broederſen obtrudat, quæ injuſta non eſt. Hanc, ſi legitime intelligatur, nec uſuram veram eſſe vidimus, nec injuſtitiæ, aut rapinæ, vel furti crimine notatam probare unquam poterit. Juvat quidem ipſum uſuræ compenſatoriæ voce perturbare, & miſcere omnia, & hoc prætextu plures difficultates declinare. Sed hac arte detecta, incaſſum laborabit.

5. Quid ſi his addatur præcepta uſurarum reſtitutio? Broederſen hanc antiquis Patribus prætermiſſam, ſolo Pontificio jure ſeculo XII.
inductam prodit. Primo haud opus p. 1528. n. 4.
fuit Patribus expreſse reſtitutionem memorare, cum ſatis ea intelligatur ab iiſdem præcepta, ubi rapinam, aut latrocinium, aut alieni uſurpationem in uſura notarunt. Plura aliarum rerum certe injuſtarum exempla, in quibus nihil expreſse de reſtitutione Patres præcipiunt, id evidenter demonſtrant. Vide etiam quæ in hanc rem monuimus l. III. c. 2. paullo poſt initium. Deinde non deſunt quædam te-

Digitized by Google

teſtimonia, quæ reſtitutionis obligationem ſatis declarant, ut illud Auguſtini epiſt. 153. ad Macedonium n. 25. *Quid dicam de uſuris, quas etiam ipſæ leges, & judices reddi jubent? An crudelior eſt qui ſubtrahit aliquid, vel eripit diviti, quam qui trucidat pauperem fœnore? Hæc, atque hujuſmodi male utique poſſidentur, & vellem reſtituerentur; ſed non eſt quo judice repetantur.* Broederſen, ut hoc teſtimonium infirmet, obſervat eodem numero S.
p. 650. n. 16. Doctorem æque reſtitutionem præcipere iniquo advocato, qui iniquam cauſam pretio defendit. Sicut autem iniqui patrocinii pretium contra juſtitiam commutativam non eſt, ita nec uſura a pauperibus exacta, quam idem Doctor in eadem ſpecie collocat. Verum ex contextu facile cognoſcitur, Auguſtinum ab advocato exigere, ut clienti eatenus injuſti patrocinii mercedem reſtituat, quatenus hac via illum ad reſtitutionem alienæ rei ſuo patrocinio injuſte ablatę adducat. Id palam indicant verba, quibus advocatum in ipſa reſtitutione ſic cum cliente loquentem inducit: *Recipe quod mihi, cum tibi male adeſſem, dediſti, & redde adverſario tuo, quod me male agente abſtuliſti.* Idipſum confirmant, quæ ſtatim de mercede iniqui patrocinii non retinenda ſubjicit: *Niſi forte reſtituendum eſt alienum, quod per furtum clanculo aufertur; & reſtituendum non eſt, quod in ipſo foro, ubi peccata puniuntur, decepto judice, & circumventis legibus obtinetur.* Hæc ſane non meram reſtitutionem mercedis, quæ licet inique quæſita, per ſe tamen non retineretur injuſte; ſed rei injuſte evictę reſtitutionem, cui & cliens, & advocatus obligantur, proſpiciunt: cumque S. Doctor loquatur de caſu, in quo cliens reſtitutionem negligit, advocatum de reſtitutione ſaltem hac via procuranda commonendum putavit. Quod ſi S. Doctor hac in epiſtola certis injuſtitiæ proprie dictæ criminibus certam reſtitutionis obligationem afferentibus recenſitis n. 24. nequaquam accenſuit obligationem iniqui advocati, aut uſuram; attente legentibus tamen conſilium ejus non illud fuiſſe patebit, ut hæc a reſtitutione, & injuſtitia proprie dicta eximeret (immo de exactiori juſtitia locutum indicant illa n. 25. *ſi juſtitia ſincerius conſulatur*) ſed ut a certis injuſtitiæ criminibus, quæ contra jus ſocietatis aperte patrata, & in ipſo externo foro coercita, manifeſtam reſtitutionis obligationem præferunt, ea diſcerneret, quæ etſi paris obligationis coram Deo, vulgo tamen negligerentur a pleriſque, quod in iis externi fori vis ad reſtitutionem non cogeret. Carnales enim homines, niſi legum, & judicum auctoritate compellantur, ſola conſcientiæ, ac naturalis, vel divinæ legis obligatione moveri non ſolent. Propoſitum quidem S. Doctori fuit de iniqui advocati obligatione potiſſimum dicere, quam idcirco plures prętereunt, quod iniquæ litis victoria, judicum, atque legum circumventione parta, nihil a legibus, vel judicibus metuat. At hoc ut confirmaret alio fortiori exemplo, illa ſubjecit de uſuris, quas etſi certo reſtituendas, ipſæ tamen leges, & judices *reddi*, ideſt ſolvi non jubent, ita ut reſtitutio deſiderari quidem poſſit, at ſperari, & exigi ab iis, qui ſolo metu, ac vi externa moventur, non poſſit. Hæc genuina Auguſtini mens, & ſententia eſt. Sicut autem in primo caſu reſtitutio, quam Auguſtinus faciendam monet, juſtitiæ ſtricte ſumtæ reſtitutio eſt, ita & in ſecundo: unde hic locus, & exemplum a Broederſen objectum veram commutativam juſtitiam potius ſtatuit, quam deſtruit. Hinc autem patet, qua œconomia SS. Patres de reſtitutione uſurarum egerint, dum civilibus legibus permittebantur. Satis ipſis erat monere populos hujus obliga-

tionis; huic autem re ipſa illos, quos anteactæ vitæ pœnitebat, ſatisfeciſſe, ut de advocatis ibidem dixit Auguſtinus, dubitare non licet. Quæ ex duobus, vel tribus teſtibus hanc reſtitutionem in pauperes conſulentibus Broederſen objicit, lib. III. ſoluta invenies.

6. Ex his autem falſum eſt reſtitutionis legem a Pontificibus ſeculo XII. inductam fuiſſe. Num Romanæ Sedi novitas affigitur? Num in hac novitate tota Eccleſia deinceps conquieſcens, in errorem prolapſa eſt? Impium eſſet, & Catholicis auribus horrendum, ſi hoc diceretur: ipſeque Broederſen ab hoc maxime abhorrens, catholico viro indignum fatetur, *ſi auderet exprobrare Eccleſiæ, eam in uſurarum materia a ſeculo XIII. errare, ac homines in errorem inducere.* Quid ergo? Vide qua ratione ſeſe ex propoſita difficultate expediat. Cum præceptam uſurarum reſtitutionem, quæ tot eccleſiaſticis documentis ingeritur, inficiari non poſſit; hanc diſciplinam inductam ait eo tempore, quo uſuræ immodicæ graſſabantur. Hæ igitur cum eſſent injuſtiſſimæ, & crudeliſſimæ; jure harum reſtitutio præcepta fuit. Deinde in peculiaribus locorum, & temporum circumſtantiis omnes fere uſuræ poterant eſſe ejuſmodi, quæ ex modica pecunia, ac ex pauperibus exigerentur. Hæ quoque jure ibidem eo tempore vetandæ fuerunt, quod tamen ad alia loca, & tempora, in quibus eæ circumſtantiæ non adſint, ac ea diſciplina non vigeat, extendendum non eſt. Uſuras tamen ut *intereſſe*, quæ his præſertim temporibus approbatæ inveniuntur, hiſce canonibus, & Pontificiis decretis nequaquam comprehenſas, neque reſtitutionis obligationi ſubjectas ſæpius repetit. Hoc poſtremum cum falſam hypotheſim ſuperius rejectam præſumat, videlicet *intereſſe* legitimum eſſe veram uſuram, nihil ad rem; de vera enim uſura & Concilia, & Pontifices loquuntur; intereſſe autem pro uſura non habuerunt, niſi cum ementito intereſſe nomine uſura tegeretur, ut Courſinis, aliiſque uſurariis mos fuit. Hoc idem valet ad refellendum id, quod Broederſen ex Scholaſticis, ne ſibi omnes adverſari videantur, nonnullibi reponit, nimirum plures ex his eoſdem caſus abs ſe defenſos vindicare, nec reſtitutioni ſubjicere, ſive titulo intereſſe, ſive alterius contractus nomine. Hi enim omnes nec mutuum eſſe contendunt contractus, quos defendunt; neque lucrum volunt ex mutuo, quod pro intereſſe percipitur, ut idem Broederſen fatetur pag. 1536. n. 5. Nihil ergo hæc ad veram uſuram pertinent, de qua nunc agimus, & quam omnes Scholaſtici, etiamſi in contractibus, vel titulis diſſentirent, ex doctrina tamen catholica reſtituendam certiſſime, & unanimiter profitentur.

p. 1627. n. 2.

p. 1729. n. 5. &c.

p. 991. n. 6.

p. 1129. n. 15. 1132. n. 8. &c.

p. 169. fin.

In reſtitutione præcipienda non fuit habita ratio ſolius uſuræ immodicæ.

7. Quod ſi de vera uſura ſermo ſit, quid primo uſuras immodicas obtrudit? Eſto uſuræ aliquæ, vel plures, ſeculo XII. & XIII. eſſent immodicæ, nonne Concilia, & Pontifices non has ſolum, ſed omnes uſuras reſtituendas præcepere? Num uſuræ eo tempore non exercebantur niſi immodicæ? Num omnes quibus pecunia credebatur, iis premebantur anguſtiis, ut in immodicam uſurarum ſolutionem conſentirent? Nonne alia Eccleſiæ documenta de uſuris etiam ad ſtatutorum, ac legum modum exactis ſtatuunt? Certæ uſuræ, quas reſtituendas memorat Concilium Viennenſe, probatæ erant a ſtatutis civitatum, quæ cum eo tempore eſſent liberæ Reſpublicæ, legiſlativa ſuprema poteſtate fungebantur. Et ut alia plura monumenta prætermittam, Gregorius XIII. cum an. 1581. in Apoſtolicis literis ad Guillelmum Bavariæ Ducem *retineri non poſſe*, ac proinde reſtituendas reſcripſit uſuras, quæ ex Germanicis legibus pendebantur; de quinque in centum, quæ mode-

rata

Digitized by Google

rata uſura eſt, expreſſe loquebatur. Quod ſi quibus immodicæ videntur uſuræ ſtatutorum, quibus decem, vel duodecim in centum ſolvenda erant; is, ut alibi obſervavimus, pro ſui loci, & temporis more alia loca, ac tempora metitur: neque cogitat alia, atque alia ratione æſtimari, & emi ipſos camporum redditus pro varietate locorum, ac temporum. Ubi pecunia eſt rarior, redditus vilius venduntur, & major redditus minori pretio emitur. Hinc noſtro quoque tempore alicubi redditus emuntur ad rationem ſeptem ſcutorum in centum, cum alibi vix tria in centum redeant. Tempore Statutorum, quæ memoravimus, duodecim, vel quatuordecim etiam in centum acquirebantur in redditutum, ac cenſuum realium emtione, ut ex Martini V. Bulla liquet. Quis ergo ſimilem uſuræ redditum pro immodico habeat? Duodecim nummos in centum Romanis legibus taxatos pro quantitate juſta, ac tam exigua, quam attentis rerum, temporis, ac loci circumſtantiis fieri poterat, ipſe Broederſen agnoſcit. Quid tandem, quod Scholaſtici cum de uſurarum reſtitutione loquuntur, non de immodica tantum, ſed de omni uſura uno conſenſu loquuntur? Aliam autem Epiſcopis, & Pontificibus, qui vel Scholaſtici fuere, vel a Scholaſticis non diſſentiebant, fuiſſe uſuræ, & reſtitutionis notionem, merum eſt ſomnium.

p. 399. n. 5.

Id ipſum confirmatur.

8. Quid quod in ipſa immodica uſura, ſi hæc ſola ab iiſdem injuſta habita fuiſſet, cum reſtitutionem pro injuſtitia præceperunt, ſolius exceſſus reſtitutionem debuiſſent præcipere; ſolus enim exceſſus ea in ſententia injuſtus eſt, non autem quod modum legum ſervat. Sic quidem ſi in immodico venditionis pretio excedatur, reſtituendum eſt non totum pretium, ſed quod juſtam mercis æſtimationem excedit. Atqui in pœnam totius uſuræ reſtitutionem præceptam fortaſſis dices, ut ne fœnus omne injuſtum probetur. Cum quid in pœnam præcipitur, in ſolo externo foro, & in caſu culpæ præcipitur. At ad reſtitutionem omnis uſuræ nonnulli Canones, & Decretales primo obligant in conſcientia, ubi nulla fori externi actio præſumitur. Urbanus III. a quodam Presbytero Brixienſi de nonnullis caſibus, qui uſurarum ſpeciem præferebant, conſultus, ſi de uſura ex hominum confeſſione conſtaret, illos *ad ea, quæ taliter ſunt accepta, reſtituenda, in animarum judicio efficaciter inducendos* reſpondit. Animarum judicium conſcientiæ forum indicat. B. Ivetta, quæ errore vulgari uſuram admiſerat, cum illam malam, ac reſtituendam novit, ſolo interni fori judicio movebatur. Vide teſtimonium a nobis recitatum l. III. c. 2. §. 4. in fine. Pœnales leges plerumque non feruntur niſi in ea, quæ poſt legem perpetrantur. At uſuræ omnis reſtitutionem, quam Alexander III. in Concilio præceperat, obligare etiam quoad uſuras perceptas ante concilium, cum quidam in errore, uti fertur, communi, quo eædem *quaſi licita* habebantur, invincibili fortaſſe ignorantia laborabant, idem Pontifex Salernitano Epiſcopo ſignificavit. Quid quod eidem reſtitutioni non tam obligantur illi, qui uſuras patrarunt, quam eorum filii, aut heredes, quantumvis extranei, qui nullo crimine illigati, nulla pœna coerceri debuerunt? Vide Can. *Tua nos* ejuſdem Alexandri III., qui titulo *de uſuris* inſertus eſt. Tandem nonne æque Canonibus reſtituendæ decernuntur omnes uſuræ etiam moderatæ, in quibus nulla pœna pro exceſſu comminiſci poteſt? Ideo ergo reſtitutio univerſim præcepta noſcitur, quia omnes uſuræ per ſe æque injuſtæ cenſentur.

De Uſur. c. *Conſuluit.*

Can. *Quia in omnibus* ib.

Can. *Cum tu manifeſte.* Ibid.

Nec habita fuit ratio peculiarium circumſtantiarum loci aut temporis.

9. Quod dein ait de circumſtantiis locorum, ac temporum, ridiculum eſt. Leges Eccleſiaſticæ, quæ uſuras reſtituendas præſcribunt,

Digitized by Google

bunt, non unius, vel alterius loci, aut temporis ſunt. Quædam ſunt generales, quæ omnia loca Chriſtiani orbis ligant: omnes autem particulares ejuſdem ſententiæ ſunt, & idem ſemper canonicum jus apud Catholicos viguit, ac viget. Poſſibile ne eſt, omnibus in locis, & omni tempore circumſtantias eaſdem fuiſſe, ut de exiguis ſummis, vel de pauperibus tantum ageretur? Nonne ex eo præſertim tempore, quo hoc novum jus conditum fuit, eodem Broederſen fatente, mercatura multis in locis ſupra antiquum tempus floruit, & pecunia apud hos, & alios divites ſub uſuris collocata ſemper fuit?

pag. 1128. n. 5.

Nec uſuræ ex ſummis exiguis.

10. Porro quod de ſummis modicis dicitur, inane eſt. Si enim uſura moderata pro uſu pecuniæ juſta eſſet, non ſolum in magna, ſed in exigua etiam ſumma eſſet juſta. Num forte exigua ſumma pecuniæ nullum uſum habet? Nonne in negotiationem aliquã viliſſimarum, ac minimarum mercium, ex.gr. pomorum, modica ſumma ſatis eſt? Si ſocietas legitima in ejuſmodi negotiationem etiam cum paupere ineatur, juſtum erit lucrum: ſi ineatur uſura, quæ æque per ſe juſta ab adverſario creditur, ex pecuniæ paucitate injuſta reddetur? Hæc injuſtitia, quam ille in uſura fateri cogitur, non ex modica ſumma, ſed ex uſura ipſa derivet neceſſe eſt.

Nec conditionis pauperum.

11. Quod vero non ſolam paucitatem, ſed conditionem pauperum Broederſen præſertim inculcat, ejuſque conditionis gratia reſtitutionem ex charitate jure præceptam ſubindicat, nihil ipſi prodeſt. Quæ enim charitatis lex reſtitutionem præcipere poteſt? Num reſtitutio præciperetur in alia re, quæ etſi a paupere contra charitatem exacta, in ſe tamen juſta ſit, ac juſte debeatur? Num paupertas a juſtitiæ debito liberat, & injuſtum facit, quod per ſe juſtum eſt? Si autem hæc vis paupertati, & charitati nequit attribui; cur ex conditione pauperis reſtitutio ejus, quod juſte exactum eſt, præcipiatur? Neque opponas de pignore, quod ut pauperi ante ſolis occaſum reſtitueretur, Deus & in Exodo 22. v. 26., & in Deuteron. 24. v. 12. mandavit. Nam primo de pignore veſtis, ſeu potius nocturni operimenti maxime neceſſarii agebatur: *Ipſum enim*, ut in Exodo traditur, *eſt ſolum, quo operitur indumentum carnis ejus, nec habet aliud, in quo dormiat*; unde ante ſolis occaſum, ut in eo dormire poſſet, reſtituendum præcipitur. Quæ autem tam vilia, & neceſſaria ſunt pignora, non ſponte offerri, nec, ſi etiam offerantur, accipi ſolent pro cautione mutui; ſed ſolum in ſolutionis mora per vim capi queunt a creditore, ut debitor metu hujus moleſtiæ, quam pati poſſet ſublata re tam neceſſaria, de ſolvendo celerius cogitet. Ita quidem apud Orientales, & Græcos pignoris captio uſitata erat, quæ tamen in rebus neceſſariis & Græcorum, & Romanorum jure vetita fuit. Hanc captionem pignoris indicant illa Job. 24. v. 3. *Abſtulerunt pro pignore bovem viduæ*. Si ergo de pignore tam neceſſario, ac per vim capto Scripturæ loca intelligenda ſint, ut Salmaſius probabilius exiſtimat; in violenta & injuſta acceptione, quam Hebræorum leges non probabant, ſed potius improbabant, quis reſtitutionem ex juſtitia præceptam non videat? Adde ſecundo ſermonem eſſe de pignore, quod non in creditoris, ſed in debitoris dominio eſt; ac proinde cum pignoris reſtitutio jubetur, id agitur, ut ſuum, & ita neceſſarium, pauperi reddatur: unde S. Hieronymus in c. 18. Ezechielis ad ea verba *pignus debitori reddiderit*, quæ de paupere accipienda monet, *ſi autem*, inquit, *juxta ea quæ ſequuntur, panem eſurienti dare debemus, & nudum operire veſtimento, quanto magis ſuum reddere &c.* Notanda *ſuum reddere*. Hæc quoque Ezechielis verba de pi-

De modo Uſurarum c. 13. p. 558.

pignore per vim capto interpretatur Salmaſius. Quid ſimile in uſura, ſi per ſe juſta, debita, ac ſponte præſertim a paupere ſoluta creditoris *ſua* ſit? Quod ſi etiam exigatur, at juſte ſit debita, num reſtitutio ejus præcipienda eſſet? Quis pauperibus reſtituendam præciperet domus penſionem, aut ſummam creditam, quarum ſolutionem æque immiſericorditer nonnunquam exigi Broederſen agnoſcit? Nemo, ut arbitror; quia etſi hæc exactio contra charitatem pugnet, non tamen adverſatur juſtitiæ, quæ ſola reſtitutionem proprie dictam præſcribit. Poſſet aliquando præcipi eleemoſyna, vel mutuum, ut anguſtiis pauperis, in quas duriori exactione conjectus fuit, ex charitate conſulatur; reſtitutio autem ejus, quod debebat ex juſtitia ſolvere, non eſſet præcipienda, cum de iis ſolis, quæ juſtitiam commutativam lædunt, vera reſtitutio intelligatur. Facilius in lucro turpi, alias non injuſto, quod ex iniquitate, ex. gr. ex meretricio, vel alio crimine, acquiſitum ſit, quædam reſtitutio nonnunquam, vel eleemoſyna potius in pauperes, maxime in conſcientiæ foro, præcipi poteſt, ne quis ex iniquitate lucrum capiens, ad eandem lucri cauſſa iterandam alliciatur. At in lucro, quod legitimo contractu, ac juſto titulo ſine ullo crimine debitum, contra ſolam charitatem duriter exigatur, quænam lex reſtitutionem unquam præcepit? Itaque cum in uſura præcepta fuit reſtitutio, non ſolius charitatis, ſed juſtitiæ præſertim ratio habita fuit. Equidem Pontifices, Concilia, Epiſcopi, æque ac Scholaſtici omnes, non aliam, niſi juſtitiæ reſtitutionem in uſura agnoſcunt; unde generalem illam reſtituendi rationem commutativæ juſtitiæ propriam omnes præſumunt, quam in caſu quidem uſurarum expreſſit Alexander III. *Quia juxta verbum B. Auguſtini non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.* Reſtitutio ex mera charitate debita novum eſt adverſariorum figmentum, a quo omnes Catholici abhorrebunt. Stet igitur uſuram, cujus reſtitutionem, tanquam ex juſtitia commutativa debitam, catholica Eccleſia præcipit, eidem juſtitiæ commutativæ oppoſitam credi oportere; nihilque a Broederſen allatum eſſe, quo hæc catholica doctrina in dubium vocari queat.

P. 552.

P. 1575. ante fin.

De Uſur. can. *Cum in manifeſtis.*

C A P. V I.

De jure divino ex Teſtamento veteri. Refellitur liber tertius Broederſen.

1. SEd age jam potiſſimum controverſiæ caput aggrediamur, in quo Broederſen toto opere maxime laborat, ut uſurarum prohibitionem in Scripturis, & Patrum traditione, in Conciliis, & Pontificiis decretis conſtantiſſime firmatam, ab uſuris divitum, & negotiatorum excludat. Quando autem uſuræ injuſtitiam diluere non potuit, irritus hic omnis labor eidem cedet: quod enim injuſtum eſt, æque ex divite, ac paupere exactum prohibetur. Hoc unum mihi ſatis eſſet ad totum Broederſen conatum infringendum. Verum ad abundantiam potiora ejus argumenta expendamus.

2. Itaque libro tertio *de divina veteris Teſtamenti lege ſpeciatim quantum ad uſuras pertinet*, fuſe differens, ſolas uſuras, quæ a pauperibus exiguntur, vetitas contendit. In Exodo enim, atque Levitico ſolius pauperis, & attenuati fit mentio: ad harum autem legum rationem cetera teſtimonia omnino exigenda, & explicanda pronuntiat, ne lex Moyſis curſu temporis aucta, & extenſa dicatur. Uſuras porro omnes, etiam compenſatorias, iiſdem Exodi, & Levitici legibus comprehendi putat, quas a pauperibus nequaquam exigendas facile quilibet

Broederſenii ratiocinationis compendium.

P. 188. n. 11. & alibi.

bet conſentiet. Si porro compenſatoriæ uſuræ in divitibus vetitæ dici nequeunt, & eatenus omnes veteris Teſtamenti leges exceptionem aliquam ferunt; generales earundem legum formulas pro omni fœnore condemnando perperam allegari concludit. Ubi autem exceptio aliqua, ex. gr. compenſatoriæ uſuræ, in divitibus admittenda ſit, licet in ſacris libris non exprimatur; quid vetat, omnes moderatas uſuras e divitibus, ac mercatoribus exactas excipere, quæ non minus ac compenſatoriæ juri naturali non adverſantur? Hoc totius Broederſeniani ratiocinii compendium eſt. Quot autem ex capitibus nutat?

Refellitur.

3. Primo quod pertinet ad uſuras compenſatorias, ea falſa, & a nobis antea rejecta hypotheſi innititur, qua veri ceſſantis lucri reſtaurationem pro vera uſura habet, & uſuræ nomine in Scripturis ſignificatam nulla probatione affirmat. Id ejuſdem eſt generis, ac illud quo uſuræ nomine Deuteronomii cap. 23. v. 19. vetitum indicat, ne a paupere quidpiam exigatur, non tam pro pecunia, vel frugibus, quæ uſu conſumuntur, quam pro uſu equorum, vel curruum, ſi quo caſu his indigeat. Reſponſurus enim adverſario, qui in eo Deuteronomii loco uſuræ prohibitionem *ex qualibet alia re*, de re conſumtibili interpretatus fuerat; *Certum eſt*, inquit, *proximo indigenti, gratis dandum, ſive donandum eſſe uſum, non modo pecuniæ, ſed & curruum, equorum &c., quando charitas exigit, ut per uſum eorum proximus juvetur.* Ita nimirum penſionem equi, vel currus, qui pauperi tradatur, uſuram in Scripturis dictam putat, uti de equo, vel curru mutuum nonnunquam dictum eſt. Quis unquam ſimilem uſuræ notionem audivit? Nihil tamen mirum accidet, ſi cogitemus hoc maxime intereſſe ejus, ut propoſitum ſuſtentet. Si enim ſemel obtineat, in veteri Teſtamento uſuræ nomine, & juſtam compenſationem ejus, quod vere intereſt, & penſionem juſtam locati equi, vel currus ſignificari, quæ in ſolis pauperibus illicitæ ſunt; jam ſolam uſuram a pauperibus exactam ibidem vetari obtinebit. Acutum interpretationis conſilium, ſed ipſa interpretationis novitas ab omnium ſenſu, omnique ratione aliena, ſatis luculenta refutatio eſt.

P. 1721. n. 20.

P. 42. n. 40.

4. Si porro naturale jus omnem omnino uſuram, etiam in divitibus, vetet, eaque juſtitiæ commutativæ adverſetur, ut ſuperioribus capitibus oſtendimus; totum hoc Broederſen ædificium cadit: ideo enim excipiendos divites putat, quia lucrum ex his moderate perceptum, nec naturali juri, nec juſtitiæ commutativæ contrarium exiſtimat. Sed ut præſcindamus interim ab his, nec non a ceteris, quæ moroſiorem diſputationem exigerent; de lege Deuteronomii 23. v. 19., quæ Moyſis lex eſt, & quæ aperte inter fratres, ac alienos diſtinguens, nullam omnino ſaltem inter fratres exceptionem ſuſcipit (ut lib. IV. c. 2. fuſius oſtendi) multis quidem Broederſen agit cap. 21., at nihil eſt, quod evidentiſſimam ratiocinationem a nobis memorato loco propoſitam probabiliter diluat. Hac enim lege aliquid diſtingui inter alienos, & fratres, & inter hos vetari aliquid, quod inter alienos permittitur, ex ipſis Deuteronomii verbis, ne inania, ac nugatoria habeantur, certum eſt. Si autem ſola uſura inter fratres pauperes vetaretur, quam uti charitati contrariam inter alienos item pauperes vetitam Broederſen fateri cogitur; nulla eſſet in hac lege inter fratres, & inter alienos diſtinctio. Salmaſius, etſi uſurarum patronus, cum hanc novam interpretationem a Cloppenburgio Theologo Calviniſta audivit, adeo incredibilem, ac textui repugnantem judicavit, ut eam nemini *ſano*, & *docto* probari poſſe

Locus Deuteronomii omnes fratres etiam divites complectitur.

P. 1231.

P. 998. n. 8.

De Fœnor. trapez. pag. 688.

poſſe affirmaverit: *Cum velit idem Theologus*, inquit, *ſoli pauperi Judæo fœnerari Moyſen interdixiſſe, non etiam diviti; nullatenus video quomodo potuerit ſenſum iſtum ex illis Deuteronomii verbis elicere, non eſſe fœnerandum fratri pauperi, & eſſe fœnerandum extraneo diviti, cum ſine ulla diſtinctione, niſi peregrinitatis, ita lex generaliter firmata ſit: Extraneo dabis in uſuram, fratri autem non dabis. Ergo ſubintelligendum, ut ſenſus, quem Theologus exigit, conſtet, extraneo diviti dabis, fratri autem pauperi non dabis. Quod adeo ridiculum mihi videtur, ut nihil magis.* Erunt fortaſſis, qui diſtinctionē valde ſpecioſam afferant ex libello iterum edito an. 1741., cui titulus: *Examen Theologique ſur la ſocieté du prêt a rente entre Bail et Pontas*; ubi cum ſocietatis nomine defendatur uſura a mercatoribus percepta, Deuteronomii locus ſic explicatur: *Non fœnerabis fratri tuo pauperi. Ne prêtez point a interét a vos freres, qui ſont dans le beſoin: ce ſeroit une injuſtice criante. Vous pouvez le faire envers tout étranger aiſe & induſtrieux comme ſant ſelon les loix de l' équité que vous ne violerez jamais; ſed alieno: cet mot dit tout étranger.* Ideſt: *Non fœnerabitis fratribus veſtris, qui indigent: id eſſet injuſtitia reprehenſione digna. Fœnerari poteſtis cum quovis alieno divite, & induſtrioſo negotiatore ex æquitatis legibus, quas nunquam violabitis.* Sed alieno: *Hoc verbum ad omnes extraneos extenditur.* Hinc uſura inter Hebræos vetita, cum extraneis autem licita dicenda eſſet, propterea quod penes Hebrços omnes pecunia indigentes eſſent pauperes a negotiatione alieni, penes extraneos vero omnes eſſent locupletes, ac mercatores. Huic autem interpretationi, quam ipſa novitas reprobat, & factum, & obvius ſenſus repugnant. Nam apud Hebræos

Eſdræ l. 2. c. 5.

non omnes erant pauperes; cum alii prædia haberent, quibus de pecunia cavebant; alii etiam negotiationi vacarent, ut libro IV. de Jure divino oſtendi c. 2. §. 4. Inter gentes autem pauperes non deerant; nec omnes, qui mutuum ab Hebrçis peterent, mercaturæ tantummodo cauſſa petere poterant. In ipſo autem Deuteronomii textu animadverſione dignum eſt, integrum verſiculum non tam memorare uſuram *pecuniæ*, quam uſuram *frugum*, ſeu *cibi*, ut juxta Hebræum legitur apud Cyprianum l. 3. Teſtimoniorum num. 49., & cum hæc inter Hebrços omnino vetatur, tum cum extraneis permittitur. Uſura autem *frugum*, quæ præſertim in *cibum* creduntur, ad pauperes pertinet. Igitur non tam divites, quam pauperes reſpicit Deuteronomii locus, ſive cum uſuram inter fratres prohibet, ſive cum ab extraneis recipi ſinit. Nulla ergo alia inter utroſque diſtinctio affertur, niſi alieni, vel fratris; nec aliam ſane fert ipſius loci ſententia, quæ ſi in uno ſenſu recipienda eſſet, cum ad fratres refertur, in alio autem, cum refertur ad exteros, nullum vere eſſet, quod præfertur, diſcrimen; ac ita locus hic nugatorius, & ridiculus eſſet. Quid porro ad hæc, vel alia argumenta ſolvenda confert cum Broederſen ingerere, Deuteronomium non novam legem continere, ſed merum eſſe (ut a Philone, & Auguſtino appellatur) compendium, ſeu repetitionem ejus legis, quæ in Sinæ monte promulgata, in Exodo, ac in Levitico exponitur? Hoc eo conſilio objici ſolet, ut in Deuteronomio nihil in lege additum, aut magis explicatum credatur, quam in Levitico, & Exodo; & ita Deuteronomii verba extra caſus *pauperis*, & *attenuati*, qui in his libris exprimuntur, haudquaquam extendantur. At quod hic præſumitur, totam legem ita contineri in Exodo, atque Levitico, ut in Deuteronomio nihil additum, aut magis explicatum reperiatur, falſiſſimum eſt. Ubi e-

nim in Exodo, vel Levitico de remiſſione debitorum anno ſeptimo agitur, de qua in Deuteronomio ſermo eſt? Ubi explicationes quædam circa jusjurandum, vel alia præcepta, quæ nonniſi in Deuteronomio inveniuntur? Ipſum mandatum de diligendo Deo, quod tamen eſt *primum, & maximum mandatum*, toties a Chriſto ex antiqua lege repetitum, in nullis aliis Pentateuchi libris, ſed in uno Deuteronomio legitur. Hinc quidem nonnulla in Deuteronomio addita ipſe Broederſen debuit concedere pag. 334. n. 35., & quod ſane de uſura erga alienos dicitur, nec in Exodo, nec in Levitico innuitur. Ergo Deuteronomii locus non explicandus, nec reſtringendus eſt ex hiſce libris; ſed horum potius librorum textus ex Deuteronomio explicandi ſunt. Cur autem in illis libris *pauperis, & attenuati* fiat mentio, juſtam ex ejus temporis circumſtantiis cauſſam nos memorato libro IV. cap. 2. attulimus; ac præterea nullam idcirco reſtrictionem legis factam oſtendimus ex aliis generalibus ejuſdem Scripturæ locis; ac præſertim ex Deuteronomio, ubi fratrum nomen omnes Judæos complectitur, apertiſſime cognoſcimus.

5. Hinc ſane Sancti Patres uſuras inter omnes fratres Judæos a Moyſe vetitas tradiderunt. Clemens Alexandrinus l. 2. Stromatum: *Lex prohibet fratri fœnerari, fratrem nominans non eum ſolum, qui ex iiſdem natus parentibus, ſed etiam qui fuerit ejuſdem tribus, ejuſdemque ſententia, & ejuſdem verbi particeps*, ideſt omnem Hebræum. Tertullianus l. 4. in Marcion. c. 16. *Chriſtus in omnes præcepit, quod creator in fratres .... Quandiu intra Iſraelem erat Sacramentum, merito in ſolos fratres miſericordiam mandabat* &c. S. Hieronymus in c. 18. Ezechielis: *In principio legis a fratribus tantum fœnus tollitur, in propheta ab omnibus uſura prohibetur* &c. S. Ambroſius de Tobia c. 14. & 15. adeo fœnus inter omnes fratres vetitum credidit, ut ipſis fœnus cum ſolis alienigenis permiſſum, ac ex ſolis Hebræorum hoſtibus, quos licuiſſet occidere, accipiendum interpretetur. Quid plura ex Patribus afferam? Nonne ipſi Hebræorum magiſtri, & veteres, & recentiores in hoc conſentiunt, uſuras inter ſe nulla diſtinctione, ac exceptione vetari? Fruſtra Broederſen Joſephi, & Philonis teſtimonia interpretari ſtudet, ut de ſolis pauperibus loqui videantur. Nonne quamplurium Rabbinorum, qui in locum Deuteronomii commentaria ſcripſere, teſtimonia, & ipſa etiam quotidiana Judæorum praxis, atque doctrina, quæ a veteri traditione deſcendit, contrariam quamlibet interpretationem falſitatis convincit? Vide nonnullorum Rabbinorum teſtimonia apud Broederſen p. 260. n. 16. & 17., quæ nullam inter fratres exceptionem ferunt. Ipſi Mahometani, qui ab Hebræis plura ſumſere, & uſuram cum ſolis alienis licitam putant, hoc ipſum confirmant. Credibile ne eſt omnes & Patres, & Hebræos decipi, ac ſolum Broederſen cum ſuis veram interpretationem noviter detexiſſe? Iidem Hæretici, etiam uſurarum patroni, Calvinus, Grotius, & alii, qui Deuteronomii locum de omnibus fratribus accipiendum viderunt, hanc novitiam opinationem repudiabunt. Mitto quæ de ceteris veteris Teſtamenti teſtimoniis Broederſen obtrudit, nam præterquamquod ea ſatis lib. IV. rejecta ſunt, ſi hoc unum, & potiſſimum Deuteronomii teſtimonium, id, quod contendimus efficaciter probet, nihil in ceteris proficere poterit.

CAP.

Digitized by Google

CAP. VII.

De novo Teſtamento contra librum quartum Broederſen.

p. 437. 1. NUnquid vero meliori ratiocinatione utitur libro quarto, ubi *de divino novi Teſtamenti jure circa uſurarum prohibitionem* diſputat? Veterem de uſuris legem in novo Teſtamento ad omnes etiam alienos extenſam, confirmatam, & ad perfectiorem gradum evectam nos lib. IV. c. 3. monſtravimus. Si ergo vetus lex omnem uſuram inter Hebræos fratres etiam non pauperes vetuit; fieri nequit, ut perfectior, & amplior lex eandem ad ſolos pauperes reſtrinxerit. Ideo Broederſen aliquid probare videri poteſt, quia veterem legem de ſolis pauperibus interdixiſſe ab ſe probatum præſumit. At ſi hæc præſumtio ex demonſtratis hactenus inaniſſima eſt; nonne tota allati argumenti vis efficaciſſime probat? Quod autem veterem legem, quæ uſuras compenſatorias vetabat, in Evangelio reſtrictam contendit ex eo, quod in Evangelio compenſatoriæ uſuræ permittuntur; ſæpius memoratæ falſiſſimæ hypotheſi circa uſuram compenſatoriam adhæreſcit. Præterquamquod ſi vetus lex de ſolis pauperibus egiſſet, in quibus uſuram compenſatoriam jure naturali illicitam prędicat; nunquid ex Evangelio huic reſtrictioni locus eſſe potuit?

p. 494. c. II. 2. Unum ex Matthæo, & Luca vehementius urget, ubi Chriſtum in parabola de ſervo pigro nummulariam fœneratitiam negotiationem, ac lucrum approbaſſe contendit. Mirum eſt hominem, qui omnes uſuras e pauperibus exactas damnat, in uſuræ probationem attuliſſe parabolam, quæ ſi probat, nummulariorum fœnus ex pauperibus maxime probat. Nummularii nimirum iis in locis memorati ii erant, qui ad menſam publicam ſedentes, pecuniam quibuslibet, præſertim pauperibus, ſub fœnore tradebant, ut late probat Salmaſius lib. 3. de Fœnore Trapezitico, & colligi poteſt vel ex illo Origenis homil. 4. in Pſ. 36., quo idem officium homini juſto nequaquam congruere affirmans, *Nunquid*, inquit, *& hic hoc putabitur, quia juſtus tota die ſedeat ad menſam, & habens pecuniam ante ſe, hanc fœneret neceſſitatem patientibus?* In quæ verba idem Broederſen obſervat: *De iis ſolis*, p. 544. n. 2. *qui neceſſitatem patiuntur, cogitavit Origenes, cum conſideravit illos, qui ad fœneratorum menſam accurrerent.* Et ſimiliter paullo ante, eoſdem p. 398. n. 17. Confer pag. 1033. n. 22. & p. 642. n. 7. nummularios, qui publicam menſam ad fœnus paratam habebant, ab Auguſtino jure damnatos fatetur: nam potiſſimum *uſura illa erga pauperes exercebatur*. Num peccant nummularii, qui pecuniam ſub uſuris tradunt omnibus, etiam pauperibus, ac neceſſitatem patientibus; & non peccant illi, qui pecuniam iiſdem ad menſam committunt, ut illam omnibus, etiam pauperibus, ac neceſſitatem patientibus, ſub fœnore credant? Ceterum æquiſſimam, & literalem hujus parabolæ interpretationem, quæ in uſuræ condemnationem potius cedit, fuſe propoſuimus lib. II. c. 6. §. 1., cui interpretationi non ſatis ęqua reſponſio in tota Broederſen diſputatione reperietur. Repones fortaſſis Chriſtum, ut errandi periculum arceret, indicaturum apertius fuiſſe iniquitatem uſuræ, ſi improbam haberi voluiſſet. p. 498. n. 8. At præterquamquod hac ratione quælibet Trapezitica uſura, etiam a pauperibus exacta, nec a Chriſto ad erroris periculum tollendum excepta, purgaretur, quod eſt contra adverſarii hypotheſim; hæc cautio adhibenda quidem eſſet inter noſtros, qui lucrum ſimile licitum hodie putant, non autem a Chriſto adhibenda fuit inter Hebræos, quibus cum omne id genus lucrum eſſe vetitum, exploratum erat, tum

Digitized by Google

nullum ex hac parabola erroris periculum timeri poterat.

CAP. VIII.

De Traditione. Refellitur liber quintus.

1. EAm autem Scripturarum interpretationem, qua omnem omnino uſuram nulla pauperum, vel divitum diſtinctione interdictam affirmavimus, eo fidentius præferimus, quod non aliam ſententiam, nec alium Scripturarum ſenſum Patrum traditio, & Eccleſia in uſurarum materie perpetuo, & conſtanter expreſſerit. Id ſi certo liqueat, non diſſentiet Broederſen, quippe qui SS. Patrum conſenſum, & Eccleſiæ auctoritatem in vero Scripturarum ſenſu circa uſuram ipſam interpretando maximam apud Catholicos vim habere fatetur, ut videre eſt lib. III. c. 9. n. 5. & 7. Et primum ut de traditione agamus, quam adverſarius expendit libro quinto, ne forte ſucцenſeat non explicari a nobis, de qua traditione loquamur; traditionem divinam intelligimus, quæ etſi non ſcripta in libris canonicis, non minus tamen eſt certiſſimum Dei verbum, quam ipſa Scriptura. Igitur de traditione divina ſermo eſt, quæ per Chriſtum verbo tradita, per Apoſtolos diſſeminata, ac ab antiquis ſuſcepta, diligenterque cuſtodita, ad nos uſque perducta eſt. Hujus autem traditionis teſtes ſunt Patres primum, deinde Scholaſtici, & alii Scriptores catholici, qui poſt SS. Patres vixerunt: neque enim traditio ſola Patrum ætate viguit; nec cum iiſdem finivit; ſed ſemper in Eccleſia, cui credita fuit, integre ſervata, & propagata eſt. Sicut ergo ex Patribus, & ſcriptoribus antiquis antiquorum ſeculorum traditio cognoſcitur, ita ejus ſucceſſio poſteriorum temporum ex Scholaſticis, & auctoribus, qui poſt Patres floruere, teſtimonium habet. Antiquorum Patrum conſenſus certum traditionis antiquæ argumentum eſt, & eatenus Patrum conſenſus traditionis vim habens, divinam fidem efflagitat. Neque minorem vim habet Scholaſticorum, & poſteriorum Scriptorum conſenſus, qui certiſſimi ejuſdem traditionis pro his temporibus cuſtodes, & teſtes haberi debent. Hoc Broederſen non inficiabitur: immo hac de cauſſa, ut arbitror, de traditione acturus libro quinto in tres partes diſtributo, priori parte ſententias Patrum, duabus reliquis Scholaſticorum, ac poſteriorum Scriptorum teſtimonia ad calculos vocavit.

p. 510. c. 2.

Traditionis teſtes, & traduces non ſoli Patres antiqui, ſed etiam Scholaſtici, atque recentiores catholici.

§. I.

De traditione SS. Patrum. Expungitur pars prima libri quinti.

2. VIdeamus in primis de Patribus, ac ceteris antiquis, quorum gratia libri quinti pars prima a Broederſen inſcribitur *De doctrina, & ſententiis SS. Patrum, aliorumque, qui ad ſeculum XIII. floruere, ſcriptorum circa uſuram.* De uſuræ definitione non laboramus, ut alibi diximus: quando in re definienda Patres, & nos idipſum ſentimus. Broederſen vero cum *acceſſionem ad ſortem* uſuram a Patribus definitam ingerit, quamcunque etiam licitam acceſſionem intelligendam contendit, ita ut etiam *id, quod intereſt*, quam uſuram compenſatoriam vocat, uſuræ nomine Patres intellexerint. Hoc ipſius commentum ſuperius rejecimus, Patreſque, cum uſuram damnarunt, reſpexiſſe ſolum lucrum, quod ex pecunia *otioſa, & ſine damno*, ac proinde ſine lucro ceſſante exigitur, videmur demonſtraſſe, quod re ipſa convenit cum Scholaſticorum definitione, qui ut lucri ceſſantis titulum, unde uſura tollitur, in ipſa definitione ex Patrum ſententia exclu-

Vide ſupra cap. 3. p. 512. c. 4.

lib. VI. c. 2. §. 2, & hic c. 2. n. 3.

cluderent, *lucrum ex mutuo*, aut *vi mutui perceptum* uſuram eſſe dixere. Si hoc eſt diſſentire, & non potius explicare definitionem, & mentem Patrum, quiſque non iniquus judex intelliget. Potius a Patrum ſententia, & mente Broederſen maxime diſſidet, qui hac falſa hypotheſi Patribus affigit, eodem uſuræ nomine *id, quod intereſt* comprehendiſſe, & eatenus eoſdem, cum uſuram generatim damnant, non omnes uſuras damnaſſe. Hac porro occaſione, qua uſuras pro eo, quod intereſt in generali Patrum condemnatione excipiendas contendit, excipiendas pariter judicat alias uſuras *dotis, pretii rei venditæ* &c., quæ civilibus legibus probatæ, & a nonnullis defenſæ, a Patribus non fuerunt expreſſe reprobatæ. At cum hi omnem veram uſuram damnarint; quidquid vera uſura eſt, ſatis ab iiſdem damnatum agnoſcitur. Nonne alii plures injuſti contractus, quorum expreſſam mentionem Patres nullibi fecerunt, ſatis ab iiſdem damnati generalibus iis in locis dicuntur, in quibus omnem injuſtitiam condemnarunt? Sicut autem ut a generali injuſtitiæ damnatione aliquis contractus controverſus ſubducatur, oſtendendum eſt eum injuſtum non eſſe; ita ut ſubtrahatur a generali condemnatione uſuræ aliquod lucrum, quod in quæſtionem cadat, uſuræ crimen ab eo diluendum eſt, ut illi omnes nituntur diluere, qui aliquod lucrum in dote non ſoluta, aut aliis contractibus defendunt. Utrum id ab hiſce Auctoribus jure, & legitime in omnibus controverſis contractibus, & caſibus fiat, alia quæſtio eſt, quæ tamen uſuram omnem uti damnatam a Patribus certo illicitam præſumit. De uſura proprie dicta loquimur, quam unam Patres, ut diximus, intellexere; unde inepte admodum allegantur auctores nonnulli, qui quandoque uſuram improprie pro eo, quod intereſt appellarunt.

p. 513. c. 5.

3. Inutilis ergo totus Broederſen niſus eſt, quo huic tam falſæ hypotheſi ſuum ſyſtema ſuperſtruxit. Hinc enim potiſſimum exceptiones aliquas in generalibus Patrum teſtimoniis neceſſarias præferens, uſuras etiam mercatorum, ac divitum, quas eos nullibi expreſſe condemnare prædicat, excipiendas pariter colligit: æque enim, inquit, hæ uſuræ, etſi lucratoriæ, a divitibus, atque mercatoribus exactæ naturali juri non adverſantur, ac non adverſantur illæ, quæ pro eo, quod intereſt exiguntur. In quo cum Broederſen veram uſuram lucratoriam æque ac compenſatoriam defendendam putet, non ſolum contra communem ſenſum, verum etiam contra ſuummet propoſitum pugnat, in quo ſolam uſuram compenſatoriam ab ſe defenſum iri, & defendi poſſe ſæpius ſcripſit. Aliam præterea hypotheſim de naturali jure certam præſumit, quam tamen ab eo potius aſſertam, quam probatam vidimus. Tertiam quoque hypotheſim exploratam ſupponit, nihil hac in re divino jure potuiſſe pręcipi, quod jure naturali certo vetitum non ſit: quod quantum ſit falſum lib. V. c. 1. & 6. multis oſtendimus. Sed ſine pluribus falſis hypotheſibus hoc falſiſſimum ſyſtema ſtatui non poterat.

4. Quando vero nunc non de naturali, at de divino jure ex Patrum traditione quærimus; nonne ad condemnandas etiam uſuras ex mercatoribus, ac divitibus perceptas ſatis eſſe debet, SS. Patres omnem uſuram divino jure damnatam prodidiſſe? Qui uſuras illas exceptas velit, vel aliquibus eorundem teſtimoniis exceptas probet, vel uſuras non eſſe oſtendat neceſſe eſt. Præciſa, & expreſſa de divitibus, & mercatoribus teſtimonia Broederſen efflagitat. Quanto rationabilius nos expreſſa teſtimonia quærimus, quæ illas excipiant? Nullam enim generales locutiones aliquid generatim vetantes exceptionem ferunt, niſi

pro-

Digitized by Google

probetur. Si cuivis liceat ſine probatione excipere, quæ lex generalis ſarta tecta ſervabitur?

5. Atqui cum Patres identidem pauperes memorant, divites ſatis videntur excepiſſe. Hoc ſtatuere potiſſimum Broederſen ſtudium eſt in fuſa diſputatione de Patribus. Longiſſima eorundem teſtimonia deſcribit, & ubi aliquod verbum occurrit, in quo vel pauperis, vel miſericordiæ, vel charitatis ſit mentio, vel ubi quædam duriora ex uſuris orta inculcantur a Patribus; hæc ille urget, & ingerit, ac ſi in his ſolis caſibus, qui pauperes reſpiciunt, Patres uſuram damnarint. Si nos ex iis Patrum teſtimoniis, quibus pauperum, & eorum oppreſſio ab iiſdem proponitur, contra uſuram etiam a divitibus exactam argumentaremur; invicta eſſet objectio. At aliis generalibus eorundem teſtimoniis inſiſtimus, quæ nulla reſtrictione ab iiſdem producta, omnem omnino uſuram per ſe vetitam, ac illicitam pronuntiant. Vide decem argumenta, quæ ex generalibus Patrum teſtimoniis fuſius digeſſimus lib. IV. c. 3., quibus nullam idoneam reſponſionem apud Broederſen invenire licebit.

p. 524. & ſeqq.

Efficax argumentum contra uſuras divitum ex Patribus.

6. Neque memorare alicubi uſuras pauperum eſt excipere illas, quæ a divitibus percipiuntur. Cum quid in generali lege excipiendum eſt, ipſa exceptio notari debet: idque præſertim, ubi quod vetatur, per ſe juſtum ſit, & ex ſola charitatis violatione illicitum, ac vetandum credatur. Sic quis unquam generatim prohibebit, ne exigantur penſiones locatæ domus, quæ per ſe juſte ſolvuntur, propterea quod, eas ex pauperibus immiſericorditer exigere illicitum eſt? Quis generatim prohibebit pignora, quæ juſte peti queunt, propterea quod ea nonnunquam a pauperibus extorquere, miſericordiam, & charitatem violat? Quis tandem generalem lucri ceſſantis, quod per ſe juſtum eſt, prohibitionem ferat, propterea quod in caſu opprimendi pauperis illicitum ſit? Ipſe adverſarius vindicaturus civiles leges, quæ de uſuris nulla pauperum exceptione latæ fuerunt, eas univerſim approbaſſe uſuras ait, uti univerſim alii approbantur contractus, qui juſti ſunt, licet per accidens aliquando charitati adverſentur; neque enim legibus ſpectari ſolet quod per accidens contingit, ſi præſertim hoc non opponatur juſtitiæ. Num Patres contraria œconomia rationem habentes ſolius uſuræ, quæ per accidens charitati aliquando opponitur, uſuram, ſi per ſe credidiſſent juſtam, generatim damnaſſent? Cum quid per ſe juſtum licet, & ex ſolis pauperum circumſtantiis illicitum eſſe poteſt; non id, quod per ſe licet, ſed ſola oppreſſio pauperis eſt vere illicita; nec interdicendum generatim eſt id, quod juſtum eſt, ſed ad circumſtantias pauperum reſtringenda prohibitio. Hinc in Exodo, & Deuteronomio præceptum reſtitutionis pignorum ad certum caſum pauperum reſtringitur; cumque apud Ezechielem in eandem ſententiam idipſum præcipiatur, ſed ſine ea expreſſa reſtrictione, quæ tum Hebræis nota erat; ne quis forte deinceps falleretur, S. Hieronymus in c. 18. Ezechielis v. 7. reſtrictionem declarans, expreſſe monuit, pignus debitori reddendum, *non omni debitori ...... ſed ei debitori, de quo in lege ſancitur, quod pauper ſit, & proprium oppoſuerit veſtimentum*. Quidni pariter reſtringendum, ac de ſolis pauperibus explicandum cenſuit ejuſdem Ezechielis locum de uſuris, ſi æque hanc uſurarum legem pro ſolis pauperibus latam putaſſet? Si id unus omiſiſſet Hieronymus, aut alii aliquot, expreſſum autem fuiſſet ab aliis, nihil morarer. At ne unus quidem inter tam multos Patres hanc reſtrictionem ſubindicat; immo omnes generalem prohibitionem iis exprimunt formulis

pag. 1003. n. 5. n. 14.

1413.

Digitized by Google

lis, & caracteribus, quibus uſuram in ſe, & non ex ſolis circumſtantiis vetitam, & illicitam declarant. Nonne hæc, & alia plura indicato loco a nobis propoſita evidenter convincunt, non eam Patribus inſediſſe reſtrictionem, atque ſententiam, quam adverſarius eiſdem vellet affingere? Si omne fœnus olim in ſolis pauperibus graſſatum fuiſſet, nullam reſtrictionem aut explicationem requirerem. At ſemper divites, & mercatores indiguere mutuo, & , ut fatetur adverſarius, ſemper uſuræ etiam cum his frequentes fuere. Immo frequentiores cum divitibus, quam cum pauperibus fuiſſe teſtatur S. Baſilius in Pſal. 14., nam, *pauperes fidem minime inveniunt*. Si hoc fœnus licitum ſenſiſſent Patres, dum tam innumeris in locis, atque occaſionibus de uſura loquuntur; ſemper eam reprehendiſſe ut illicitam, & ne uno quidem in loco illam, quæ a divitibus, & mercatoribus provenit, ullo caſu indicaſſe licitam impoſſibile eſt.

p. 513. 2. 750. 7.

Mentio pauperum identidem poſita non excludit, nec excipit uſuras divitum.

7. Argumentum certe ex pauperum commemoratione, & oppreſſione nonnunquam a Patribus ingeſta, cum adverſus uſuras diſputant, eſt omnino inefficax. Nonne noſtri quoque concionatores, qui omnem uſuram vetitam credunt, cum uſuras, ſive obiter, ſive fuſius perſtringunt, ſimilibus formulis ad motum, & horrorem vehementius concitandum utuntur? Ipſe Romanus Catechiſmus, qui uſuram inter vitia ſeptimo præcepto oppoſita referens, injuſtitiæ palam accuſat, quæ non minus cum paupere, quam cum divite illicita eſt; nonne ſententias ſubjicit, quæ ſolis pauperum uſuris ex adverſarii interpretatione conveniunt? Nonne Concilium Provinciale Beneventanum XIII. anni 1656. tit. 58., quod omnem omnino uſuram juri divino, ac naturali adverſari palam declarat, & damnat, ab uſuris, *quæ ſubſtantias pauperum devorant*, ducit exordium, in quo oratoria quadam ratione, & conſuetudine utitur? Alia ſimilia ex aliis recentiorum documentis poſſem colligere, ex quibus tamen nemo illos poſſet allegare uti vindices ejus uſuræ, quam a divitibus, vel mercatoribus licet exactam, certiſſime condemnarunt. Sicut ergo horum recentium Scriptorum teſtimonia de pauperibus loquentia in probationem uſuræ divitum, ac mercatorum nequeunt traduci; ita nec teſtimonia Patrum, qui aliunde omnem uſuram invictiſſime damnant.

Teſtimonia Patrum expreſſa de divitibus, & inanes adverſarii reſponſiones.

8. Quid porro ſi non ſolum uſuram omnem generatim in omnibus vetant, ſed eam quoque, quæ a divitibus, & mercatoribus percipitur, expreſſis teſtimoniis nonnunquam perſtringunt? Hæc teſtimonia dedimus lib. IV. c. 4. Quid ad hæc Broederſen reponit? Audi mirificas ſolutiones. Caſus eos fuiſſe ait, vel de divitibus, qui neceſſitate aliqua preſſi, gratuito mutuo ex charitate indigebant, vel de immoderato lucro, vel tandem de lucro, quod ex parva, vel exigua pecunia exigebatur. Hæc dicere facile eſt, probare vero non item. Nihil ejuſmodi ex teſtimoniis Patrum ſuboleſcit. Totum confictum patet ex mero arbitrio, ne propoſitum mutet. Hac via ſi liceret objecta ſolvere, quot errores ſimile patrocinium invenirent?

De neceſſitatibus divitum.

9. Sed ut ſingula exactius conſutentur, quod primo ait ſermonem de divitibus fuiſſe, qui neceſſitate aliqua mutuo gratuito digna premerentur, multis refellitur. In primis vera neceſſitas, quæ juſtum lucrum exigi vetet, in divitibus rariſſima eſt, & fere in iiſdem differenda erit juſtæ ſolutionis exactio, non autem omnino interdicenda. Quas ergo neceſſitates divitum Patres potuerunt reſpicere, cum uſuras ex iis quoque ſumtas damnarunt? Neceſſitas quidem, cujus S. Ambroſius mentionem facit libro de Tobia c. 7., eò refertur,

Digitized by Google

ne dives in neceſſitate aliqua omnem pretioſam vaſorum ſuppellectilem, aut prædium vendat: ſimilemque caſum proponit Auguſtinus ſerm. 239. n. 5. Nunquid diviti id genus præſentem pecuniam quærenti, quam ſine ulla rei familiaris diminutione commodiori tempore reſtituat, hujus neceſſitatis nomine donandum eſt lucrum, quod per ſe juſtum ſit, juſteque exigi poſſit? Nonne ſi hac in neceſſitate realis cenſus legitimus crearetur, lucrum inde exactum a divite nemo damnaret? Quid ergo Patres ſolam uſuram in memorata neceſſitate perſtrinxere? Deinde cum divites maxime egent, fere egeſtatem ſuam celare quibuſcunque rebus ſtudent, *quod publicare paupertatem ſuam vereantur*, ſicque ſidem facilius inveniant, ut idem Ambroſius teſtatur c. 5. Cum ergo hoc quoque caſu Patres uſuram damnarint, non neceſſitatis, quæ occultatur, rationem, ſed ipſius uſuræ malitiam cogitarunt. Adde quod ſi in anguſtiis prædium a divitibus venderetur, ut ejuſdem Ambroſii conſilium fuit; emere profecto ab illis, & ex emto lucrari liceret. Quid uſuram, quæ vendendi prædii fructibus reſpondeat, non æque liceat percipere, niſi quia aeque per ſe juſta non eſt? Accedit quod Patres eam pariter uſuram identidem damnant, quæ a divitibus nulla neceſſitate gravatis ſolvitur. S. Baſilius homil. in Pſ. 14. non ſolum pauperes, ſed & divites, ac opulentos nominat, in luxum, delicias, ac voluptates pecuniam quærentes, in quibus magna quidem lautitia, nulla autem neceſſitas eſt: *Quanquam videmus*, inquit, *ſæpe homines ad fœnus, & mutuum confugientes, non gratia uſus neceſſarii, cum pauperes minime fidem inveniunt: ſed ut ſe elocent, ac tradant totos lautioribus impenſis, ac profuſioni opum prorſus infructuoſæ, ut ſimiliter ſe addicant muliebrium voluptatum illecebris. Et hac quidem dixerit: mihi opus eſt ut veſte ſumtuoſa, & aurea, filiis parvis ornatu decenti, ſericis item, floridis, & variegatis veſtibus, menſa denique lautitia ſplendidiore. Qui talia uxori adminiſtrat, ad trapezitam venit.* Similia obſervari poſſunt in Ambroſio de Tobia, qui non ſolum c. 4. homines indicat pro mutuo obligantes *patrimonium, aurum, argentum*, ideſt aurea, & argentea vaſa, quæ ſane pauperum non ſunt; ſed etiam c. 6. *hæredes novos, & adoleſcentulos divites* commemorat, a quibus *pretioſa veſtes, & mobilia nobilia* emuntur, quod omni neceſſitate vacat, uti & vacat mutuum iis creditum, qui in ludum pecuniam quærunt ex cap. 8. & 10. Neque reponas iſtam uſuram damnari a Patribus, quia vel in vitia ditiorum confert, vel ex opulentis pauperes facit, ut Baſilius loquitur. Si enim dives in luxum, vel alios ſumtus lautiores prædium aliquod cogeretur vendere, num emtio per ſe iniqua, & lucrum ex emto iniquum per ſe dici poſſet? Nequaquam: aliud enim eſt quod ex accidenti vitio advenit, aliud vero quod in ſe vitioſum eſt. Cum ea vitia, quæ uſuræ nonnunquam accidunt, Patres commemorarunt; etſi uſuræ malitiam voluerunt exinde augere, non tamen ſolum ſcandalum, & accidens vitium culpantes, ſed uſuram ipſam in ſe, hanc in ſe malam ſatis indicarunt. Quid tamen, quod nonnulla Patrum teſtimonia allegavimus, quæ pecuniam nec in neceſſitatem, nec in ſuperfluos ſumtus, ſed in lucrum traditam præferunt, & uſuram nihilominus damnant? lib. IV. c. 5.

10. Hic autem Broederſen lucrum pauperis, non divitis intelligendum putat. Sic evidens teſtimonium Ambroſii explicaturus; *Agit hic Ambroſius*, inquit, *de exiguis mercatoribus .... ſimilibus exiguis, & indigentibus mercatoribus mutuo ſuc-* De lucro pauperum. p. 605. n. 54.

ſuccurrendum eſſe, æque ac aliis inopibus, nullus negat. Similia repetit num. 77., ubi etiam nimium lucrum exactum ab ejuſmodi negotiatoribus præfert, quibus illi premerentur. Eadem ratione explicat locum Origenis p.542.n.3., Baſilii p.563.n.30.32., ac Nyſſeni pag. 580. n. 33. Mirifica plane reſponſio. Si oppreſſionem pauperis in omni teſtimonio eſſe expreſſam, & lucrum hoc ſolo oppreſſionis caſu a Patribus damnatum probaret, non multum contenderem. At nonne ſolus Broederſen oppreſſionem alicubi fingit, Patres autem (ut textus alibi recitati demonſtrant) etiam in caſu lucri uſuram damnant? Conditionem autem pauperis negotiatoris hoc caſu opponere ridiculum eſt. Num enim illicitum quiſpiam dixerit, ſocietatem negotiationis inire cum paupere? Si autem in adverſarii hypotheſi ęque per ſe juſtum ſit uſurarium lucrum, ac lucrum quod in vera ſocietate negotiationis ab eodem peteretur; illicitum eſſe non debet lucrum fœnebre ex paupere, qui ex pecunia mutua lucratur, ac in ſocietate illicitum non eſt? Num in ipſo mutuo culpabile eſſet a paupere, qui ex pecunia mutua multo magis lucraturus ſperatur, juſtam lucri ceſſantis compenſationem exigere? Si hæc non exigeretur illicite, quamvis exigeretur a paupere, quia ea, licita per ſe, in caſu pauperis lucraturi ſine ulla oppreſſione ejus exigitur; cur in uſura exigetur illicite, ſi hæc juſta pariter ſit, & in caſu lucri pauperis ſine oppreſſione ejus exigitur? Si tota uſurę malitia in pauperibus non ex uſurę iniquitate per ſe, ſed ex oppreſſione charitati contraria colligitur, ut adverſarius contendit; num oppreſſio charitati infenſa eſſe poteſt in paupere, qui ſoluta adhuc uſura lucrum facit? His tamen nihil ſuffragantibus, ſi Patres uſuram etiam a lucrantibus perceptam condemnarunt; nonne uſuram per ſe habuerunt iniquam, & illicitam, ut proinde nullam pauperum, vel divitum, nullam oppreſſionis rationem habuerint?

11. Quod porro Broederſen ſecundo loco obtrudit de uſuris immodicis, quæ ipſis externis legibus puniebantur, incredibile eſt. Nihil tale induci poteſt in teſtimonia, quę alibi recitavimus. Si hoc ſolum illa ſpectaſſent, ipſum præſertim exceſſum culpaſſent, & ipſarum civilium legum metum ſaltem alicubi ingeſſiſſent. Quin uſuram legalem aliqua teſtimonia innuunt, quæ cum eo tempore ſatis eſſet magna, nemo de exceſſu facili cogitabat. Divites tandem, ac mercatores in uſuras immodicas conſentire non ſolent.

De uſuris immodicis.

Vide lib. III. c. 4. ante finem.

12. Quod tandem de exiguis pecuniæ ſummis addit, nihil inanius. Nam ſive de divitibus, ſive de mercatoribus Patres loquuntur; utrique paucis ſummis non egent, mercatores præſertim, quibuſcum fœnus nauticum exercebatur, quod tamen Nyſſenus condemnavit. Num pro exigua pecunia tantam fœnerator ſolicitudinem, & in ejus periculo tantum timorem, ac deſperationem geſſiſſet, quantam eidem Nyſſenus tribuit? Quod ſi quia pauperes paucis ſummis ad exiguam negotiationem uterentur, & de his aliqui Patres videantur locuti; nonne in exigua pecunia, quæ ad negotiationem aliquam ſufficiat, ſocietatem juſtam inire cum honeſto lucro liceret? Quidni liceat uſura, ſi per ſe æque juſta, & licita ſit? Ubi pauperis lucrum eſt, ſive ex magna, ſive ex modica pecunia proveniat, nulla ei oppreſſio, ſed potius opus & præſidium affertur. Recurrunt hoc loco argumenta, quæ paullo ante poſuimus. Miraberis fortaſſis, adverſarium in uſuris divitum, ac mercatorum, exceptiones adeo ineptas potuiſſe ſubjicere. At ſi cogites, eum non ratione aliqua hæc ſubjeciſſe, ſed ea neceſſitate, ut ſeſe ali-

De exiguis pecuniæ ſummis.

Orat. contra fœnerat.

Digitized by Google

quatenus expediret a nonnullis teſtimoniis Patrum, in quibus uſuras, etiam a divitibus, ac negotiatoribus perceptas apertiſſime damnant, mirari profecto deſines; & ſimul conſtanti, & exploratæ Patrum omnes uſuras damnantium Traditioni, ac doctrinæ potius, quam adverſario inaniſſimas exceptiones comminiſcenti acquieſcendum putabis. Unum hic addere non prætermittam, haud mentione dignam videri adverſarii objectionem ex Epiſtola S. Gregorii, ep. 38. l. 7. ubi contractus memoratur, in quo de 25. in centum inter Felicem, & Maurum conventum fuerat. Neque enim de uſurario contractu id accipiendum eſt, qui cum excederet uſuram legalem, nemini probari potuiſſet, ſed de quadam ſpecie negotiationis mercium, quæ a Felice cuidam Mauro traditæ fuerant vendendæ, cum certi lucri cautione, adeo ut *ſex ſiliquæ pro ſolido*, ideſt 25. in centum, Felici ſolverentur; quod autem ſupra hoc lucrum perceptum iri ſperabatur, lucro ipſius Mauri cederet; cujus tamen contractus conditiones cum ignorentur, certa ejus ratio reddi non poteſt. Principio quidem lucrum bene ceſſiſſe videtur, ita ut Felici decem nummi in centum ſoluti fuerint. At in fine, neſcio quo fato, hæc negotiatio in damnum vergit, ac propterea S. Gregorius Felicem rogavit, *ut lucrum de damno alterius non expectet, ſed recepta pretii ſit ſorte contentus, ut quid pauperi ceſſerit, omnipotens ei Deus multiplicata, ſicut promiſit, reſtitutione compenſet*. Quid hęc ad uſuram, aut ad uſuræ approbationem referuntur? Nonne etiamſi de uſura remittenda ageretur, merces a Deo ſperari oporteret? Monumentum adeo ineptum in hac cauſſa ab adverſario ingeſtum, apertam, & tot documentis conſtitutam Patrum Traditionem nedum non infirmat, ſed potius confirmat. Id enim objicere puduiſſet hominem, cui luculentiora ſuppeterent.

§. II.

De Traditionis ſucceſſione in Scholaſticis. Expungitur pars ſecunda libri quinti.

13. Sed nunquid probabilius, & æquius a Scholaſticis, & ceteris, qui poſt Patres floruerunt, Scriptoribus, ſeſe adverſarius ſubducit? Immo pejus multo. De his Scholaſticis, & Scriptoribus poſteriorum temporum, uti Traditionis poſt Sanctos Patres cuſtodibus, ac teſtibus loquimur. Cum horum teſtimonia, quibus omnem omnino uſuram, etiam a negotiatoribus, ac divitibus perceptam, exploratiſſime damnant, nulla exceptione interpretari Broederſen poſſet; ne horum tamen auctoritate vinceretur, vide quid fecerit. Primum errores, uti appellat, & contradictiones quaſdam, circa notionem, & definitionem mutui, ac uſuræ, circa translationem dominii in mutuo, circa rationes aliquas contra uſuram allatas &c. hinc atque hinc in iiſdem carpit, ac obtrudit, ut ex ſuſpicione novitatis, & erroris, quibus a Patribus eos diſceſſiſſe jactitat, ipſis traditi dogmatis auctoritatem, ac fidem adimat. Dein quotquot ſententias, aut verba in illis reperire potuit, ubi vel in uſura charitatem læſam, pauperesque gravatos affirmarunt, vel ex lucro ceſſante, aut alio titulo aliquam acceſſionem licitam vindicarunt in mutuo, ſeu quidam poſteriori tempore triplicem contractum, aut cenſum utrinque redimibilem defenderunt; hæc verba, & ſententias arripiens, & ingerens, hos omnes pro ſe in uſuræ patrocinium allegat, ac ſi eandem omnes doctrinam tradiderint. Hac ratione in ipſis Scholaſticis novitii erroris, cui maxime adverſantur, teſtimonium, & traditionem præferre facillimum eſt. Quis enormem fallaciam, & confuſionem non execretur?

14. Et primo quod ad impactos

Digitized by Google

ctos notionum, ac definitionum errores pertinet, vereor ut ex graviſſimo potius Broederſen errore derivet, quod aliam in Patribus, ac in Scholaſticis, mutui, & uſuræ notionem putavit, cum variis licet expreſſa verbis, eadem in omnibus fuerit, ut ſuperius oſtendi. Error certe non ferendus eſt, quo Broederſen dominium in mutuo traductum negat, quod ipſi uſurarum patroni in corpore mutuo tradito certiſſime traductum fateri debuerunt; id quod ad Scholaſticorum ratiocinationem vindicandam ſatis ſuperque eſt. Similiter pleraque alia defendi in Scholaſticis poſſent, ſi de his eſſet quæſtio. At in præſentiarum non de ratiocinationibus Scholaſticorum, ſed de dogmate circa uſuras quærimus; & in hanc rem non quid a ratione dixerint, aut inter ſe diſſidenter diſputarint Scholaſtici, inquirendum eſt; ſed quid a Patrum Traditione ſuſceptum, conſtanti, & certa ſententia docuere: hoc enim Traditionis, ac dogmatis eſt. Non aliter in aliis certiſſimis Eccleſiæ dogmatibus, ſi quis ea a Scholaſticorum auctoritate velit dogmatice ſtatuere, non rationes ab iiſdem proprio ingenio allatas, contrarias nonnunquam, alit, aliquando etiam ineptas reſpicit; ſed eorundem ſenſum, & conſenſum ad Traditionem pertinentes in medium profert.

Vid. ſup. c. 4. n. 10.

Scholaſtici quatenus traditionis teſtes.

15. Eadem de cauſſa ſeparandæ, non autem cum dogmate confundendæ ſunt, quas ſecundo loco adverſarius in ſuam ſententiam, ac in uſuræ patrocinium ex Scholaſticis allegavit, opiniones, ſeu quæſtiones de variis titulis, vel de contractibus ſocietatis, cenſus &c. In his variæ, quæ inter Scholaſticos agitantur ſententiæ, catholicum dogma non tangunt. Quicunque enim aliquem titulum, vel contractum tuentur; idcirco tuentur, quia lucrum inde perceptum, nec ex mutuo, nec uſuram eſſe contendunt, ut ipſe adverſarius alicubi fateri debuit. Hinc auctores ejuſmodi nihil ipſi patrocinantur in errore de uſuris, quem illi omnes ab his, ſive titulis, ſive contractibus abs ſe defenſis excludunt. Inepta igitur adverſarii allegatio eſt, ac propterea nihil mirum, ſi hac methodo S. Thomam, ſi Albertum Magnum, ſi S. Antoninum, ſi S. Bernardinum Senenſem, & alios quamplures, qui omnem uſuram, a quibuſcunque exigatur, divino jure damnatam, & juſtitiæ contrariam palam affirmantes, eidem expreſſe adverſantur, vel invitos, ac repugnantes, ad ſuas partes attraxit. Hac eadem via quemlibet etiam ex ipſis ſuis adverſariis, qui titulum ſaltem lucri ceſſantis, ſi verus ſit, legitimum probant, pro ſe allegare poterit; uti quidem non dubitavit ſecum aliquatenus conſentientem affirmare Petit-pied, contra quem ſcribebat, quippe qui compenſationem lucri ceſſantis admiſit. Nonne vel ex hoc conjici poteſt aperta vis, quam in auctoribus pro ſe allegandis impudenter adhibuit?

Eorum conſenſus in doctrina de uſuris, licet in aliis quæſtionibus diſſentiant.

p. 1536. n. 5. 1569. n. 1.

p. 1712. n. 1. & ſeq. 1715. n. 1.

16. Neque dicat ſe in caſibus, uti vocat, diſceptatis, non aliud tueri, niſi lucri ceſſantis titulum, vel contractum ſocietatis cum cautione capitalis, & lucri, aut cenſum utrinque redimibilem, quem in ſimilibus caſibus aliquot Theologi defendunt. Plura iterum miſcet, ac turbat. Quæſtionem de caſibus practicis apud Belgas, num hos, vel illos titulos, aut contractus recipiant recte, confundit cum quæſtione de his titulis, aut contractibus, num legitimi, ac juſti ſint; & utramque illam quæſtionem præterea confundit cum præſenti, in qua de uſurarum dogmate quærimus. Has autem quæſtiones ſimul confundere, ac permiſcere, ut adverſarius facit, & nunc unius, nunc alterius ſententias, prout juvat, allegare, & ingerere, ac ſi omnes in eandem de uſuris doctrinam conſpirarent, eſt miſcere, & perturbare ima ſummis, & luci tene-

Non confundenda quæſtio dogmatica cum ſcholaſticis.

tenebras offundere. Si eas ſolas tuetur ſententias, quas cum catholici auctores defendunt, ab uſura prorſus excludunt; quid uſuram ſimul vindicare conatur? quid catholicos earum opinionum defenſores pro ſe allegans, veluti uſuræ patronos traducit?

Vitioſus adverſarii circulus.

17. Dum hominis conſilium videre mihi videor, ſimul vitioſum, uti appellant, circulum video. Contractus practicos generatim ſumtos vindicaturus, cum eos in uſuram proprie dictam æquiſſime cadere intelligeret, uſuram per ſe defendendam ſuſcepit. Hanc autem nec charitati, nec juſtitiæ adverſam, nulloque jure vetitam probare ſe poſſe credidit multo facilius, quam titulos, vel contractus implicitos, qui, extenſi præſertim ad omnes caſus practicos veram uſuram continentes, pluribus difficultatibus obnoxii ſunt. Horum tamen titulorum, atque contractuum auctoritas ad graviſſimam objectionem contra uſuras diluendam conferebat. Hinc alterum altero fulciendum, & utrumque perpetuo interſerendum putavit hoc vitioſiſſimo circulo. Dum nimirum ejus de uſuris ſententia impugnatur a Catholicis, uti contraria Traditioni, ac doctrinæ communi totius Eccleſiæ; confugit ad titulos, atque contractus, quos Scholaſtici Catholici defendunt, nec tamen habentur hæretici, ac ſi titulos, & contractus defendere ſit uſuram defendere; & eatenus quamplurimos, ac fere omnes doctores, atque Scholaſticos pro ſua ſententia allegans, traditam, & communem Eccleſiæ doctrinam adverſum ſe perperam objici jactitat. Dum vero quidam tituli, vel contractus difficultatibus afficiuntur, præſertim in praxi, ſive quia praxis conditionibus neceſſariis caret, ſive quia contractus, aut tituli quidam in uſurarum fraudem excogitati videntur; confugit ad uſuram, nihilque referre ait, num qui tituli, aut contractus admittantur, dum uſura nullo jure vetita probetur. Hinc illud inter cetera: *Vocentur dicti caſus uſura, aut alio nomine, parum refert. Natura non conſiderat nomina, ſed res, quæ tractantur. Atqui omnis uſura jus naturale non lædit &c.* p. 117. n. 54. Ita objecta contra uſuram rejicit ex contractibus, ac titulis; objecta autem titulis, & contractibus ex uſura rejicit. Hunc circulum qui non advertunt, confundi poſſunt; & Auctor videri poteſt catholicam doctrinam tenere, dum errorem Traditioni contrarium docet.

Quatenus in hac controverſia dogma ſeparandum ab aliis quæſtionibus.

18. Interim vero dum nunc ſolum de uſuris dogma in controverſiam cadit; practicis, & ſcholaſticis quibuſvis quæſtionibus ſepoſitis, de ipſo dogmate quæramus. Conveniat prius in hoc dogmate adverſarius, & dein, ſi placebit, de illis quæſtionibus in Opuſculis agemus, quas (niſi prius conſentiamus in dogmate) definire unquam erit plane impoſſibile. Dogma enim de uſuris principii loco eſſe debet, ſine quo nullum quæſtionum ceterarum finem ſperare licebit. Cum vero in cognitionem, ac probationem dogmatum Traditio plurimum conferat; Traditio autem, quæ non minus Patrum, quam Scholaſticorum ætate ſemper in Eccleſia perpetuo viguit, poſt ævum Patrum ex Scholaſticis, ceteriſque hujus ætatis Scriptoribus teſtimonium habeat: nihil profecto poſt recitatos Patres ad ſtatuendum, & demonſtrandum dogma de uſuris luculentius eſſe poteſt teſtimonio Scholaſticorum, qui licet in aliquot aliis capitibus diſſidentes, in hoc tamen omnes ad unum conveniunt, omnem uſuram, etiam a divitibus, & mercatoribus percepiam, eſſe peccatum. Hoc non illud ſolum probat, quod omnes uſuram juſtitiæ commutativæ oppoſitam tradunt, a quo crimine nulli caſus, ne divitum, ac mercatorum quidem, excipi queunt; verum etiam quod caſus aliquot uſuræ a mercatoribus

Communis Scholaſticorum doctrina oſtenditur.

per-

Digitized by Google

perceptæ plures Scholaſtici expreſſe memorant, & eo nomine damnant, quia uſura eſt. Ipſæ quæſtiones in uſurarum materie excitatæ, ſive circa titulos, ſive circa contractus, hujus communis, conſtantiſque doctrinæ fidem faciunt. Neque enim opus erat excogitare, & inducere titulos, aut contractus tam multos, neque pro his inter Scholaſticos pugnandum, ſi uſuram per ſeſe licere putaſſent. Immo hanc certe non licere utrique crediderunt, non rigidiores ſolum, qui uſuram in iiſdem titulis, atque contractibus tectam damnarunt, verum benigniores etiam, atque laxiores, qui idcirco pro iis titulis, vel contractibus laborarunt, quod uſuram ex catholico ſenſu per ſe defendi non poſſe intelligerent. Satius, & excuſabilius putarunt nonnullos titulos, vel contractus contra rationem defendere, quos Eccleſia fraudis damnare coacta fuit, quam uſuram, ſaltem ditiorum, & mercatorum affirmare licitam, quod a communi, & conſtanti Catholicorum ſenſu abhorrens omnes Catholicos offendiſſet. Hanc ergo Scholaſticorum circa uſuram doctrinam cum allegamus, non ratiocinationes Scholaſticorum, ſed communem Catholicorum ſenſum, atque doctrinam allegamus, a qua ne laxiores, & liberiores quidem Theologi deſciſcere auſi ſunt. In hac autem tam conſtanti omnium Scholaſticorum doctrina, quis antiquę Traditionis ſucceſſionem, ac teſtimonium non deprehendat? Neque enim illi a Traditione Patrum defeciſſe, aut innovaſſe quidpiam dici queunt, quin per Scholaſticorum tempora Patrum Traditio defiiſse dicatur in ipſa Eccleſia; quæ eandem cum Scholaſticis doctrinam tenuit, ac tenet, ut lib. IV. c. 5. pluribus oſtendi, & aliis etiam documentis in ſequenti capite §. 2. confirmabitur. Igitur ſi quis hac in re Scholaſticorum doctrinam repudiet, certiſſimam Traditionem, & dogma Catholicum repudiare convincetur.

Quanta Scholaſticorum auctoritas in hac præſentim quæſtione.

19. Broederſen hanc Catholicorum Theologorum auctoritatem ut infringat, refellere nititur principium, quo ſacra Theologia ad regulam Traditionis efformata, optima Sacræ Scripturæ interpres hac in materie allegatur; & idcirco nititur hoc certum principium refellere, quia Concilium Tridentinum, de interpretatione Sacræ Scripturæ loquens, Sanctorum Patrum conſenſum, & Eccleſiæ ſententiam pro regula proponit, de Theologis autem ne verbum quidem. Addit porro *aliquot Scholaſtica* quorundam Doctorum *Theologia principia* multo minus pro regula haberi poſſe, ac ſi omnium Scholaſticorum in principio circa uſuram conſenſus deſit. At primo, tametſi Theologi quidam circa quoſdam titulos, vel contractus diffideant, utrum uſurarii ſint, nec ne; omnes tamen in hoc principio conſentiunt, *omnem uſuram ſtricte ſumtam per ſe iniquam eſſe*. Hunc porro conſenſum, non uti propriam Theologiæ Scholaſticæ doctrinam, ſed uti Traditionis Patrum continuatam ſucceſſionem, ac teſtimonium hoc loco ingerimus, & eatenus in hoc omnium Scholaſticorum Catholicorum conſenſu ipſam Traditionem, tutiſſimam Scripturarum, & Catholici dogmatis regulam agnoſcimus. Non confundat adverſarius controverſas Theologorum ſententias de quibuſdam titulis, vel contractibus, cum conſtanti, & concordi doctrina omnium de uſuræ pravitate, atque injuſtitia, & ab hac doctrina conſenſum ipſius Eccleſiæ non ſeparet; nec quicquam deſiderari cognoſcet, ut certiſſima Scripturarum, ac fidei regula exinde petatur. Quod ſi qui Auctores adverſarii ſententiæ favent; pauci, & poſtremi temporis ſunt, qui Calvinum, Molinęum, Cloppenburgium ſecuti, inter adverſarios cenſeri debent.

Objectio refellitur. p. 245. n. 12.

CAP.

CAP. IX.

Eccleſiæ circa uſuras ſententia, quæ in Canonibus, ac Decretalibus exprimitur. Confutatur liber ſextus Broederſen.

1. UNiverſum jus Eccleſiaſticum in duas partes adverſarius dividit, in vetus, & novum. Veteris juris nomine omnes veterum Conciliorum Canones, omneſque Decretales Pontificum, & omnes collectiones antè Gratianum intelligit. Quæ autem poſt Gratiani decretum edita ſunt, juri novo accenſet.

§. I.

De jure Eccleſiaſtico veteri. Refellitur libri ſexti pars prima.

2. ANtiquos Eccleſię Canones, ac Decretales, quæcunque uſuram prohibent, ita generatim prohibere, ut ne unus quidem inter pauperes, ac divites, inter modicas, & immodicas uſuras diſtinguat, & aliam licitam, aliam illicitam affirmet, certa res eſt. Quid ergo Broederſen diſtinctiones, & exceptiones pro arbitrio ſupponit? Ratio quędam naturalis potiſſimum illum movet, qua uſuram moderatam à ditioribus perceptam, neque juſtitię, neque charitati infenſam, nec proinde illicitam putat; Eccleſiaſticum vero jus, ubi de contractibus agitur, cenſet in iis ſolum ubique, & perpetuo vigere, quę naturali juſtitiæ, aut charitati opponuntur. At ſi hiſce ratiocinationibus, quas jam antea ſatis exploſiſſe nobis videmur, liceret cuivis privato in generalibus Eccleſiæ legibus diſtinctiones, & exceptiones ſubjicere; alius quilibet, in ipſa generali lege furtum vetante, eadem licentia diſtinguere, & excipere ſimiliter poſſet. Fac quis dicat: Cum Deus, vel Eccleſia furtum prohibet, ſolum prohibet furtum, quo pauperibus quidpiam ſubtrahitur, vel neceſſaria divitibus auferuntur. Hoc proprium, & verum furtum criminoſum eſt. At cum a ſolis divitibus ſola ſuperflua tolluntur, præſertim ab eo, qui pauperibus illa largiri vult, aut a paupere, cui eadem ſuperflua divino pręcepto debentur, unde * *ſua* pauperum a nonnullis Patribus dicuntur; nec proprium furtum, nec vetitum eſt. Si hæc quiſpiam diceret, quam, rogo, adverſarius reſponſionem afferret? Non aliam profecto, niſi furtum generatim prohiberi; in generali autem prohibitione nihil excipiendum, niſi de exceptione ex ipſa lege aliunde liqueat. Id quidem in uſurarum quoque materie ipſi Broederſen adeo manifeſtum, & perſuaſum fuit, ut cum in lege Moyſis uſuram pauperum generatim vetitam viderit, uſuræ autem nomine compenſatoriam comprehendi arbitretur; omnem etiam compenſatoriam uſuram inter Judæos indigentes vetitam affirmet, & (quod magis eſt mirum) eo quoque caſu eandem interdictam velit, cum nec charitati, nec juſtitię adverſatur, licet hoc caſu jure naturali licitam judicet: *Certum eſt*, inquit, *uſuras vere compenſatorias, atque adeo per ſe juſtitiæ commutativæ non contrarias Judæis erga Judæos indigentes fuiſſe vetitas, etiamſi illæ quoque charitatem certis in circumſtantiis non læderent*. Et poſt pauca n. 13. *Fuere Judæis vetitæ uſuræ, quæ neque juſtitiam, neque charitatem lædebant: illæ vero jus naturale non violant*. Hoc autem idcirco affirmat, ne arbitrariam diſtinctionem, & exceptionem in generali lege ex ingenio admittat: *Nam Deus*, inquit pag. 80. n. 132., *prohibendo ſuperabundantiam ſortis Judæo erga fratrem ſuum pauperem, & indigentem, non excipit eam uſuram, ſive ſuperabundantiam, quæ per modum*

* Vide lib. III. cap. 4.

p. 1629. n. 14.

dum indemnitatis, ſeu juſta compenſationis poſſet exigi. In generali ſcilicet lege, in qua Deus nihil excepit, excipiendum non eſt. Quid ergo, abs ſeſe tam diſſimilis, in generalibus antiqui Eccleſiaſtici juris locutionibus omnem uſuram prohibentibus exceptiones excogitat? Neque dicas, has Eccleſiæ leges explicandas in Scripturæ, ac Patrum ſententiam, qui ſolam uſuram pauperum damnant: nam præterquamquod in illis etiam uſuram divitum vetari oſtendimus, ſi quid hac in re ſupereſſet dubitationis, ex Eccleſiæ explicatione, quæ & Scripturæ, & Patrum legitima interpres, eorumque auctoritatem ſequuta, omnem uſuram nulla exceptione damnavit, eos generatim intelligendos agnoſceremus: ſecus Eccleſia, ne quid videretur excedere, præciſum damnatæ uſuræ modum ſuis legibus ſaltem alicubi declaraſſet; quod tamen nullibi factum reperitur. Excipiendas quidem compenſatorias uſuras fateor; ſed quia uſuræ proprie dictę non ſunt, qua ratione eas nec veteri lege prohibitas arbitror. Quod ſi ita per ſe juſta eſſet lucratoria uſura, uti compenſatoria, ſeu potius indemnitas per ſe juſta eſt; nullus Canon generatim damnaſſet uſuram lucratoriam, ſicut nullus generatim indemnitatem damnavit, tametſi hæc aliquando in paupere æque illicita eſſe poſſit, atque veram lucratoriam uſuram in eo eſſe illicitam Broederſen pronunciat. Quid ergo hanc antiquiorum auctores Decretalium, & Canonum generatim damnarunt, exceptione nulla, niſi quia per ſe illicitam cenſuere?

p. 992. n. 4. 993. n. 6. & 995. num. 25. 3. Hujus argumenti vim ut elidat adverſarius, affirmat potuiſſe omnes uſuras antiquis temporibus charitati, vel juſtitiæ repugnare, ut merito univerſim ſacris Canonibus vetarentur. Sed huic falſæ hypotheſi ſatis reſponſum invenies c. 5. n. 6. Plura inculcat de Canonibus, qui

p. 994. & ſeqq. ſolis clericis uſuras interdixere, perinde ac ſi laicis illas permiſerint. Cui objectioni etſi luculenter ſatisfecimus lib. II. c. 9., hoc tamen principium nunc addere placet. Si quod ſolis clericis prohibetur, & ſimul non interdicitur laicis, in his probaretur tanquam licitum; uſura quoque a pauperibus exacta, quæ Canonibus illis vetita laicis non fuit, probata dici deberet; quod tamen adverſarius inficiatur. Hoc eodem argumento efficaciſſimo refellitur etiam quod ille opponit ex Patribus Canonum conditoribus, p. 995. n. 16. qui ſi omnes uſuras crediddiſſent illicitas, niſi eas expreſſe damnaſſent in laicis, qui eas auctoritate legum exigebant, ſaltem exegiſſent, ut Principes ejuſmodi leges abrogarent. Inutile argumentum, quo ſi probaretur non credidiſſe Patres illicitas eſſe uſuras, quæ legibus exigebantur; probaretur licitas eos habuiſſe uſuras etiam e pauperibus exactas, quæ præſertim legum præſidio ſolvebantur. Id non fert adverſarius; & ſicut ſimplicem harum p. 999. n. 5. 6. uſurarum permiſſionem, vel tolerantiam agnoſcit in legibus ad majus malum evitandum, ita cum his legibus ſeſe Patres non oppoſuere, eadem permiſſione, ac tolerantia uſi, nullam uſuram probaſſe dici poſſunt.

4. Satis autem improbaſſe illos uſuram a pauperibus exactam in concionibus, & catecheſibus Broederſen ex S. Gregorio Nyſſeno colligit. At de omni uſura, non au- p. 994. n. 7. tem de ſola uſura pauperes opprimente S. Gregorius Nyſſenus loquitur; & in ipſis Canonibus, ubi uſura omnis interdicitur in clericis, ut ipſe adverſarius fatetur, ea Scripturæ teſtimonia identidem allegantur, quæ cum laicos æque ac clericos ligent, omnem uſuram æque omnibus interdictam Patres credidiſſe ſatis indigitant.

5. Atqui veteris Teſtamenti leges nonnullis Canonibus allegatas tri-

plici

p. 1000. n. 14. plici interpretatione adverſarius elidere ſtudet. Primo quia illæ potuerunt allegari, quatenus uſuram ex pauperibus exactam damnantes, ad jus naturale pertinent, ut ne allegentur in ea parte, qua uſuram compenſatoriam ſine charitatis, ac juſtitiæ violatione vetabant. Hoc falſæ circa uſuram compenſatoriam hypotheſi nititur, quam pluries rejecimus. Præſumit etiam ſolam uſuram, quæ pauperem opprimit, lege veteri vetitam fuiſſe, quod falſiſſimum oſtenſum eſt alibi. Secundo potuiſſe eas leges Chriſtianis applicari ait in exhortationem, & exemplum, ut ne præceptum Chriſtianos ligans inde colligatur. Hoc merum ſomnium eſt. Vim enim præcepti, quo Chriſtiani multo magis quam Hebræi ligantur, plura loca ſatis declarant. Hinc ſatis refellitur tertium, quod eòdem fere recidit, cum leges eaſdem eo conſilio afferri potuiſſe dicit, ut indicaretur, eundem finem Auctores Canonum ſibi propoſuiſſe, ac Deus ſibi in antiquis legibus propoſuit; licet nec idem omnino, nec eodem divino jure prohiberetur. Eandem uſuram, & ex eodem divino jure Chriſtianos cogente prohiberi, Canonum verba, ni per ſummam vim diſtorqueantur, declarant. Unum teſtimonium, quod mirifice ab adverſario diſtrahitur conſiderare liceat.

6. Libro II. c. 7. §. 2. recitavimus celebrem Canonem Carthaginenſis Concilii ſub Grato, qui in plenario Carthaginenſi anno 419. ſub Aurelio repetitus fuit. Obſervationes, quæ in hunc Canonem ibidem ſcripſimus, evidentiſſimum divini juris argumentum ſuppeditant. En ipſa primi Concilii verba, ut ab ipſo adverſario recitantur. *Abundantius Epiſcopus Adrumetinus dixit: In noſtro Concilio ſtatutum eſt, ut non liceat clericis fœnerari; quod ſi & ſanctitati tuæ, & huic Concilio videatur, præſenti placito deſignetur. Gratus Epiſcopus dixit: Novellæ ſuggeſtiones, quæ vel obſcuræ ſunt, vel ſub genere latent, inſpectæ a nobis formam accipient. Ceterum de quibus apertiſſime divina Scriptura ſanxit, non ferenda ſententia eſt, ſed exequenda. Proinde quod in laicis reprehendimus, id multo magis in clericis oportet prædamnari. Univerſi dixerunt: Nemo contra Prophetas, nemo contra Evangelia facit ſine periculo.* Teſtimonium Prophetarum, & Evangelii, quod his verbis ingeritur, veterem, novamque legem uſuras aperte damnantem præfert, ut memorato loco pluribus expoſui. At Broederſen hanc invictam auctoritatem eluſurus, omittens conſiderationem hujus Canonis, qui de ſola uſura agit, citius arripit eundem Canonem repetitum in Concilio an. 419., ubi cum alia præter uſuram interdicuntur, & in quadam collectione, ſeu potius breviario omnis etiam uſuræ mentio prætermittitur, tum vero avaritiæ vitium initio notatur. Hinc porro *Nemo contra Prophetas, nemo contra Evangelia facit ſine periculo*, ita explicat: *Nullus cleri-* p. 1037. n. 38. *cus, qui contra Prophetas, & Evangelium, avaritiam, ſive uſuras ex ſpiritu avaritiæ exercuerit, pœnam depoſitionis evadet*. Palam inſiſtit illis verbis Carthaginenſis an. 419. *Avaritiæ cupiditas, quam rerum omnium malarum matrem eſſe, nemo qui dubitet, proinde inhibenda eſt, ne quis &c.*, quæ cum abſint a Concilio ſub Grato, nihil hoc Broederſon effugium juvat. Sciendum nimirum eſt, Canonem Carthaginenſis an. 419. compactum eſſe ex duobus Canonibus Concilii ſub Grato; altero, ubi avaritia, & quædam aperta avaritiæ crimina damnantur, altero autem, quo damnatur uſura; eademque fere utriuſque Canonis verba uno Canone, atque contextu efferuntur. His vero omnibus ſubjicitur Prophetarum, & Evangelii teſtimonium, quod ſoli uſuræ in Con-

Digitized by Google

Concilio ſub Grato applicatur. Deinde utroque in Concilio non in aliam ſententiam Prophetæ, & Evangelium allegantur, niſi ut probetur de re minime obſcura agi, cum de uſura agitur, ſeu de re certe mala, ac certe prohibita, ut de ea condemnanda, ac punienda, præſertim in clericis, dubitandum non ſit. Igitur utriuſque Concilii Patres certam, & exploratam veteris, ac novi Teſtamenti legem adverſus uſuras putarunt. Neque ipſe Broederſen divinum hoc jus inficiari poteſt, ſi hoc Canone ſermo fuit, ut ipſe putat, de uſuris, quæ pauperes opprimunt; hæ enim vel per ipſum adverſantur naturali juri, quod utroque Teſtamento confirmatum fuit. Sed ſimiles contradictiones in homine, qui falſam ſententiam magno volumine defendendam ſuſcepit, miræ eſſe non debent. Uſuras autem omnes, ſive a pauperibus, ſive a quibuſlibet aliis exactas, ita antiquos Canones, & Concilia condemnaſſe, ut Patres damnarunt, argumenta lib. IV. c. 3. propoſita, ac ſuperiore capite vindicata ſatis convincent; quæ ſi quis recte teneat, omnes Broederſen reſponſiones mera eſſe ſubterfugia, ac inanes conatus cognoſcet. Singula enim ad calculos revocare nec vacat, nec neceſſe eſt.

§. II.

De jure eccleſiaſtico novo. Refellitur libri ſexti pars ſecunda. De præcipuis circa uſuram quæſtionibus: de contractibus, & propoſitionibus damnatis. Invictum argumentum ex jure novo pro catholica de uſuris ſententia demonſtranda.

7. SI cui non omnino evidens videretur antiquum eccleſiaſticum jus, nonne jus novum ſatis eſſe deberet? Juris enim cum veteris, tum novi teſtimonia, quæ de divino circa uſuras jure teſtantur, non ut poſitivi eccleſiaſtici juris leges, quæ innovare potuerunt aliquid, ſed uti ejuſdem divini juris, ac Traditionis teſtes ſuſcipienda ſunt. Numquid in his recentiorem Eccleſiam a veteri Traditione defeciſſe, aut innovaſſe quidpiam ſuſpicari aliquis poteſt? Ipſe Broederſen hoc temerarium, & pollicitationibus Chriſti, non minus antiquæ, quam poſteriori Eccleſiæ factis, contrarium affirmavit. Novum autem canonicum jus, quod a Scholaſticorum ætate cœpit, nihil veteri juri addidit, niſi expreſſius reſtitutionis præceptum, & quaſdam canonicas pœnas manifeſtis uſurariis infligendas. Hæ pœnæ ad diſciplinam pertinent, reſtitutio autem injuſtitiam uſurarum prodit, ut c. 5. oſtendi. Quod autem injuſtum eſt, a quibuſcunque exigatur, eſt injuſtum, ut omnes intelligunt. Hoc primum novi juris argumentum. Alia autem non pauca ſuppetunt ex quibuſdam Canonibus, qui ſingulares quaſdam uſuras cum divitibus, vel mercatoribus initas pro illicitis habent, ut illas Scholaſtici pariter omnes habuere illicitas, nemine excepto. Non alia enim fuit Epiſcoporum, & Romanorum Pontificum, quam communis Scholaſticorum doctrina: nam plerique ex illis fuerunt Scholaſtici celebres, vel in ſcholis enutriti; nec aliam in ſcholis, aliam in Canonibus, vel Decretalibus doctrinam ſecuti ſunt. Broederſen quidem ex Scholaſticis, quos pro ſe ſtare credidit, Epiſcopos quoque hoc eodem argumento in ſuam ſententiam attraxit: *Si omnes fere Doctores controverſioſas pecuniarum applicationes probent; an ne aliter ſentient omnes pene Epiſcopi, qui paſſim e Doctorum numero aſſumuntur?* Erravit ille in hypotheſi, cum Doctores omnes Catholici, etiam illi, qui vel titulos, vel contractus quoſdam defendunt, uſuram omnem

P. 1617. n. 2.

P. 1499. n. 1

omnem damnent: unde hoc argumentum pro nobis recte concludit, cum adverſus uſuram, quam omnes damnarunt, eodem in præſentiarum utimur.

8. Id quidem magis magiſque confirmabitur ex quæſtionibus in uſurarum materia, quæ inter Scholaſticos per hæc tempora excitatæ fuerunt. Hinc enim non ſolum Scholaſticorum inter ſe, verum etiam Eccleſiæ cum Scholaſticis conſenſus in doctrina de uſuris exploratus fiet. Ne prolixior, & infinitus ſim, de præcipuis quæſtionibus tantum dicam: ex quibus etiam nonnulla utiliora patebunt, aliaque explicabuntur, quæ nonnihil difficultatis quibuſdam afferre ſolent.

9. Antiquis temporibus, cum Romanum jus variis de cauſſis, quas recenſere non vacat, uſuras permitteret, ſatis fuit eorum temporum Epiſcopis, atque paſtoribus uſuras omnes in ſermonibus, & catecheſibus reprehendere; at Canonibus, qui pœnis coercerent, cum ſolis fere clericis agendum cenſuere, ut obſervavimus cap. 5. n. 5. Poſtea vero cum Romanum jus nonnullis in locis exoleviſſet, & Chriſtiani Principes editis capitularibus eaſdem vetaſſent *in omnibus*; tum frequentiores Canones illas omnibus, etiam laicis, aliqua pœnarum canonicarum comminatione interdixere. At cum barbaries temporum maximam rerum omnium ignorationem, pluraque vitia induxiſſet in praxim; & inter hæc uſura, quæ Romani juris ſtudio in ſcholas inducto, & ſtatutis etiam quarundam urbium ad Romani juris normam repetita fuerat, paſſim & publice exerceretur tanquam licita, ut ex Conciliis ſeculi XII. colligitur; tum Eccleſiæ Prȩlati, qui de Principum, ac legum civilium præſidio confidebant, eam acrius damnare, & quamplurium Principum, ac legum ope mox accedente, ad reſtitutionem cogere, & graviores canonicas pœnas in manifeſtos uſurarios decernere. Ita per hæc tempora, ex diverſo civilium legum, ac Principum favore, nova quȩdam Eccleſiaſticȩ œconomiȩ ratio inducta, non autem doctrina mutata eſt.

Diſciplinæ, non autem dogmatis mutatio ſæculo XII. inducta.

10. Hoc autem jure Eccleſiaſtico regia poteſtate munito, cum nemini Chriſtianorum liceret uſuram exigere, de titulo ejus, quod intereſt, qui meram, ac juſtam damni, aut lucri ceſſantis reſtaurationem afferens, legitimus eſt, & ab uſura longe ſemotus, nec non de emtione fundi, vel cenſus ex venditorum parte redimibilis cogitari cȩpit. Antiquis Romani imperii temporibus, cum uſura centeſima, ideſt duodecim annua in centum perciperentur in mutuo; cupidi homines in lucrum inhiantes, fȩnebre mutuum, utpote utilius, mallebant contrahere, quam emtiones fundi, vel cenſus, quæ dimidium centeſimæ, ſeu ſex tantum in centum vix reddebant, ut probat Salmaſius de modo uſurarum c. 19. pag. 847. 848. Hinc nihil mirum, ſi quidam avari fœneratores emtiones prædiorum nollent, eaſque aliis ſuaderent Ambroſii tempore, ut ſcilicet pecuniam de Tobia c. 6. ipſis in emtiones ejuſmodi ſub uſuris majori cum lucro crederent. Hinc etiam apertius intelligitur, cur in hiſce uſuris, quæ omne lucrum prædiorum excedebant, lucri ceſſantis titulus allegari non poſſet, & eatenus Sancti Patres ejuſmodi fœnus nullo id genus titulo excuſare potuerint. Hac forte de cauſſa S. Daniel Stylita, de quo plura diximus lib. II. c. 8., medietatem fœnoris, ideſt ſex in centum, pecunioſis quibuſdam permiſit, id referens ad juſtam æſtimationem lucri ceſſantis, quod apud illos, ſi bene inſtituerentur, extitiſſe videtur, ut ibidem oſtendi. Lucrum centeſimæ ex parte capitalis ſolum eſſe poterat in liberis negotiationum ſocietatibus; & eatenus uſuræ modus, qui pro eo, quod intereſt definitus creditur, ut omne lucrum ceſſans comprehenderet,

Cur Patres nihil dixerunt olim de titulo lucri ceſſantis, de quo poſtea dictum fuit.

ret, ad centeſimam evectus fuit. At in praxi, quam Patres ſpectabant, perrari caſus ſemper fuere, in quibus mutui cauſſa negotiatio impediretur. Nam preterquamquod ætate Patrum, ſeu, ut Broederſen teſtatur, ante ſeculum XII. *mercatura non multum colebatur;* fere homines, qui non erant mercatores, pecuniam occupabant fœnore, & hac via lucrari volebant: ac præterea conditiones ceteræ legitimo lucro ceſſanti requiſitæ ad uſuram vitandam, rarius fuerunt obſervatæ eo tempore, quo uſura per ſe auctoritate legum exigi poterat. At ſequiori etate, ſublato per ipſas leges omni fœnore, & reſtitutione ipſarum auctoritate legum exacta, pecunioſi, ut lucrum tute perciperent, non amplius merum mutuum, ſed vel mutuum cum titulo ejus, quod intereſt, vel emtiones fundi, aut cenſus ſtipulari ceperunt. Si omnia vere, & ſincere acta fuiſſent, nihil erat cur dubitaretur. At fœneratorum fraudes, qui interdictum fœnus, & excluſum janua, aliis nominibus per feneſtram inducere, ac legitimos titulos, & contractus fingere, aut quibuſdam pactis vitiare ſtuduerunt, omnia in ſuſpicionem vocarunt. Courſinos celeberrimos fœneratores ſpecioſo damni, ac *intereſſe* titulo maximas uſuras occultaſſe Matthæus Paris memoriæ tradidit. Hæc fraus nonnullos titulo lucri ceſſantis, qui facilius ſimulatur, infenſos fecit, quod de fictione, & fraude facile ſuſpicarentur, ut de quibuſdam ipſe Broederſen fatetur. Communior tandem vicit ſententia, quæ legitimum titulum non minus in lucro ceſſante, quam in damno emergente approbavit, dum quædam conditiones ad cavendam omnem fictionem, ac fraudem, & ad diſcernendum verum lucrum ceſſans adhiberentur, quas ipſæ Pontificiæ Conſtitutiones pro Montibus Pietatis editæ efflagitant, ut Opuſculo I. fuſius explicabimus. Interim omnes, ſive qui lucrum ceſſans impugnarunt, ſive qui defenderunt, fœnebre lucrum ſine juſto titulo exactum ex mutuo illicitum conſenſere; idque præſumſerunt iidem Pontifices, cum eos ſolum in mutuo lucrari poſſe definierunt, qui cum ceſſanti lucro mutuum dantes, pro ſolius lucri vere ceſſantis æſtimatione quidpiam ſupra ſortem exigerent.

(Margin: p. 1121. n. 5.)

(Margin: Ad an. 1235. & 1255.)

(Margin: Cur quidam antiqui lucro ceſſanti infenſi.)

(Margin: p. 1588. n. 39.)

(Margin: Vid. Opuſc. I. c. 3. §. 2.)

11. Majorem uſuræ ſuſpicionem attulerunt emtiones fundi retrovenditionis pacto affectæ; has enim fœneratores ad uſuram tegendam invexerant, ut Hoſtienſis monuit. Vide Opuſculum II. c. 4. §. 3. Quædam etiam conventiones hiſce emtionibus additæ, queis emtio recidere videbatur in mutuum, novas ſuſpicionis cauſſas dedere. Quæſtio ſuper hoc contractu excitata in eo verſabatur, num vera eſſet emtio, an mutuum, & uſura emtionis nomine tegeretur. Qui hunc contractum impugnarunt, mutuum, & uſuram in eo contendebant latere; qui autem defendebant, movebantur, quod mutuum, & uſuram abeſſe crederent. Omnes autem in eo conveniebant, quod ſi mutuum eſſet fœnebre, defendi non poſſet. Idem ſenſit Apoſtolica Sedes, cum in his emtionibus ſub conditione redemtionis ſolvendis, ſi ex circumſtantiis pignus potius, aut hypotheca, quam emtio præſumeretur contracta, illicitum lucrum fœnebre judicavit. Conſule Can. *Ad noſtram, de emtione, & venditione*, & Can. *Illo nos, de Pignoribus*. Similes contractus fundum præſumentes, non cum pauperibus, qui fundis carent, ſed cum divitibus fieri debent. Uſura ergo, etiam e divitibus exacta, & a Scholaſticis, & a Pontificibus illicita habebatur.

(Margin: De emtione cum pacto retrovenditionis.)

12. Simili ratione dicendum eſt de cenſibus realibus, qui certo fundo impoſiti, cum divitibus plerunque contrahuntur. Apud antiquos contractus antichriſeos, qui meram fundi hypothecam, & fructus ſine em-

(Margin: De cenſibus realibus.)

Digitized by Google

emtione vindicabant, uſuræ damnabantur, quia fructus fundi non ex emto, nec in reddituum commutationem, ſed ex pecunia credita pro uſurarum modo percepti vera uſura ſunt, & habebantur. At in reali cenſu cum fructus in reddituum modum ex uſufructu emto proveniant, nec mutuum, nec uſura haberi queunt. Qui hos reprehenderunt, de emtione vera ex quibuſdam circumſtantiis dubitantes, uſuram metuebant: diluebant vero hoc crimen illi, qui eos propugnarunt; idipſumque tandem confirmavit Romana Sedes, cum hos contractus certis conditionibus probavit. Omnes autem uſuram, ſi quæ in his lateret, etiamſi cum ditioribus iniretur, illicitam præſumebant: ceterum nihil fuiſſet, cur de ablegpanda uſura tantopere laborarent, conditioneſque exigerent, quę uſuram excluderent.

De Montibus Pietatis.

13. Quam magna exarſerit de Montibus Pietatis quæſtio, & quam acriter hinc atque hinc pugnatum fuerit, intelliges ex dictis Opuſculo I. c. 2. Quæſtio autem non erat, num uſura aliqua modica, quæ in Montibus exigeretur, liceret; ſed num acceſſio illa, quæ pro Montium ſumtibus, & miniſtrorum ſtipendiis pendebatur ſupra ſortem, eſſet uſura. Dum in hoc diſcrepabant diſſidentium ſententię, omnes in primo capite concordabant: & dum Apoſtolica Sedes, ac Generale Concilium litem finitura hanc acceſſionem approbarunt, id unum augmentum approbarunt, quod pro indemnitate Montium exactum uſura non eſſet. Vide ipſam Lateranenſis Concilii, ac Leonis X. definitionem a Broederſen recitatam pag. 1152. n. 6., ubi acceſſionem illam *pro Montium indemnitate duntaxat* approbantes, *minime uſurariam* declarant: unde miranda eſt Broederſen impudentia, qui nihilominus *uſuram* approbatam n. 7. & 8. colligere audet. Cum ſimiliter in maximis anguſtiis Montium pecunia invenienda fuit, Apoſtolica Sedes interrogata, quibus eam cum lucro credere liceret; iis ſolis id licere reſpondit, qui in Montium gratiam honeſto, ac parato lucro impediti, meram indemnitatem exigerent. Ubi autem lucri ceſſantis caſus non eſſent parati, citius alios contractus emtionum, vel cenſuum longo circuitu ineundos pręcepit; nunquam autem uſuram, quam etſi exiguam, ne in hiſce quidem anguſtiis, ac neceſſitatibus publicis licitam putavit. Neque forte dicas in caſu Montium Pietatis agi de pauperibus, ex quibus uſuram vel minimam quærere criminoſum eſt. Nam ſi uſura in adverſarii ſententia æque per ſe eſſet licita ac lucrum ceſſans, vel alii emtionum, aut cenſuum contractus; hac ratione æque reprobari debuiſſet in Montibus acceſſio quævis, etiam ex lucro ceſſante, vel aliis contractibus, qui æque in pauperum gravamen redeunt, ac ſi uſura per ſe quæreretur. Si nihilominus iſtæ acceſſiones ex lucro ceſſanti, vel alio contractu fuerunt probatæ; improbatæ autem in ſolo fœnore: argumentum eſt evidens, fœnus non ita per ſe licitum fuiſſe habitum, ac illi contractus, vel lucri ceſſantis titulus licent. Confer tamen exceptiones additas lib. II. c. 5. §. 4.

Vide Opuſc. I. cap. 4. & ſeqq.

14. Hic autem mirificam plane Broederſen ſententiam proponere, ac perſtringere liceat; qui hos titulos, & contractus, ſeu, ut ipſe appellat, uſuram, etſi a pauperibus exactam, idcirco in Montibus Pietatis licitam affirmat, quia hęc ibidem *iſtum in finem, & ea moderatione exercetur, ut pauperes aliquo modo juventur, & non dilanientur diriſſimis uſuris*. Hinc alibi * uſuras Montium a generali prohibitione, ne a pauperibus exigantur, excipit; & huc etiam reſpiciens nonnullas uſuras in indigentibus ex peculiaribus circũſtantiis nec juſtitię, nec charitati contrarias p. 1629. n. 11. 1630. n. 13. & alibi agnoſcit. Quam pugnantia

Mira adverſarii exceptio.

p. 1153. n. 10.

** p. 5. n. 14. 23. n. 6. & 1713. n. 24.*

p. 1619. n. 11. 1630. n. 13.

loqui

loqui debet, qui veritatem non ſequitur! Si vera uſura iu Montibus Pietatis licita, & approbata eſſet, quod moderata ſit, & pauperes juvet, ne gravioribus uſuris opprimantur, ſola immoderata uſura a pauperibus exacta illicita eſſet: quæcunque enim moderate ab iiſdem exigitur, eoſdem aliquo modo pariter juvat, eoque fine exigi poteſt, ne alias illi pecuniam ſub graviſſimis uſuris quærere cogantur. Ita æqua uſuræ, quæ a pauperibus, ac divitibus certo legum modo exigitur, conditio eſſet; immoderata enim uſura æque cum omnibus eſt iniqua; quæ autem ex modo legum eſt, æque a Montibus, ac a privatis quibuſque exigetur, unde Broederſen pag. 1004. n. 3. idem conſilium legum, ac Montium agnoſcit; quod tamen contra adverſariorum ſyſtema pugnat. Sed hæc dicta apparent, ut vitetur difficultas, quæ ex Montibus Pietatis ducitur. At Eccleſia cum acceſſionem probavit in Montibus, non uſuram, ut diximus, ſed indemnitatem ſolam Montium probavit.

Quæſtio de diſpenſatione circa uſuram in neceſſitate.

15. Adeo autem ab uſura vel moderata probanda, etiam cum videretur maxime neceſſaria, abhorruit, ut in quæſtione, num liceret diſpenſare in uſura ſaltem moderata, eamque ſtatuto probare in Judæis, ne alias pauperes immani fœnore gravarentur, hoc illicitum declaratum fuerit. Cedam inter alia peculiare noſtræ civitatis documentum. In actis civitatis Veronenſis diei 31. Decembris an. 1408. conſilium captum fuit, ut Judæi Veronam vocarentur, ad mutuandum indigentibus ſub moderato fœnore, ne hanc illicitam artem exercerent quidam Chriſtiani, qui præterea enormes uſuras exigebant: *Propoſito in dicto conſilio quantum commodi, & utilitatis ſit, & foret habere hic Judæos, qui mutuarent, habito reſpectu ad Chriſtiados hic præſentialiter exiſtentes, qui maxima enormitate, & uſura mutuant, & pro ſalute etiam animarum (quod potius eſt)... & pro honore, & bono Reipublicæ Veronenſis* &c. In hunc finem moderatior uſura Judęis præfinienda erat, qua ita pauperes non opprimerentur, ut moderato indemnitatis pretio non opprimuntur in Montibus Pietatis. Hanc uſuram vel in Chriſtianis per ſe licitam non dubitaret Broederſen. At cum hæc a Catholicis haberetur per ſe illicita; num in Judæis permitti poſſet, eoſque qui extra Eccleſiam, & jam damnati ſunt, liceret ad exercendum fœnus ejuſmodi, etſi moderatum, publico bono, ac neceſſitate conducere, ne alias indigentes majoribus uſuris ab ipſis Chriſtianis fœneratoribus premerentur, acriter diſputatum fuit, ut patet inter cetera ex quatuor conſiliis Alexandri de Nevo Vicentini, qui hoc eodem ſeculo in ſimili controverſia Patavii excitata, ſtatutum, quatenus uſuris favens, non autem mere diſſimulans, illicitum probavit. Omnes autem in omni uſura condemnanda conveniebant; & ſolum nonnullis videbatur licitum in tantum publicum bonum, & ad majus malum vitandum Judæis hanc facultatem permittere, modumque uſuræ præfinire. In hiſce diſputationibus de Eccleſiaſtica diſpenſatione quærenda cogitatum fuit. Itaque Veronenſis civitas ad Cardinalem Franciſcum Condulmerium Epiſcopum ſuum, Eugenii IV. Pontificis fratris filium, & S. R. Eccleſiæ Vicecancellarium Romę degentem ſcripſit, ut in eo, ſi fieri poſſet, licentiam tranſmitteret. Reſcripſit ille die 17. Novembris an. 1441. in hæc verba, quæ ex actis civitatis diei 1. Decembris an. 1441. exſcripſimus, & leguntur etiam poſt ſupplementum Fr. Nicolai de Auximo Ordinis Minorum Venetiis impreſſum per Franciſcum Rener de Hailbrun an. 1483., cui memorata etiam Alexandri de Nevo conſilia ſubjiciuntur: *Quoad materiam Judæorum,*

Vide conſ. 100. & ſeqq.

pro

pro quibus conducendis ad fœnus exercendum licentiam petitis, hoc pro veſtra prudentia ſcire debetis, non eſſe in poteſtate noſtra, neque alterius viventis in ea re votis veſtris ſatiſfacere, obſtante Dei, & Domini noſtri prohibitione, cui ex neceſſitate ſalutis omnis anima veluti ejus ſublimi poteſtati ſubdita obedire tenetur. Qui licet forte in aliquibus civitatibus admitti videantur, id non tam ex licentia, qua nunquam datur, quam ex quadam diſſimulatione peragitur; ſicut contingit in aliquibus aliis, in quibus nullo jure, nulla honeſtate licentia talis concedi poteſt. Verum auctoritatem abſolvendi Communitatem ſuper ea re de præterito Vicario noſtro tranſmittimus &c. Datum Romæ 17. Novembris MCCCCXLI. Hoc novum teſtimonium eſt ſententiæ Epiſcoporum, & Eccleſiæ, qui omnem uſuram jure divino damnatam certiſſime præſumſerunt. Idcirco enim nullam diſpenſandi facultatem ineſſe credidere circa uſuram, etiamſi ex Broederſen ſenſu moderata, & in pauperum ſubſidium præfinita ſit, quod nulla in jure divino diſpenſandi vis hominibus competat. Si non de ſola indemnitate, ſed de vera uſura quantumvis moderata actum eſſet in Montibus Pietatis; nunquam ea potuiſſet approbari ab Eccleſia, quæ omnem uſuram jure divino damnatam credidit.

Quæſtio de Montibus Florentinis.

16. Alia quidem controverſia de Montibus magna contentione excitata, non pauperes, ſed divites reſpicit, in qua tamen æque omne fœnus ab omnibus illicitum habitum fuit. Controverſiam intelligo de Montibus Florentinis, ac locis Januenſibus, quibus pecunia Principi Reipublicæ ad annuum lucrum credebatur. Quam pugnantes utrinque eſſent Theologorum, & Canoniſtarum ſententię, ex iis, quæ S. Antoninus differit part. 2. tit. 11. intelligere licet. Cum tamen alii uſuram aſſerebant, & idcirco Montes prædictos damnabant; alii vero negabant uſuram, & idcirco eoſdem Montes defendebant; omnes uſuram illicitam fatebantur. Apoſtolica vero Sedes non alios Montes, ſeu loca Montium probavit, niſi ea, quæ veram certorum redditwum emtionem a mutuo alienam præferunt, ut Opuſculo I. pluribus exponam. Similes emtiones Montium etiam cum ditiſſimis familiis neceſſarias ad uſuram purgandam eadem Sedes judicavit, ut ibidem dicetur; unde *Montes Baroles*, uti vocant, identidem erexit. Nihil his fuiſſet opus, ſi uſuram cum divitibus licere putaſſet.

De cambiis, & depoſitis.

17. Quid dicam de cambiis, vel depoſitis, quæ cum mercatoribus ineuntur? Lucrum tamen ex depoſitis, & ex ſiccis cambiis, nec non ex cambiis realibus, in quibus pro dilatione temporis majus lucrum quæreretur, quam quod realia cambia legitime pariunt, Pius V. uſuræ damnavit. Obſervanda autem præcipue ſunt damnationis verba: *Quæ omnia nos uſuraria eſſe declaramus;* ubi *uſuraria* pro *illicita* poſitum eſt, quod omnis uſura, etiam inter mercatores, per ſe criminoſa communi, & explorato Apoſtolicæ Sedis, atque Catholicorum ſenſu haberetur: unde & Gregorio XIII. in deciſione circa contractum Germanicum, qui promiſcue cum omnibus, etiam mercatoribus, ac divitibus inibatur, idem fuit dicere *uſurarius eſt*, ac illicitum, & iniquum pronunciare: *Contractus*, inquit, *modo, & forma prædictis celebratus, uſurarius eſt*. Et palam ſuadet ſubjecta ratio, & conſequentia: *Ex quo conſequitur, ut per nullam conſuetudinem, aut legem humanam excuſari, neque ulla etiam contrahentium bona intentione defendi poſſit, cum ſit jure divino, & naturali prohibitus*. Non dixit prohibitum, ſi cum pauperibus, aut contra charitatem fiat, ſed univerſim prohibitum affirmavit, quia uſurarius eſt.

Conſtitutiones adverſus

18. Id etiam ſatis refellit eorum exceptiones, qua id genus Conſtitu-

ea latæ non ſunt poſitivi juris.

ſtitutiones ad jus poſitivum Eccleſiaſticum referunt; ubi enim contractus in ſe vere uſurarius eſt, eum divino, ac naturali jure prohibitum Romana Sedes ſemper judicavit. Neque vero negarim, quaſdam Conſtitutiones Apoſtolicas poſitivum jus in aliquos contractus induxiſſe, cum aliquas * conditiones jure naturali, ac divino minime neceſſarias præſtituerunt, ut in Pii V. Conſtitutione de cenſibus notiſſimum eſt. Hæ tamen ipſæ conditiones ad naturale, ac divinum jus contra uſuras muniendum, fraudeſque præcavendas inductæ, uſuram in ſe illicitam præſumunt; ut enim uſuræ periculum, ac fraudes averterentur, conditiones illæ, etſi non neceſſariæ, præſcriptæ fuerunt. Etſi vero Conſtitutio de cenſibus, quo ad conditiones nonnullas poſitivi juris dici poſſit; non tamen quodad illas, quæ ſi deſint, uſura cenſus nomine tegitur; ubicunque enim contractus uſurarius ſit, divino, ac naturali jure prohibitus, ut Gregorius XIII. ſcripſit, habitus ſemper fuit. Hæc aperta, & conſtans Apoſtolicæ Sedis doctrina.

* Conditiones autem neceſſarias ſtatuimus Opuſculo I. c. 4.

19. Ceterum in memorata Pii V. Conſtitutione de cambiis, ac depoſitis uſurariis, de qua dicere cæpimus, poſitivum jus affirmare nemo poteſt: nullæ enim conditiones poſitivi juris ibidem præcipiuntur; ſed cambia ſicca, & depoſita per ſe uſuraria, ac illicita declarantur, ut ex contextu præſertim colligitur. Ratio etiam æquiſſima confirmat. Num enim Romana Sedes contractus hos negotiationi, & negotiatoribus maxime neceſſarios, & utiles (ut a nonnullis prædicantur) tam ſevere damnaſſet, ſi liciti eſſent? Quodnam iſtud poſitivum jus, a quo res licita, utilis, & neceſſaria vetaretur? Injurioſum id Apoſtolicæ Sedi eſſet, nec non Epiſcopis omnibus, ac toti Catholicæ Eccleſiæ, quæ hanc Conſtitutionem ſuſcepit. Idem judicium ferendum de Sixti V. Conſtitutione ab Epiſcopis ſuſcepta, & variis diœceſanis Synodis, ac Epiſcopalibus edictis repetita, quæ cum uſuræ damnat ſocietates, quibus cautio capitalis, & lucri additur, uſuram etiam cum mercatoribus dictæ ſocietatis nomine initam damnat.

20. Non defuerunt quidem, nec deſunt plures, qui id genus ſocietatum certis conditionibus tuentur, ſicut alii non tam cenſus reales, quam perſonales, & utrinque etiam redimibiles, atque cautione capitalis munitos nituntur defendere. At hi quoque cum hos contractus defendunt, uſuram reprobant, æque ac illi, qui hos contractus impugnant. Omnes enim conveniunt in uſura damnanda; licet alii iis in contractibus haud ineſſe putent uſuram, quam alii in iiſdem ineſſe contendunt. Igitur hæc ipſa inter hoſce Theologos quæſtio doctrinam de uſuræ pravitate non evertit, ſed potius confirmat: ideo enim alii reprobant hos contractus, quia uſuram, quam ibi ineſſe judicant, reprobandam vident; eademque de cauſſa alii, ut eos contractus jure vindicent, ab uſura, quam reprobandam pariter credunt, ſubducendos, ac eximendos intelligunt. Huc etiam ſpectant alii tituli, atque contractus, qui pro diluenda uſura a quibuſdam benignioribus Theologis excogitati fuerunt, ex quibus nonnulli ab Alexandro VII., vel Innocentio XI. condemnati ſunt.

Aliæ quæſtiones, & de propoſitionibus circa uſuram damnatis.

21. Hinc porro Eccleſia, cum hæc uſuræ pallia damnans, uſuram ſub iis palliis latere definivit, non meram uſuræ deliteſcentis notitiam hac definitione proſpexit, ſed crimen voluit innuere, quod in uſura contineri omnibus Chriſtianis manifeſtum eſt. Idem ſcilicet fuit Pontificibus, & Epiſcopis *fœneratitium* dicere aliquem contractum, ac *criminoſum* declarare, quod omne fœnus criminoſum catholica doctrina tradiderit. Alias, ſi hæc Broederſen opinio in Eccleſiam admittenda

da eſſet, ut non male viſum eſt nonnullis, has omnes propoſitionum fœnebrium condemnationes, omniaque adverſus contractus uſuram tegentes decreta aboleri oporteret. Si enim uſura per ſe liceat ſine titulo, & pallio ullo; quanto magis ea licebit, quæ alicujus tituli, vel contractus pallio tegitur? Neque forte quiſpiam cum Broederſen excipiat, Alexandrum, & Innocentium quaſdam propoſitiones ad uſuram pertinentes jure damnaſſe, quia nimium late propoſitæ, uſuram etiam a pauperibus ex modica pecunia exactam, & charitati contrariam complectebantur. Nihil ineptius. Ut enim omittam auctores damnatarum theſium caſus excepiſſe, atque damnaſſe, in quibus lucrum cum pauperum oppreſſione quæreretur, ut ex ipſis eorundem teſtimoniis probare liceret; hac eadem ratione, ſi quid valeat, æque proſcribendæ fuiſſent aliæ generales propoſitiones, uti hæc ex. gr. *Ex titulo lucri ceſſantis, vel damni emergentis aliquid ſupra ſortem exigi poteſt*, quæ id ita generatim affirmat, ut caſus pauperum, quibus nulla hujus quoque tituli habita ratione gratis in neceſſitate opitulandum eſſet, nequaquam excipiat. Nullum ſcilicet per adverſarios ejus tituli majus privilegium eſt præ uſura ſimplici; quæ ab iiſdem ſuapte natura æque juſta creditur, ſive adſit ille titulus, ſive non adſit. Igitur ubi ſola pauperum, qui in generali propoſitione non excipiuntur, ratio in proſcribendis ejuſmodi theſibus ab Apoſtolica Sede habita fuiſſet, vel utraque generalis propoſitio damnanda fuerat, vel neutra. Id autem ſi dici non poteſt, hæc profecto damnationis ratio inanis omnino, & ab ejuſdem Sedis mente alieniſſima eſt. Quid quod ſi ipſæ damnatæ propoſitiones conſiderentur, nullæ probant ullo modo uſuram, ſed quædam potius uſuram expreſſe negant? Sic ex. gr. propoſit. 41. damnata ab Innocentio XI. *Cum numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non majoris faciat pecuniam præſentem, quam futuram, poteſt creditor aliquid ultra ſortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari.* Et propoſit. 42. *Uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, ſed ſolum ſi exigatur tanquam ex juſtitia debitum.* Cum ergo Pontifices has propoſitiones damnarunt; hoc unum damnarunt, negare uſuram eſſe id, quod uſura eſt: utræque enim propoſitiones uſuram tantummodo inficiantur; de licito autem, vel illicito lucro nihil affirmant, vel negant. Quid autem interfuiſſet damnare quod tantummodo negat uſuram, niſi quia uſuram cognoſcere, & rem illicitam intelligere pro eodem habetur? Igitur propoſitiones non idcirco fuerunt damnatæ, quia uſuram generatim nulla exceptione pauperum approbarent; ſed quia uſuram negantes, id negabant, quod per ſe ex natura ſua, non autem ex pauperum conditione illicitum eſt. Nihil quidem erat, cur ex ſola conditione pauperum damnaretur negare uſuram, ſi id, quod negatur æque per ſe liceret, etiamſi vere eſſet uſura. Num quis enim damnandam crederet propoſitionem, quæ locationem in aliquo contractu negaret, qui vere locatio ſit; propterea quod aliquo caſu locationis penſio a paupere illicite contra charitatem exigitur?

F. 929. n. 6.

P. 1207. n. 115.

22. Sed in nugis ejuſmodi nimium immoramur, cum præſertim aliis ex Conſtitutionibus, quæ uſuram etiam in depoſitis, cambiis ſiccis &c. e mercatoribus, atque divitibus exactam damnant, Romanæ Sedis mens, atque doctrina explorata ſit. Niſi hoc eſſet omnino certum, omnes ejuſmodi Conſtitutiones, & condemnationes propoſitionum, vel quorundam contractuum, ſuperæ ſlu-

Digitized by Google

ſtuæ prorſus, ne dicam ridiculæ eſſent. Si enim in his Pontifices non omnem uſuram per ſe illicitam, ac injuſtam præſumſiſſent, ſed ſoli uſuræ immoderatæ, vel immiſericordi aditum voluiſſent præcludere; quid tanto tam multorum Decretorum circuitu, totque cautionibus opus fuiſſet? Nonne id obtinuiſſent multo brevius, & apertius hac una Conſtitutione, qua caviſſent, ne quis vel de uſura ultra modum legum ſtipularetur contra juſtitiam, vel uſuram ullam ab indigentibus contra charitatem exigeret? Hebetis, & obtuſæ mentis ſit oportet, qui invicto hoc argumento non convincatur. Itaque ut caput tandem concludam, in his, aliisque omnibus, quæ in uſurarum materie excitatæ fuerunt quæſtiones, etſi alii e Scholaſticis nonnunquam rigidius, alii vero licentius, atque laxius opinati, ſive timuerint de uſura, ubi non eſt, ſive ubi eſt uſuram negarunt; omnes tamen uſuram, ubicunque ſit, & a quocunque exigatur, peccatum eſſe ſenſere; idemque pariter ſenſerunt omnes Romani Pontifices, & Epiſcopi Catholici, qui nihil excipientes in hoc crimine, non ſolum illam damnarunt in iis contractibus, qui divites una ac pauperes complectuntur, ſed in illis etiam, qui fere cum ſolis divitibus, ac mercatoribſis fiunt.

23. Ex his autem omnibus invictum argumentum paucis proponere, & concludere liceat. Novum canonicum jus, ideſt Pontifices, Concilia, & cum iis Epiſcopos poſteriorum temporum, omnem omnino uſuram, etiam a divitibus exactam, habere per ſe ſaltem divino jure illicitam, atque contrariam juſtitiæ, quam reſtitutionis obligatio conſtanter impoſita declarat, ex dictis hactenus tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Quæro, num novitatem doctrinæ circa uſuram hoc jus invexerit, an non? Primum dici nequit, ne Eccleſia horum temporum a veteri Traditione deflexiſſe, & novitatem, ac errorem recepiſſe dicatur; quod promiſſis Chriſti, & catholico ſenſui omnino repugnare ipſe Broederſen agnoſcens, catholico viro indignum fatetur, *ſi quis exprobraret Eccleſia, eam in uſurarum materie a ſeculo XIII. errare, ac homines in errorem inducere*. Si vero novitas jure novo inducta non eſt; vetus ergo hæc doctrina dici debet, & in eandem ſententiam Patres, & antiquum Eccleſiaſticum jus, nec non Scriptura ipſa intelligenda eſt; ac vera novitas, & error haberi debet Broederſen ſententia, qua Scripturam, Patres, ac jus Eccleſiaſticum vetus aliorſum diſtrahens, de ſolis uſuris pauperum, vel immodicis interpretandos contendit. p. 1627. n. 2.

24. Poſt hæc de juris utriuſque conſultis, de quibus adverſarius hoc libro multa ſubjicit, nihil opus eſt addere: nam juris canonici interpretes catholici nihil a canonicis inſtitutionibus diſcrepant: civilis autem juris periti ſi quid pro uſura videntur alicubi ſcribere, in Romani juris, quod interpretantur, ſententiam, ac in fori externi politiam ſcripſerunt, ut nihil pro canonico jure, & pro interiori foro concludant: ac præterea uſuram alibi canonico, & divino, vel naturali etiam jure illicitam plerique fatentur, ut pluribus, ſi opus eſſet, ipſorum teſtimoniis probare poſſemus. Si qui vero titulos, vel contractus varios, qui inter Catholicos controvertuntur, probarunt; hoc ad catholicam de uſuris doctrinam nihil pertinere ſæpius monuimus. Sanam Græcorum, & cum Latinis concordem de uſuris ſententiam, quam Broederſen diſtorquere nititur, latius vindicavimus in Præfatione num. 7., cum quo conferenda quæ addidimus lib. II. c. 7. §. 8., & lib. IV. cap. 4. paullo ante finem. Inaniſſima effugia, quæ reponit, ſatis ex dictis hactenus rejecta, novam reſponſionem non optant. p. 1221. p. 1310. §. 6.

CAP. X.

Paucis refelluntur quæ Broederſen libro ſeptimo obtrudit. De reſtitutione uſurarum perceptarum, quæ maximam difficultatem affert. Num aliquo caſu bona fidei poſſit non obligare.

1. QUod opponitur libro ſeptimo ex civili jure, multis capitibus nutat. Primum ſi quid probaret, pro uſuris etiam a pauperibus exactis probaret: in horum enim gratiam potiſſimum latæ fuerunt de uſuris leges, ut vel adverſarius nonnullibi fatetur. Quod ſi ſolas compenſatorias uſuras civiles leges probant, non autem lucratorias, ut idemmet ipſe contendit; quid has leges transfert ad probandam uſuram proprie dictam, quam vere lucratoriam vidimus? Quid tandem quod nulla legum civilium poteſtas, naturali, vel divino juri omnes uſuras vetanti prævalere poteſt, ut lib. III. c. ult. probavimus? Conſentit etiam adverſarius, qui propterea ſcripſit, utroque jure ante præſumendos eſſe licitos fœnebres contractus, qui a Statibus Fœderati Belgii liciti probantur: *Si enim*, inquit, *aut naturale, aut divinum jus per ſe læderent; edicto D.D. Statuum Generalium liciti fieri non poſſent.* Uſuram autem naturali, vel divino ſaltem jure omnino interdictam invicte oſtendimus, ut ne quid Broederſen reſponſiones profecerint. Nonnullæ etiam ex iiſdem legibus hoc ipſum confeſſæ ſunt, ut inter ceteras lex Imperatoris Baſilii, quæ non aliam interdicendę uſuræ rationem allegavit, niſi quia *jure divino interdicta eſt, ne dum jus ſervare ſtudemus, legem Dei violemus.* Hanc legem deſcripſimus ex Harmenopulo lib. II. c. 7. §. 6., eademque plane eſt, quam Blaſtares apud adverſarium recitat. Vide de his legibus plura lib. III. cap. ult., lib. V. c. 3. §. 3., & lib. VI. c. 1. §. 4.

pag. 991. 5. pag. 1420. n. 6. & ſeqq. 1450.

p. 919. c. 104.

p. 1305. n. 9.

Cetera quæ occaſione legum Broederſen interſerit, quibuſque multa miſcet, ac reperit, ad titulos, & contractus alios pertinentia, ex alibi dictis refelluntur; eadem enim toties repetere importunum eſſet. Mirificas porro, & violentas reſponſiones, quibus leges adverſus uſuras latas eludere nititur, quiſque facile cognoſcet.

2. Unum quod ſub finem libri maxime ingerit *de horrendis*, ut vocat, *ſequelis*, quæ ex damnatione uſuræ difluerent, ac totam rempublicam turbarent; hoc, inquam, unum, quod gravius videtur, ne intactum prætercam, dico in primis nihil horum probare, ubi uſura illicita ſit. Quodcunque ſcandalum ex veritate ſequatur, non idcirco diſſimulanda veritas eſt, ab iis præſertim, qui eam ex officio prædicare debent. Nam melius eſt ut ſcandalum oriatur, quam ut veritas relinquatur, ut S. Gregorius docuit. Cum ſeculo XII. *in omnibus fere locis* uſura *tanquam licita* exerceretur, num vitio dari poteſt Concilio Generali Lateranenſi ſub Alexandro III., ſi ignorationem tollendam, ac decretum contra uſuras ferendum credidit? Non curarunt Patres quæcunque ſimiliter timeri poſſent turbæ, & conſecutiones, cum de divina lege, quam homines videbantur obliti, reſtituenda ageretur. Dein pleræque ſequelæ, quas adverſarius deſcribit, inania ſunt meticuloſi hominis ſpectra; quæ diſjicientur facillime, ſi in uſura vetanda ea cautio adhibeatur, ut modi licitæ collocationis pecuniarum, queis cuivis neceſſitati ſuccurratur citra uſuram indicentur. Potiores enim tumultus ex ea opinione naſcentur, qua, ob ſublatam uſuram, privata, & publica pernicies, magnaque in pauperes detrimenta timentur. Modos autem hujuſmodi innuimus primum lib. VI. cap. 1. dein in Opuſculis I. & II. fuſius explicavimus.

p. 1436. cap. 28.

Homil. 7. in Ezech. n. 5.

3. Ma-

Digitized by Google

De reſtitutione uſuræ.

3. Maxima omnium reſtat de præteritis, ſeu perceptis uſuris difficultas. Has tamen, quavis difficultate contemta, reſtituendas, Concilia, & Pontifices omnes ſanxerunt. Hoc ergo ſi exigatur, nemo mihi ſuccenſeat; ſed qui me reprehendendum putant, reprehenſionem, ſi audent, convertant in Concilia, & Pontifices, quos ego duces, atque doctores ſequor. Id autem ſi nemo auferit, omnes paſſim a reſtitutione ſubducere, ut quidam vellent, impoſſibile eſt; irritæ enim generales ejuſmodi ſanctiones redderentur. Solum de aliqua particulari exceptione citra Canonum injuriam cogitari poteſt. Qui autem ſint ejuſmodi caſus jure excipiendi, partim ex ſingularibus circumſtantiis, partim ex ſanioribus reſtitutionis regulis prudenter dijudicandum erit.

Num qui caſus excipiendi.

4. Cum uſuras mala fide perceptas a reſtitutione ſubtrahere impoſſibile ſit, de ſolis uſuris perceptis bona fide quæri poteſt. Nonnulli apud Saint-Beuve tom. 2. caſ. 140., ſeu caſ. 346. editionis Venetæ, uſucapionem, quæ bonorum mobilium præſcriptionem affert, & dominio eorum traducto a reſtitutionis obligatione ſolvit, locum habere poſſe cenſent etiam in uſuris, quæ bona fide, cum aliquo ſaltem titulo colorato, & præſumto perceptæ, triennii poſſeſſione pacifica firmatæ fuerunt; idque facilius valere putant in uſuris, quæ titulo alicujus contractus, & legum civilium patrocinio fulciuntur. Sed hæc opinio antiquis ignota, nimium laxa, nec ſatis tuta aliis videtur. Æquior autem, & certa, & omnium, quas hactenus viderim, mitiſſima regula ea eſt, quæ fructus bona fide perceptos, atque conſumtos reſtituendos non eſſe docet, niſi quatenus quis exinde locupletior factus fuerit. Hæc regula, quæ in omnibus juſtitiæ commutativæ materiis valet, in materie uſurarum peræque valere debet: unde illam inter ceteros adhibuit Cardinalis Gabriel Paleottus Archiepiſcopus Bononienſis in Inſtructione Italica ad Confeſſarios de contractibus emtionum cum pacto retrovendendi, edita die 14. Auguſti an. 1579., & iterum 15. Martii an 1587. ubi hæc leguntur: *E' vero, che ſe non coſta chiaramente, che l' animo del compratore ſia ſtato di preſtare il danaro, ma ſolamente di ritraerne guadagno mediante tal contratto, il quale per alcune clauſule, o patti ſia feneratizio; allora la buona fede, che averà avuta, lo potrà eſcuſare dalla reſtituzione, ma non però di quel tanto, in quo erit factus ditior; e queſto ſino al tempo che gli dura la buona fede.*

Vide Epiſcopale Bononien. pag. 221.

5. At duplex hac in re occurrere poteſt quæſtio non levis. Prima, quid *bona fidei* nomine intelligendum ſit, ſeu quid in caſu uſuræ bonam fidem præſtare poſſit. B. Iveta vidua, licet eo tempore uſuram contraxerit, quo hæc communi fere errore *nullum, vel leve peccatum* habebatur, & *de patris conſilio* id fecerit, quo nihil amplius ad ſtatuendam bonam fidem deſiderari videtur; tamen *in multis ſe peccaſſe in via hac*, Deo inſpirante, pernoviſſe, ac pœnitentia, & reſtitutione ſatisfeciſſe, in vita a coævo auctore ſcripta traditur. S. Antoninus part. 2. tit. 11. c. 1. §. 3. bonam fidem excludit in duobus uſuræ caſibus ſatis communibus, quamvis illi, qui hanc uſuram percipiunt, *ſibi non faciant*, inquit, *conſcientiam, exiſtimantes illud licitum*. Alibi tamen mitius loquitur; & poſſibilem caſum ignorantiæ invincibilis etiam circa uſuram agnoſcit *forte in aliquo ſimplici*, ut pluribus oſtendi not. 4. in c. 14. tit. 4. part. 1. S. Antonini editionis Veronenſis.

Apud Bolland. 13. Januar. cap. 2.

6. Porro ſi certa ex perſonarum circumſtantiis credatur bona fides, altera difficilior quæſtio decidenda ſupererit, num quis uſuram bona fide perceptam ita conſumſerit, ut exinde locupletior factus non ſit.

Digitized by Google

Eum conſumſiſſe, nec ditiorem eſſe factum, qui quidquid percepit per uſuram, ita conſumſit, ut non ſolum nihil exinde in patrimonio creverit, verum etiam nihil pepercerit propriis bonis, omnes conſentiunt. Si quid enim in propriis bonis reſtet, quod ſine uſura conſumtum fuiſſet; id uſuræ cauſſa veluti acquiſitum, & in eo homo locupletior factus intelligitur, ut Auctores colligunt ex ipſis Romanis legibus, unde hæc regula ſumta fuit. At cum ille pariter, qui tantum in uſura lucratus eſt, quantum alia honeſta via fuiſſet lucratus, ſi de uſura illicita dubitaſſet, ditior ex uſura factus dici aliquatenus nequeat (nihil enim amplius ex uſura poſſidet, quam habuiſſet ſine uſura) quæri poteſt, num ea regula iis quoque in caſibus valeat, ubi quis ita cum bona fide lucratus ſit ex contractu fœnebri, ut ſi uſuram putaſſet illicitam, vel potius contractum credidiſſet uſurarium, & illicitum, alium æque utilem, & licitum contractum certe iniiſſet. Dixi *æque utilem*; nam ſi minus lucri ex alio contractu licito fuiſſet perceptum, lucrum fœnebre, quatenus excedit, ditiorem profecto facit. Addidi *certe iniiſſet*; neque enim poſſibile lucrum ſatis eſt, ſed ſaltem certum moraliter requiritur, ut alias tantundem ſe lucraturum fuiſſe quiſpiam affirmet.

7. His autem omnibus in particulari caſu poſitis, memoratam regulam de bona fide a reſtitutione excuſantem huic quoque caſui accomodandam cenſuit Rovenius Ultrajectinus Epiſcopus in fragmento apud Broederſen pag. 1175., ubi ille definita ſexta quæſtione, qua quidam contractus apud Belgas uſitatus ab eodem uſuræ damnatur, quæſtioni ſeptimæ in hæc verba propoſitæ; *Quid ergo agendum circa reſtitutionem penſionum acceptarum ex prædictis obligationibus*, ſic reſpondet: *Qui fide bona ſic contraxerunt, non videntur uſque adeo urgendi ad reſtitutionem, niſi qua parte facti ſunt hoc modo ditiores: attamen monendi ſunt tales, ut mutata intentione, a ſimilibus contractibus deinceps abſtineant, & jam factos revocent ad licitam formam cenſus, vel alterius juſti contractus. Excuſandi autem videntur de præteritis, quia tales contractus fecerunt ex ignorantia juris aliquantulum obſcuri, & ex conſuetudine, & uſu patria: ac ſi ſciviſſent contractus tales eſſe uſurarios, ab iis abſtinuiſſent, potuiſſentque alio modo licito tantundem, vel amplius lucrari; unde ſequitur evidenter, quod bona fide fructus perceperint: hæc autem excuſat a peccato, & reſtitutione fructuum, quibus non eſt quis factus locupletior, ſed ſunt conſumti, & non extant. Nihilominus a tempore quo ſunt moniti contractus tales eſſe illicitos, & tamen receperunt penſiones annuas, tenentur ad reſtitutionem acceptorum, quia non egerunt bona fide.* Hæc de iis ſolis intelligi poſſunt, qui alias æquale lucrum percepiſſent ex alio licito contractu, ſi de uſuræ crimine dubitaſſent; hi enim ſoli uſurario lucro ditiores facti non videntur. In hanc eandem ſententiam inclinare videtur Genettus tom. 1. tractat. 4. c. 11. q. 2., ubi uſurarios ad reſtitutionem a Confeſſariis cogendos docet hac exceptione: *Niſi conſtet, quod talia bona fide fecerint, & inde locupletiores facti non ſint: illud autem cognoſci poteſt, ſi pecuniam in legitimo commercio non collocarint, aut fundum, vel officium, ex quo idem lucrum percepiſſent, non emerint; eo quod putaverint talem contractum mutui lucrativi eſſe licitum.* Idipſum ſatis probabile viſum etiam Pontaſio verb. *Reſtitutio* cas. 15., & nonnullis Doctoribus apud Sainte Beuve tom. 3. caſ. 255. & 256., ſeu in editione Veneta t. 2. caſ. 655. & 656. Quin Jacobus de Fieux Epiſcopus Tullenſis in Inſtructione Gallica *de Uſuris*, quam cum

do-

Digitized by Google

doctiſſimis Sorbonæ Doctoribus communicatam edidit die 25. Aprilis an. 1679. hoc idem videtur approbare, dum cap. 13. hanc reſtitutionis exceptionem admittit: *Si celui qui a prêté de bonne foi, & ignorant le péché, n' eſt pas devenu plus riche par ſon prêt, & qu' il ſoit perſuadé qu' en cas qu' il eût été inſtruit du péché de ce prêt, il ne l' eût pas commis, mais qu' il eût fait un emploi de ſon argent ſuivant les loix de la conſcience*. Hanc Inſtructionem an. 1703. Henricus de Biſſy Jacobi ſucceſſor, & poſtea Cardinalis celeberrimus, peculiaribus literis confirmavit.

8. Si autem a ratione decidendum foret, non facile eſſet definire. Etſi enim hac in hypotheſi locupletior quis non ſit per uſuram, quam ex alio contractu licito fuiſſet; tamen regula juris non hoc tantum exigit, ne quis ex alieno ditior non ſit, ſed præſertim ut alienum, quod percepit bona fide, eadem bona fide conſumſerit. Quod autem vel in ſe, vel in alio ejus cauſſa non conſumto supereſt; ſive directe, ſive indirecte; & moraliter cōſumtum non eſt. Alienum eſt itaque, vel alienis ſumtibus ſervatum, ac proinde domino debetur; æquum enim non eſt locupletari quenquam cum alterius injuria, quæ eſt tota ratio memoratæ regulæ juris. Hinc ſi quis bona fide emiſſet equum furto ſublatum, eundemque pretio locans, lucrum feciſſet; etſi æquale lucrum fuiſſet percepturus ex alio equo, quem ejus loco emiſſet, ſi equum illum dubitaſſet alienum; non excuſaretur tamen hac de cauſſa a reſtituendo lucro, in quo ditior factus eſt: eſt enim fructus naturalis rei alienæ, quem citra domini injuriam ſibi retinere non poſſet. Neque bona emtoris fides quidquam juris conferre potuit in rem alienam, nec in reſtaurationem damni ex aliena re exigendam ab eo, qui in culpa non fuit. Cum ergo uſurarium lucrum alienum pariter ſit; ſi bona fide non ſit conſumtum; homo a reſtitutione eo nomine non liberatur, quod ſi crediſſet illicitum, tantundem ex alio contractu licite percepiſſet.

9. Probabilior videri poteſt alia ratio, quæ hiſce in circumſtantiis ſpeciem refert lucri ceſſantis. Ille enim, qui alia honeſta via lucraturus certo præſumitur, ſi mutuum non feciſſet; mutui cauſſa ab alio honeſto lucro impeditus fuit. Potuiſſet ergo hujus damni reſtaurationem in mutuo ſtipulari juſte; & ſi quidem uſuram crediſſet illicitam, hic vir, qui bonus, & ab illicito alienus præſumitur, cum alium licitum contractum per ſe voluiſſet inire, & non uſurarium, tum non conſenſiſſet in mutuum cum lucro, niſi titulo lucri vere ceſsantis, qui uſuram excludit. Sola inadvertentia, & ignorantia, quæ ex bona fide inculpabilis cenſeatur, impedivit, ne de juſto titulo, qui vere præſto erat, contraheretur, ſed potius de uſurario, qui æque juſtus habebatur. Hoc caſu mutuator bonæ fidei, cum lucrum ſtipulatus eſt, juſtum lucrum, ac titulum abſolute voluiſse videtur, & ſolum pro juſto titulo, qui aderat, contraxit de injuſto, ac uſurario, quippe quem ex errore juſtum credidit. Num hic error ſubſtantialis, an potius accidentalis haberi debet, qui contractus ſubſtantiam non lædat? An forte mutuatarius, qui conſenſit in titulum uſurarium, quem & ipſe licitum putabat, in titulum juſtum ſatis implicite non conſenſit, in quem conſenſiſſet explicite, ſi allegatus fuiſſet? Error in contractu, qui omni juſto titulo caret, quovis conſenſu contractum re injuſtum nequit juſtum efficere; neque enim implicitus ſaltem conſenſus præſumi poteſt in juſtum titulum, qui non eſt. At num idem dicendum de contractu, cui juſtus titulus re ipſa adeſt, & qui abſoluta voluntate, & conſenſu par-

tis

tis utriuſque in titulum juſtum ſatis implicite intentus videtur? Sed forte conditionatus potius, quam abſolutus credetur iſtiuſmodi conſenſus in titulum juſtum, qui prætermiſſus fuit, quatenus in eum utraque pars conſenſiſſet, ſi uſurarius titulus per errorem habitus non fuiſſet juſtus. At cum hic error ex bona fide inculpabilis præſumatur, & aliunde creditor ex hoc mutuo ab alio contractu licito fuerit impeditus; nonne æquum videri poteſt, eum detrimentum non capere ex bona fide, quæ ſola impedivit, ne in mutuo juſtum titulum allegaret; & quem ſi allegaſſet, in ejus damni reſtaurationem debitor æquiſſime conſenſiſſet, uti in uſurarium lucrum ſolvendum conſenſit?

10. Hæc a ratione expendenda ſubjicio, & alia etiam forte afferri poſſent, quibus caſus aliquis a reſtitutione eximendus videatur. At hæc aliis nimis incerta, & laxiora viſa ſunt, ut ex iis patet, quæ apud Sainte-Beuve loco memorato opponuntur. Ego vero magis moveor, non tam Scholaſticorum antiquorum, qui hujus exceptionis non meminerunt, quam Eccleſiæ auctoritate, ac præſertim Alexandri III., qui cum in Concilio Lateranenſi an. 1179. reſtitutionem uſurarum præcepiſſet, interrogatus de iis, qui *ante interdictum* Concilii uſuras ex communi praxi, & errore *quaſi licite* exegerant, ut in eodem Concilio dicitur: hos quoque reſtitutionis lege teneri reſpondit, licet in ejuſmodi circumſtantiis nonnulli bonam fidem habere potuerint, uti ſane in ſimilibus circumſtantiis nonnulli hodie exiſtimant; & quoſdam præterea ex iis, ſi uſuram illicitam ſciviſſent, alia honeſta via par lucrum percepturos valde credibile ſit. Sed reponet fortaſſe quiſpiam, hunc Pontificem idcirco non excepiſſe quenquam, quia de manifeſtis uſurariis loquebatur: ex quibus *quidam ad excuſandas excuſationes in peccatis* hanc

Can. *Cum tu manifeſtos*, de uſuris.

diſtinctionem uſurarum ante, & poſt interdictum perceptarum *impudenter* attulerant; ac proinde de hominibus, qui bona fide carebant, loquebatur. Alii tamen Canones nullam ejuſmodi interpretationem ferentes, nulla exceptione reſtitutionem univerſim præcipiunt, etiam in contractu antichriſeos, qui nonnunquam, olim præſertim, bona fide initus, realem cenſum, ad quem revocari poterat, impedivit; & Gregorius XIII. contractum apud Germanos uſitatum, qui *bona contrahentium intentione*, ideſt bona fide, quandoque iniri, & lucrum aliquod juſtum intercipere potuit, uſurarium, & reſtitutioni obnoxium declaravit. Cumque præterea in praxi dubium eſſe poſſit partim de bona fide, partim de ratione ipſa, quam in præfatam juris regulam attulimus; ego ſatius duco prudentiorum ſententiam, ſeu potius Eccleſiæ definitionem expectare, quam quidpiam temere decidere.

Can. 1. 2. &c. de uſuris.

Vide documentum Gregorii XIII. in fine.

11. Reclamabunt hoc loco nonnulli, qui cum certum judicium in omnibus ferre ſoleant, ſcrupulo, aut rigori vertunt, ſi quis judicium ſuſpendat, tum præſertim caſus practici certam reſponſionem deſiderent. Verum ii accuratius conſulant, rogo, chriſtianæ prudentiæ regulas, quæ nos vetant certo pronunciare, ubi certi non ſumus: quod eo magis vetant, ubi de meo, ac tuo agitur, æqualeque periculum eſt, ne dum alteri volumus conſulere, alteri injuriam inferamus. Vide quæ in hanc rem ex Sanctis Patribus, ac ipſarum Romanarum Congregationum praxi attulimus Prælect. 1. in primam partem S. Antonini n. 10. pag. C. Plura Synodorum decreta dubitationes iſtius generis ad Epiſcopi judicium deferendas præcipiunt. Interim pro praxi, ſi certa definitio brevi ſperari aliqua ex parte poſſit, utile erit nonnullorum Theologorum Lovanienſium conſilium an. 1687. apud Broederſen

pag.

Digitized by Google

pag. 935. n. 9. *De reſtitutione dictum non ſtatim obligandos eſſe fideles, verum dici ipſis poſſe: res illa adhuc examinatur, nunquid parati eſtis reſtituere, ſi quando de obligatione iſta conſtaret?* In omni eventu via liberæ remiſſionis, & donationis cum debitis conditionibus tentari poterit: quæ eo facilior evadet, ſi qui uſuras ſolverunt, ex mutuo lucrati ſint. Broederſen duos caſus proponit, in quibus reſtitutione publice promiſſa, nemo eam repetiturus acceſſit. Num hoc ſatis ad liberam omnino remiſſionem, ubi præſertim creditores noti ſint, ex circumſtantiis decidendum? Alium caſum remiſſionis per Parochum ab heredibus expreſſius obtentæ, qui modus tutior eſt, idem Broederſen ſubjicit ex Sainte-Beuve tom. 1. caſ. 100. Si de obligatione reſtitutionis ob aliquam cauſſam prudenter dubitetur, eo facilius, & rationabilius de remiſſione agi poterit. Videndum ne qua fraus committatur, & ne avaritia fucum faciat. In dubio autem, quod ſi ſcrupuloſum non ſit, prudens erit dubium de re aliena retinenda, obſervandum illud Evangelicum: *Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?*

pag.7.n.23. & 24.

CAP. XI.

Refutantur quæ Broederſen diſſerit libro octavo, nono, & decimo.

1. QUæ Broederſen de titulis, vel contractibus libro octavo diſſerit, etſi ad quæſtionem de caſibus diſceptatis pertinere poſſunt, in controverſia tamen de uſura, quam in præſentiarum verſamus, pleraque nihil valent. Quæſtio enim præſens de uſuræ dogmate, non de titulis, vel contractibus agit, ut ſæpius monuimus. Unicus titulus locationis, quem cap. 8. conſtituere nititur, proprius ſpectat ad uſuram, quæ pretium uſus pecuniæ quodam locationis nomine conſtitutum ſignificat. At locationem veram, ac propriam nequaquam poſſe cadere in pecuniæ corpora, quæ uſu momentaneo conſumuntur, in quantitatem autem abſtractam ſola mente, & reſtituendam multo minus, libro V. c. 5. §. 3. demonſtratum arbitror. Ineptum porro quod ex Molinæo adverſarius reponit: *Uſus, & fruitio pecuniæ non ſolum conſiſtit in prima momentanea expenſa, vel commixtione, ſed etiam in ſucceſſivo uſu mercium, vel rerum inde comparatarum, ſubrogatarum &c.* Num enim hæ merces, vel res pecunia mutua comparatæ in dominio ſunt creditoris, ut debitori earum uſum locare pretio poſſit? Nonne alibi ipſe Molinæus, & ex eodem adverſarius, non pecuniæ corpora, quibus merces, vel res aliæ a debitore emtæ fuerunt, ſed ſolam quantitatem reſtituendam in dominio creditoris eſſe pronunciarunt? Merces, & res emtæ ad quantitatem iſtam non pertinent. Pluribus opus non eſt in re manifeſta, quam doctiſſimus Cujacius apud ipſum adverſarium ſatis indicavit ſcribens, fœnus *non ex locatione proprie, ſed improprie, aut ex quaſi locatione; immo proprie ex ſtipulatione acquiri*, quod idem eſt ac locationem veram, legitimæque locationis jus negare, & uſuram hoc titulo carentem adſtruere, videlicet adſtruere pretium uſus in locationis modum, ubi locationis ratio, & jus eſſe non poteſt. Cetera de titulis quatenus ad uſuram referri queunt, lib. VI. expenſa ſunt. De contractibus autem, & legitimorum titulorum conditionibus Opuſculo I. & II. fuſius diſſeretur.

p. 1491. n. 1.

p. 115. n. 238.

p. 1437. 21.

2. Juvat ſolum hac in re animadverſionem ſubjicere in illa Broederſen, quibus hanc diſputationem de titulis, vel contractibus ſibi maxime neceſſariam præfert, ſi lucrum inde p. 1443. n. 13.

Digitized by Google

inde perceptum nullo jure prohibitum liqueat. Id neceſſarium quidem non eſt, ſi lucrum id genus etiam ſine ullo juſto titulo, vel contractu liceat, quod idem eſt ac dicere, ſi uſura proprie dicta licita ſit, ut ille probaſſe ſibi videtur. At ſi hoc probare non potuit, & lucrum non liceat, niſi ex juſto aliquo titulo, vel contractu proveniat, ut ex hactenus diſputatis manifeſtum arbitror; jam etſi forte non referat ſcire, quis titulus, vel contractus ab hoc, vel ab illo initus fuerit, dum aliquis juſtus initus ſit; maxime tamen refert ſcire, num de aliquo juſto titulo, vel contractu conventum, & hoc nomine lucrum vere perceptum fuerit. Si enim contraheretur, ac perciperetur ex uſu, & commodo pecuniæ, quæ credita fuit, non autem ex aliquo legitimo contractu, vel titulo juſto, de quo quis ſtipulari potuiſſet; id lucrum contraheretur, & perciperetur ex uſu pecuniæ, quod re uſurarium, & illicitum eſt. Hinc nihil refert alicubi afferri potuiſſe lucrum ceſſans, ſi lucrum non ob hunc titulum, nec pro hujus tituli æſtimatione, ſed ex pecuniæ creditæ uſu aliis conceſſo exactum fuit. Solus Broederſen cum ſuis, qui uſuram per ſe licitam putant, hæc in dubium vocare, neminem autem Catholicum convincere unquam poterit.

3. Quid dicam de libro nono, ubi *eam, de qua diſſerimus, rem communi fere per totum orbem ſententia ratam haberi, ac uſu paſſim recipi* oſtendere ſtudet? Communem fere ſententiam colligit ex catholicis Doctoribus, qui variis in Provinciis vixere, & titulis, vel contractibus variis vulgares pecuniarum collocationes liberalius defenderunt. At præterquamquod alios plures Auctores poſſem colligere, qui iiſdem in Provinciis contrariam docuere ſententiam; nonne illi ipſi Doctores, qui titulorum, vel contractuum nomine vulgares collocationes a fœnore eripiendas putarunt, uſuram, de qua nunc quærimus, omnes damnarunt? Hæc ergo communis circa uſuram ſententia in re præſenti Broederſen impugnat.

p. 1499. | Vide ſup. c. 1. §. 1.

4. Eadem ratione communem Catholicorum uſum, & ſenſum pro Catholicæ doctrinæ confirmatione contra eundem detorqueo. Cum enim Catholici lucrum in praxi ſtipulantur, & exigunt, non uſuram ſe ſtipulari, aut exigere dicunt; immo ab hoc nomine quammaxime abhorrentes, ſi uſuram ſibi objici audiant, iraſcuntur, pernegant, execrantur, ut vel adverſarius innuit in præfatione n. 10. Alii cenſum, alii cambium, alii intereſſe contrahere, ac recipere pro varia locorum formula dictitant, & hoc unum licitum, ac ratum habent, non autem uſuram. Quid ita? Nonne quia ipſe chriſtianus populus ex tradita Eccleſiæ doctrina uſuram omnem illicitam accepit, & credit; cenſum autem, cambium, intereſſe ab eadem probatum, & ab uſura alienum audivit? Num re ipſa populus in praxi contrahat verum cenſum, cambium, vel intereſſe verum, quale ab Eccleſia probatum fuit, alia eſt quæſtio, quæ in præſentiarum non vertitur. Certe vero inſitus illæ Catholicæ plebis, omniumque in uſuram univerſam horror, qui nullam ullius, vel inter divites, uſuræ exceptionem recipit, aperte, & evidens catholicæ doctrinæ teſtimonium eſt. Quod ſi in uſu, & praxi uſuram vere ineſſe adverſarius velit, quam male ab uſu, ſeu potius abuſu ad dogma argumentum ducatur, ſatis innuimus cap. 4.

5. Quod tandem libro decimo diſſerit *de Ethnicorum circa uſuras ſententiis*, ut nonnulla eorum teſtimonia, quæ uſuræ objici ſolent, explicet; nihil catholici dogmatis intereſt, quippe quod non ex Ethnicorum, ſed ex Scripturæ, Traditionis Patrum, & Eccleſiæ ſententiis colligitur. Si vero diligentius conſide- p. 1507.

ſide-

ſideres quæ pro naturali jure ex ipſis Ethnicis confirmando attulimus lib. V. c. 3., non omnia, quæ ille reponit, iiſdem ſatisfacere, & pleraque Ethnicorum teſtimonia ad uſuras graviores per vim reſtringi cognoſces. Mirum certe quod de Mahumedanis c. ult. ſtatuit. Cum leges Mahumedis fœnus interdicentes *inter ſuos* explicare non poſſet, Mahumedanorum uſum ex Salmaſio obtrudit, ac ſi ex uſu legibus repugnante potius, quam ex legibus ſanius judicium feratur. Quod ſi ſolas uſuras, quæ in pondere, ac menſura Mahumedes vetuit, non autem quæ in numero conſtarent; aliæ Arabum ſectæ, ut Xaphienſes, & Melichenſes etiam harum rerum uſuram ſuſtulerunt, ut idem Salmaſius prodidit. De uſuris p. 675.

CAP. XII.

De libris undecimo, & duodecimo Broederſen. Diſſertatiuncula de Concilio Viennenſi ſub Clemente V., & ejus decretis. Clementina de uſuris huic Concilio jure tributa oſtenditur, & a Broederſen objectionibus vindicatur.

1. HIs poſtremis libris Broederſen partim nonnulla repetit, quæ ſuperioribus libris tractaverat, partim Tractatum Brevem ab objectis vindicare, adverſariorum opuſcula refellere, & ex præſtitutis principiis errores ingerere ſtudet. Nihil in his laborandum nobis eſt; ſiquidem omnia, quæcunque ad doctrinam de uſuris pertinent, inania ex diſputatis noſcentur. Solum ſicut ipſe libro undecimo quædam prætermiſſa fuſius exponenda aliquot diſſertatiunculis cenſuit, ita nos diſſertatiunculam de Viennenſi Concilio ſub Clemente V., ejuſque decretis, quæ in ſuperioribus idoneum locum non habuit, hoc capite ſubjiciemus, ubi celebre de uſuris decretum a Broederſen objectionibus vindicabimus.

2. Duo circa Viennenſe decretum *Ex gravi* ad uſuram pertinens ſibi inquirenda adverſarius propoſuit: *An illud decretum merito ſit Concilio Viennenſi adſcribendum; & an genuino ejuſdem ſenſu caſus noſtri ſint uſurarii criminis damnandi.* pag. 1115. cap. 66. n. 1. Ut primam quæſtionem ſolvat, univerſa ejus Concilii decreta, quæ in Clementinis ejus Concilii nomine edita ſunt, ad examen vocat. Multa, partim ex coævis, partim ex ſequioribus hiſtoricis profert, ut pleraque decreta, exceptis paucis, ejuſdem Concilii eſſe neget, vel in dubitationem adducat. Primo Anonymus Venetus, & Bernardus Guidonis, qui de Viennenſi Concilio ſcripſere, unicam tantum Conſtitutionem, qua Templariorum Ordo caſſatus fuit, in eo Concilio promulgatam expreſſe memorant. Alii vero, qui alias ibidem editas teſtantur, eas ſuſpenſas ſtetiſſe tradunt, quoad per Joannem XXII. Clementis V. ſucceſſorem promulgatæ fuerunt. Si autem vere in Concilio promulgatæ fuiſſent, ſtatim ligaſſent. Aliæ ex his ab ipſo Clemente emendatæ, aliæ ſuppreſſæ, aliæ iiſdem poſterius additæ, & eodem Concilii titulo editæ feruntur; ita ut genuinas Concilii diſcernere impoſſibile videatur. Neque vero formulam *ſacro approbante Concilio* aliquot Conſtitutionibus inſertam idoneum teſtimonium habendum contendit, cum aliquæ ex illis ſuſpenſæ non obligaverint, aliæ etiam poſterius correctæ (ut de prima Conſtitutione teſtatur Joannes Andreæ F.) Concilii Conſtitutiones eſſe deſierint. Hæc, & alia ejuſdem generis a Broederſen objecta, ut Concilii auctoritatem adimat Conſtitutioni de uſuris, diluentur facillime, ſi accuratior, quam hactenus factum viderim, hujus Concilii, & Clementinarum hiſtoria proponatur.

§. I.

Brevis Hiſtoria Concilii Viennenſis. De Conſtitutionibus in eo editis. Duplex earundem promulgatio poſt Concilium per Clementem V. Prima ex puris Conſtitutionibus Viennenſibus, editione aliquot exemplarium, quæ tamen mox fuerunt revocata, & cur. Altera poſt novum examen, & correctionem, cum detractionibus, & additionibus nonnullis in Conſiſtorio publicata. Mors Clementis V. promulgationem, qua ejuſmodi libri ad ſtudia publica mittebantur, impedivit: idque Joannes XXII. perfecit.

3. HOc Concilium anno 1311. apud Viennam coactum, tribus ſeſſionibus intra ſeptem menſes abſolutum fuit. Prima ſeſſione habita die 16. Octobris ejuſdem anni 1311. ea Clemens V. propoſuit, de quibus in Concilio agendum erat: *Anno 1311. congregavit Concilium apud Viennam, & in prima ſeſſione XVII. Kal. Novembris propoſuit de agendis, videlicet de Ordine Templariorum, qui graviter culpabatur, de paſſagio transmarino, & generaliter de reformatione totius ſtatus Eccleſiæ, & conſervatione Eccleſiaſticæ libertatis.* Ita Anonymus Venetus coævus ſcriptor in vita Clementis V. prius editus a Babazio, & ex eodem apud Muratorium T. 3. P. 2. Rer. Italicarum; & ex MS. Ambroſiano tanquam additamentum ad Tolomæi Lucenſis Hiſtoriam Eccleſiaſticam denuo publicatus T. XI. ejuſdem collectionis Rer. Italicarum. Cum hoc Anonymo plane concinens Bernardus Guidonis, coætaneus item Auctor, ea propoſita monet, *ut Prælati recogitarent ſuper prædictis ſalubriter ordinandis, & circumſpectione provida terminandis.* Interim dum conſultaretur, hyemem præteriiſſe idem Bernardus prodit: *Poſt prædictam vero ſeſſionem, inter colloquia, & tractatus deductum eſt tempus per totam hyemem ſubſequentem.* Itaque ſeſſio ſecunda die 3. Aprilis 1312. habita fuit, in qua caſſatio Ordinis Templariorum, quæ die 22. Martii in privato Conſiſtorio a Pontifice fuerat decreta, ſolemni ritu coram omnibus Patribus promulgata fuit. *In ſequenti Martio*, inquit Anonymus Venetus, *XI. Kal. Aprilis, multis vocatis Prælatis cum Cardinalibus, in privato Conſiſtorio Ordinem Templariorum caſſavit. Tertia autem die Aprilis 1312. fuit ſecunda ſeſſio Concilii, & prædicta caſſatio coram omnibus publicata eſt.* Bernardus Guidonis memorat hac in ſeſſione præſentes Philippum Regem Francorum, Carolum fratrem, & tres Regis filios, Ludovicum primogenitum Navarræ Regem, Philippum, & Carolum. Hæc Conſtitutio de Templariis VI. Non. Maji eo, quo opus erat, miſſa legitur Tom. 15. Concil. edit. Venetæ pag. 25. Tandem pridie Nonas ejuſdem Maji tertia ſeſſio habita eſt, qua Concilium terminatum omnes tradunt.

T. 3. P. 2. Rer. Italic.

4. Bernardus Guidonis *multas Conſtitutiones* in eodem Concilio editas innuit, quod hac tertia ſeſſione factum videtur. *In prædicto quoque Concilio*, inquit, *fuerunt multæ Conſtitutiones editæ, inter quas fuit una, quæ incipit* Exivi de Paradiſo *ſuper declaratione, ſeu interpretatione regulæ Fratrum Minorum.* Idipſum teſtatur etiam Amiricus Augerius: *Super autem ſtatu Eccleſiæ, & libertate ipſius in dicto Concilio plura ſtatuta ſalubria, ſtatuta, & facta fuerunt, quæ hodie Clementinæ nuncupantur.* Enimvero, ut teſtimonium omni exceptione majus proferam, paucis diebus poſt exactum Concilium, nimirum Dominica infra octavam Aſcenſionis (Echard notat diem 14. Maji) ejuſdem anni

Multæ Conſtitutiones in Viennenſi editæ ibid. pag. 464.

ibid. p. 449.

T. 1. Script. Ord. Præd. p. XVII.

Digitized by Google

ni 1312. Capitulum Generale Fratrum Prædicatorum Carcaſſonæ habitum fuit, in quo cap. 14. Viennenſis Concilii ſtatuta *nuper ordinata*, ſtatim ſuſcipienda mandantur, cum primum publicabuntur: *Item cum ſuperiorum mandatis, & maxime Summi Pontificis, teneamur reverenter, & humiliter obedire; volumus, & mandamus fratribus univerſis, quod ſtatuta nuper in Sacro Viennæ Concilio ordinata cum debita reverentia ſuſcipiant, & ipſa nihilominus integraliter, & diligenter obſervent: Prioribus provincialibus nihilominus injungentes, ut poſtquam fuerint publicata, ea ſtudioſe faciant ad fratrum notitiam pervenire.*

Martene Thes. Anecdot. T. 4. pag. 1932.

5. Sed hæc ſtatuta *ſtetiſſe in ſuſpenſo* uſque ad an. 1317., cum Clementinarum volumine ad generalia ſtudia miſſo per Joannem XXII. fuerunt promulgata. Bernardus Guidonis tradit in vita Joannis. Hinc in Chronico Rothomagenſi, quod deſinit A. 1338. ad annum 1311. de Viennenſi Concilio habetur: *In eodem Concilio fuerunt edita multa Conſtitutiones Clementina, qua uſque ad tempus ſucceſſoris Clementis publicari non potuerunt.* Hoc idem innuens ipſe Clementis ſucceſſor Joannes XXII. in proœmio Clementinis præfixo, *Dudum*, inquit, *Clemens, nedum in Concilio Viennenſi, quinetiam ante, & poſt ipſum Concilium, Conſtitutiones plurimas edidit, in quibus multa utilia ſtatuit atque ſalubria, & nonnulla dubia in judiciis, & extra frequentata decidit. Et licet eas collectas in unum volumen, & ſub congruis titulis collocatas mittere decreviſſet, & dare in commune ſubjectis; aſſidua tamen occupatio circa magna, ac fortis humana conditio, qua ipſum de medio ſuſtulit, in cauſſa fuerunt, quare ſuum in hac parte propoſitum non implevit.* Conſtitutiones *plurimas* Clementis in Viennenſi Concilio *editas*, & cum aliis *ante*, & *poſt* Concilium editis in unum volumen, ut publicarentur, ab eodem collectas, non tamen vere publicatas tradit.

Tom. 1. Bibliothecæ Mſſ. P. Labbe p. 383.

6. Hæc autem publicatio, quæ vivo Clemente defuit, non quævis publicatio eſt, ſed illa, qua volumen illud canonico corpori addendum ad ſtudia generalia mitteretur. Ita enim per hæc tempora ſolemnis promulgatio in canonici corporis rationem fieri ſolebat, ut ex ceteris canonici juris libris exploratum eſt. Enimvero vivo Clemente, præter editionem, ſeu publicationem in Concilio, duæ aliæ editiones extra Concilium factæ memorantur a Joanne Andreæ F., qui ei ætati ſuppar, non ſolum cum aliquibus in Concilio, & in Curia tum præſentibus locutus eſt, verum etiam aliquod antiquæ editionis exemplar vidit, ut ex aliquot adnotationibus, ſeu gloſſis ejus paullo poſt memorandis manifeſte cognoſcitur. Hæc autem ipſius verba ſunt in Clementinarum proœmium v. *De cetero. Circa hoc ſciendum eſt, quod Conſtitutiones Concilii, licet non omnes fuerint in Concilio publicata, tamen poſtea de facto fuerunt publicata, & ipſarum habita copia, & iam habebatur, quod ligarent: & quia patuit aliquas ex illis inepte, aliquas prolixe, aliquas defective compoſitas, aliquas etiam non expedire, noluit Clemens, quod compoſitio illa procederet: ſed (ut fertur) ſub excommunicationis pœna mandavit, quod illas habentes, infra certos dies reſtituerent Cameræ, vel incenderent, vel dilacerarent etiam eaſdem. Demum per peritiores fecit illas recenſeri, qui aliquas, & paucas in totum reſervaverunt, aliquas in totum reſecarunt, aliquas mutaverunt quoad verba, mente ſervata; in aliquibus menti, & verbis detraxerunt, & addiderunt: & has, licet non ſub his verbis in Concilio publicata fuiſſent, voluit ſub nomine Concilii reſervari, & multas Conſtitutiones utiles addens, de quibus non fuerat in Concilio tractatum, ut de reſcri-*

Quæ publicatio ipſis defuit vivo Clemente V.

Duæ publicationes Clementinarum Viennenſium extra Concilium vivo Clemente.

ptis omnes, quæ ſunt poſt ſecundam, & de electione omnes poſt primam, cum ſimilibus, fecit illas, una cum quibuſdam Conſtitutionibus, quas prius ediderat, ſub debitis titulis compilari. Et, ut a Domino Attrebatenſi audivi, qui tunc contradictarum erat Auditor, Clemens præcepit illas in Audientia publicari, & ipſe Dominus Auditor dixit, quod inchoavit, & finivit in Audientia publicationem illarum. Memini tunc audiviſſe, quod Clemens mandaverat, quod Conſtitutiones, præter prædictas quatuor (de quibus inferius agemus) *ligarent poſt quatuor menſes. Aliqui dicebant, quod ordinaverat eas ligare, poſtquam eſſent per ſtudia publicata. Mortuo Clemente, iſtarum Conſtitutionum haberi copia de Cancellaria non poterat; & ſic tenuerunt curiales, quod ultra illas quatuor non ligarent. Creato autem Domino Joanne, adhuc primo anno ſui Pontificatus, & ultra, viguit hoc dubium. Sed quia quibuſdam petentibus per ipſius Auditores in cauſſis beneficialibus cum clauſula ſimpliciter, & de plano &c. interdum ſic reſpondit, Conſtitutionem habetis: cœperunt dicere Auditores Palatii, quod ipſe videbatur velle quod Conſtitutiones ligarent. Contrarium videbatur, quia petiverat, & receperat Conſtitutiones examinandas, & corrigendas, & aliquas correxit, & mutavit, ut infra tit. 1. cap. unico. Finaliter deliberaverunt Auditores illam habere pro Conſtitutione, de qua ſic dixerat, reliquas priori dubio relinquendo.*

Prima publicatio.

7. Ex his plura colliguntur. Quod primo ait, *non omnes Conſtitutiones Concilii fuiſſe in Concilio publicatas*, non publicationem conciliarem reſpicit (Conſtitutiones enim *Concilii* dici non potuerunt, quæ non fuerunt lectæ, & approbatæ in Concilio) ſed promulgationem externam in ipſo Concilio, ſeu Concilii tempore factam ſignificat, quæ paucis admodum Conſtitutionibus contigit, uti de Conſtitutione adverſus Templarios certiſſimum eſt. Porro omnes Conſtitutiones Conciliares in unum volumen collectæ ſtatim poſt Concilium ipſum, a Clemente V. *de facto fuerunt publicatæ, & ipſarum habita copia, & jam habebatur, quod ligarent*. Hanc primam editionem, & publicationem idem Joannes Andreæ F. iterum nominat in c. 1. *de reſcriptis* v. *Nec occaſione. Iſte verſus non fuit de prima publicatione Concilii*. Et in cap. 2. *de Religioſis domibus* v. *Sæcularibus. In prima tamen editione hujus Concilii hoc fuerat prohibitum, ne* &c. Parata fuerunt aliquot hujus editionis exemplaria, & ex iis aliqua exierunt in vulgum, & ita publicata fuiſſe videntur. Sed hæc prima editio variis de cauſſis ſuſpenſa fuit, & exemplaria ſub excommunicatione revocata, ut ſcribit Joannes Andreæ F., vel omni uſu, & auctoritate in judiciis, & Scholis prohibita, ut ex Monacho Gallo continuatore Chronici Guillelmi Nangii exploratius diſcimus. Hic Monachus, coævus & ipſe auctor (incipit enim ab A. 1301., & deſinit A. 1340.) ille eſt, cujus hæc verba, quibus publicationem in Concilio factam negat, a Broederſen maxime opponuntur: *Porro etſi de aliquibus ſtatum, vel reformationem univerſalis Eccleſiæ tangentibus aliqua prolocuta fuerint, & eorum ordinatio, ſeu proviſio, ſeu deciſio a Prælatis, & aliis, quorum intererat, priuſquam Concilium ſolveretur, & inſtanter & pluries a Papa peteretur, de quibus etiam ipſe Papa, ut dixerunt aliqui, Decretales quaſdam præterea Conſtitutiones edidit, & ſtatuta, nunquam tamen in dicto Concilio fuerunt publice promulgata, ſed penitus judicio Apoſtolico libere fuerunt reſervata, & ad plenum dimiſſa*. Sed hic idem Auctor duobus aliis teſtimoniis, quę Broederſen non profert, publicationem aliquam, quæ Concilium ſubſecuta eſt, adſtruit, cum ſubſequentem revocationem, & revocandi modum

Exemplaria, quæ exierunt, revocata.

pag. 1137.

dum

dum, atque cauſſas difertius exponit. Primum ad an. 1313. modum revocationis his verbis deſcribit: *Cardinalis Nicolaus* (ſcilicet Cardinalis de Freauvilla Ordinis Prædicatorum, qui in Concilio Viennenſi interfuerat, & apud Regem Galliæ legationem Apoſtolicam geſſerat) *ſub pœna excommunicationis lata ſententia auctoritate Apoſtolica diſtricte inhibuit, ne quis Conſtitutionibus novis, quas aliqui poſt tempus Concilii Generalis emanaſſe de Curia, & earum copiam ſe habere dicebant, uti præſumeret in judiciis, aut in Scholis; cum de conſcientia Summi Pontificis minime proceſſiſſent. & alias ſuper hoc intenderet providere.* Dein ad A. 1317. revocandi cauſſam ſaltem præcipuam indicans, *Conſtitutiones*, inquit, *quæ Clementinæ communi vocabulo nuncupantur, eo quod per Dominum Clementem Summum Pontificem in Concilio Viennenſi editæ fuiſſent, cum propter multas latas excommunicationes, ſuſpenſiones, & ceteras juris pœnas in ipſis contentas nimis rigidæ viderentur, ad tempus ſuſpenſas. Joannes Papa XXII. fecit Pariſiis, & aliis ſtudiis ſolemnibus ... præcipiens obſervari.* In his ſuſpenſionem a ſola publicatione in ſtudiis generalibus. qua judicia, & forum externum regebatur, ſatis expreſſam quiſque deprehendit.

Tom. 3 Spicilegii Dacheriani p. 67.

8. Etſi vero omnes hujus primæ editionis copiæ fuerunt revocatæ, vel ſuppreſſæ, aliquas tamen non fuiſſe omnino deletas ex eo patet, quod Joannes Andreæ hujus editionis exemplum, dum notationes in Clementinas ſcripſit, ante oculos certiſſime habuit, ut mox videbimus. Forte etiam Asteſanus hanc collectionem allegavit in Summa, quæ A. 1317. edita, ante promulgationem Clementinarum per Joannem XXII. lucubrata videtur. Vide inter cetera ejuſdem Summæ lib. 3. tit. 11. ubi ex libro ſeptimo Decretalium Conſtitutionem *Ex gravi, de uſuris* bis citatam invenies. Tandem hanc *primam publicationem* ſub ipſo Clemente factam exploratè memorat etiam Petrus Bertrandus, qui A. 1331. a Joanne XXII. Cardinalis creatus fuit. Is enim in Clementinas tit. *de Reſcriptis cap. Abbates*, v. *Niſi ubi*, *has Conſtitutiones ligare cœpiſſe*, ait, *a tempore miſſionis Domini Joannis Papæ, non a tempore primæ publicationis*. In primæ hujus publicationis exemplaribus puræ Conſtitutiones, ut in Viennenſi fuerunt editæ, legebantur, unde correctio, & mutatio, quæ iiſdem accidit, poſt revocatam, vel ſuppreſſam hanc editionem accidit; ut ex ipſo Joannis Andreæ textu liquet. Hinc etiam laudatus Petrus Ber randus loco citato ſermonem faciens de quadam additione facta poſt primam publicationem, ſcripſit: *Hic* (verſus) *uſque ad verbum* ſi quis *fuit poſt Concilium Viennenſe additus per illos, quibus iſtæ Conſtitutiones in melius reformandæ commiſſæ fuerunt:* quæ plane cum Joannis Andreæ verbis conveniunt.

Aliqua tamen exemplaria ſupereſſe.

9. Neque novum hoc haberi debet, quod Generalis Concilii Conſtitutiones, quo ad ſolam utique diſciplinam, ſeu canonicas pœnas, novo examini, additionibus, & mutationibus ſubjiciantur. Non ſolum enim hoc Clementi reſervatum fuit ab ipſo Viennenſi Concilio, ut continuator Nangii prodidit; verum hæc facultas Pontificiæ auctoritati per ſe competens, noviſſimo exemplo a Bonifacio VIII. in editione ſexti libri Decretalium exerta fuerat. Duorum enim Generalium Conciliorum Conſtitutiones ab Innocentio IV., & Gregorio X. editæ, in quas Hoſtienſis, aliique veteres Canoniſtæ gloſſas ſcripſerant, idem examen, ac reformationem ſubierunt, cum Bonifacius VIII. ex iiſdem novam libri ſexti compilationem promulgavit. Hæc nimirum in prooemio ſexti leguntur, quæ idem Clementinarum factum graphice deſignant: De-

De novo earum Conſtitutionum examine, & ejus jure.

V. ſup. n. 7.

Digitized by Google

Decretales hujuſmodi (verba ſunt ipſius Bonifacii VIII.) *diligentius fecimus recenſeri, & tandem pluribus ex ipſis, cum vel temporales, aut ſibi ipſis, vel aliis juribus contraria, ſeu omnino ſuperflua viderentur, penitus reſecatis, reliquis quibuſdam ex eis abbreviatis, & aliquibus in toto vel in parte mutatis, multiſque correctionibus, detractionibus, & additionibus, prout expedire vidimus, factis in ipſis, in unum librum cum nonnullis noſtris Conſtitutionibus ... redigi mandavimus, & ſub debitis titulis collocari.*

Altera Clementinarum publicatio in Conſiſtorio per Clementem V.

10. Eodem igitur conſilio, & ſimili diligentia in Viennenſibus Conſtitutionibus adhibita, aliis detractis, emendatis aliis, aliis autem adjectis, novum Clementinarum volumen paratum, & ab ipſo Clemente V. publicatum in Conſiſtorio, ſeu Audientia Cardinalium Joannes Andreę ex Auditore ipſius Clementis audivit, ut ex recitato loco manifeſtum eſt. Hanc promulgationem in Audientia idem pariter recolit in Conſtitutione unica *de Summa Trinitate* v. *Aperuit. Sequebatur in Conſtitutione Concilii, etiam correcta, & in Audientia publicata* &c. Ad hanc compilationem publicatam in Audientia pertinebat exordium, cujus meminit idem Canoniſta in proœmium Joannis XXII. Clementinis præfixum v. *Quoniam nonnulla*, ubi hæc habentur: *Eſt ſciendum quod Clemens ſuo exordio ..... narrabat. quomodo Conſtitutiones quaſdam ante Concilium, & in Concilio Viennenſi, & poſt Concilium promulgaverat, quibus præcipiebat uti in judiciis, & in ſcholis: Joannes autem deciſo ſub Bulla illo proœmio Clementis ponit proœmium ſuum cum exordio.* Erat proœmium, quo Clemens novum volumen jam recognitum, & in Audientia lectum ad ſtudia dirigebat. Tempus, & locum hujus publicationis in Audientia exerte notant Bernardus Guidonis, & Amlricus Augerius, qui diem 21. Martii, ſeu feſtum S. Benedicti An. 1313. more veteri, more autem novo An. 1314. deſignant; ac ex iiſdem intelligitur Clementem ſtatim poſt hanc publicationem incidiſſe in morbum, ex quo poſt triginta dies vita functus, publicatum Decretalium volumen ad ſtudia mittere non potuit. Bernardi Guidonis Epiſcopi Lodevenſis verba hæc ſunt: *Anno autem Dominicæ Incarnationis MCCCXIII. circa finem hujus anni in feſto S. Benedicti Abbatis in Caſtro de Montiliis prope Carpentoractem civitatem, in qua tunc Curia morabatur, Clemens Papa fecit coram ſe in Conſiſtorio publicari Conſtitutiones, quas prius fecerat ordinari: ex quibus decreverat fieri librum unum, quæ dicuntur Conſtitutiones Clementinæ. Cœpitque exinde ægrotare. Unde poſt obiit, triceſima die ſcilicet XII. Kalendas Maji; & ſic Conſtitutiones illæ non fuerunt miſſæ ad ſtudia generalia, ut eſt moris, nec expoſitæ communiter ad habendum, ſed remanſerunt ſic quadriennio in ſuſpenſo, donec poſtmodum per ſucceſſorem ejus fuerunt publicatæ, & ſub Bulla ad ſtudia generalia deſtinatæ.* Amlricus autem Augerius in vita Clementis ſimilia pariter tradit: *Item quod poſtmodum anno quo ſupra* (ideſt A. 1313. more veteri) *XII. Kalendas Aprilis, quibus fuit feſtum Benedicti Abbatis, dictus Papa exiſtens cum Curia ſua apud caſtrum de Montiliis Diœceſis Avenionenſis, coram ſe in Conſiſtorio publico ſuas Conſtitutiones Decretales, quas in Concilio Viennenſi ordinaverat, publicari fecit, quæ hodie Clementinæ vocantur; ſed poſtea infirmitate præventus, ad ſtudia generalia per eum tranſmiſſæ non fuerunt; ſed ſic publicatæ tunc remanſerunt, donec per ſuum ſucceſſorem executioni mandatæ fuerint. Sic publicatæ*, inquit, propterea quod mortuo Clemente ſine nova Conſiſtoriali publicatione (ut Joannes Andreæ obſervavit) a Joanne XXII. immedia-

Tom. 3 P. 2. p. 464. Rer. Italicar.

Ultima publicatio ſolemnis facta per Joannem XXII.

Digitized by Google

diato Clementis ſucceſſore ſub Bulla, quæ novum ipſius Joannis procemium ſignificat, ad ſtudia generalia miſſæ, & ſolemniter promulgatæ fuerint, ut in judiciis, & Scholis uſui eſſent. Id propter diuturnam Romanæ Sedis vacationem, & propter alias novi Pontificatus curas dilatum fuit ad diem VIII. Kal. Novembris An. 1317. Hæc geſtorum ſeries, & hiſtoria eſt, ex qua pleraſque Conſtitutiones Clementinas a Viennenſi Concilio abjudicari non poſſe conſtat.

§. II.

De genuinis Viennenſis Concilii Conſtitutionibus. Quæ reſecata, quæ addita fuerint in editione Clementinarum. De mutationibus, & correctionibus, quæ in nonnullis Conſtitutionibus Viennenſibus facta fuerunt. Certæ Conſtitutiones Viennenſes, & in his Clementina de uſuris.

11. TOta difficultas in diſcernendis Concilii Viennenſis Conſtitutionibus ſita eſt; neque enim omnes ſub titulo Concilii editas ad Concilium pertinere; alias autem, quæ in Concilio editæ ſunt, alicubi emendatas, & nonnunquam in aliam ſententiam mutatas Joannes Andreæ prodidit. Ne vero his de cauſſis omnia promiſcue in dubitationem veniant, ſingula in primis, quoad fieri poteſt, ſeparanda ſunt. In hanc vero rem ipſe Joannes Andreæ, qui difficultatem hujuſmodi maxime promovit, potiſſimam opem affert. Ipſum vidiſſe primam Viennenſis Concilii editionem, in qua ſolæ erant Conſtitutiones Viennenſes, cum ſuperius obſervatum eſt, tum vero confirmatur ex iis, quæ ille de additionibus, ac mutationibus poſterius factis accuratiſſime pluribus in locis notavit; neque enim hæc aliunde, quam ex collatione primæ editionis ſub Clemente, cum altera editione a Joanne XXII. promulgata, cognoſcere, & totidem quandoque verbis deſcribere potuit. Igitur quod primo Conſtitutiones aliquas *in totum reſecatas* prodit, pertinet ad eas Conſtitutiones, quibus *abolitio Ordinis Templariorum*, & *paſſagium terræ ſanctæ* in Viennenſi Concilio præcepta ab Auctoribus traduntur. Conſtitutio adverſus Templarios, etſi in Clementinis deeſt, in Conciliorum tamen editionibus, & alibi legitur; & Joannes XXII. in Extravaganti *Quia futurorum, de torneamentis* edita primo ſui Pontificatus menſe, ideſt Septembr. an. 1316. ante Clementinarum promulgationem, memorat *generale paſſagium in Concilio Viennenſi pro terra ſancta ſubſidio ſalubriter ordinatum*. In hac eadem Extravaganti revocavit etiam Clementis V. Conſtitutionem, quæ ex gloſſa incipiebat *Paſſiones*, & torneamenta, ne eidem tranſmiſſioni impedimento eſſent, prohibebat. Num hæc quoque Conſtitutio ad Viennenſe pertinuerit, & a Clementinis fuerit reſecata in altera editione Clementis, eadem de cauſſa, qua illam Joannes XXII. revocandam putavit, ignoramus. Hæc tamen, quæ fuerunt a Clementinis præciſa, nihil difficultatis faceſſunt pro iis, quæ in Clementinis leguntur.

De Conſtitutionibus reſecatis.

12. De his ſolicitius videndum, quæ additæ, vel mutatæ fuerint, ut quæ puræ ad Concilium pertineant, cognoſcantur. Joannes Andreæ cum omnes additiones, ac mutationes notavit, omnem difficultatem ſolvet. Ab iis, in quibus aliquid mutatum fuit, cum paucæ ſint, paucis me expediam. A Conſtitutione *Quoniam*, de *Immunitate*, exordium demtum V. *Volentes* Joannes Andreæ tradit. Sed hæc

De iis, In quibus aliquid mutatum, vel detractum fuit

De-

Decretalis ad Viennenſe Concilium non pertinet, ut poſt pauca dicemus. In tribus autem Conſtitutionibus Concilii mutationes quædam ab eodem notantur. Conſtitutioni primæ *de Reſcriptis* nonnulla verba inſerta dicuntur V. *Nec occaſione*. Aliquid ſublatum a Conſtitutione ſecunda *de Religioſis domibus* indicatur V. *Secularibus*. Tandem in Conſtitutione unica *de Summa Trinitate* Joannes XXII. aliquid detraxiſſe fertur V. *Aperuit*, in quo ſecutus eſt exemplum Bonifacii VIII., qui ex Conſtitutione *Quia periculoſum*, de *ſententia excommunicat.* in ſexto, licet in Generali Concilio Lugdunenſi ab Innocentio IV. edita, nonnihil decerpſit, ut notavit ibidem gloſſa V. *de Epiſcopis*, & V. *Habeatur*.

De conſtitutionibus additis, quæ non ſunt Concilii Viennenſis.

13. Plura dicenda ſuperſunt de Conſtitutionibus additis, quæ ad Viennenſe Concilium non pertinent. Inter has aliæ ante, aliæ poſt Concilium lucubratæ, & ſeparatim editæ fuerant. Ante Viennenſe tres ſolas a Clemente V. promulgatas Joannes Andreæ teſtatur in procœmium Clementinarum V. *Ante*. *Iſta ſola*, inquit, *emanaverunt ante Concilium*. *de Judiciis*, *Dudum*, *de Immunitate Eccleſiarum*, *Quoniam*, *de ſent. excommunicat. Ex frequentibus.* Idipſum in notationibus ad has Conſtitutiones iterum repetit. Enimvero duas ex his integras, ut prius editæ fuerant, cum notatione loci, & temporis, & cum formula *de fratrum noſtrorum conſilio*, Conſtitutionum conſiſtorialium, non autem conciliarium propria, habemus. Clementina *Quoniam*, *de Immunit. Eccleſ.*, teſte eodem Joanne Andreæ V. *Volentes*, *fuit de primis Conſtitutionibus* Clementis, *editis a principio promotionis ſuæ, & incipiebat* Paſtoralis, *cujus decidit exordium*. Hæc autem Conſtitutio *Paſtoralis* integra legitur in Concilio Salisburgenſi apud Labbeum *data Lud.* (corrige Lugduni) *Kal. Februarii Pontificatus noſtri anno ſecundo*, ideſt an. 1307. Similiter Conſtitutio *Ex frequentibus*, de *ſent. excommunicat*, integra habetur in Collectione Actorum general. Ord. Prædic. apud Martene in actis Capituli generalis an. 1310. *data Avenione II. Kal. Aprilis Pontificatus noſtri anno quinto*, ideſt eodem anno 1310.

Aliæ editæ ante Concilium.

T. 14 Venetæ edit. pag. 1412.

T. 4. Theſ. Anecdot.

Aliæ poſt.

14. Poſt Concilium autem Viennenſe quatuor quidem Conſtitutiones ſolemniter promulgatas Joannes Andreæ affirmat V. *De cetero*. *Item indubitatum eſt, quod ante mortem Clementis ligabant, infra eo tit. c. unico, & infra de electione, Ne Romani; de Jurejurando, Romani; de Re judicata, Paſtoralis. Conſtat enim, quod Papa Clemens ſolemniter illas publicaverat, & quod ſtatim ligarent, mandaverat.* At cum prima conciliaris fuerit, ſolæ tres poſtremæ poſt Concilium ſcriptæ, & ſolemniter promulgatæ fuerunt. Prima ſcilicet *infra eo tit. c. unico* eſt Clementina *Fidei Catholicæ*, *de Summa Trinitate*, ut ex teſtimonio, quod Tholomæo Lucenſi tribuitur, colligere licet. Hæc autem certo conciliaris fuit, ut a Joanne Andreæ in notationibus traditur; unde & formulam *ſacro approbante Concilio* continet. Locus Tholomæo Lucenſi tributus ſolam Conſtitutionem *Paſtoralis*, *de Re judicata*, quæ Henrici Imperatoris obitum memorat, non conciliarem profert; ſed fallitur. Nam Conſtitutio pariter *Ne Romani*, *de Electione* certe conciliaris non fuit ut Joannes Andreæ probat, qui in procœmium V. *de cetero* poſt Concilium additas prodit *de Electione omnes poſt primam*, ſecunda vero eſt *Ne Romani*, quæ præterea formulam *de fratrum noſtrorum conſilio* exhibet: & ſimiliter Conſtitutio, *Romani*, *de Jurejurando*, poſt Henrici Imperatoris mortem ſcripta, ut patet ex contextu, ideſt poſt diem 24. Auguſti an. 1313., quo ille

Digitized by Google

ille obiit, ac proinde poſt Concilium lucubrata, nedum promulgata fuit. Hæ itaque ſex Conſtitutiones, tres ante, & tres poſt Concilium editæ, conciliares non ſunt, & tres ultimæ cum conciliari *Fidei Catholicæ* ante mortem Clementis ſolemniter promulgatæ ligabant.

Aliæ incerti temporis.
15. Additæ etiam dicuntur ab eodem Joanne Andreæ *De Reſcriptis omnes, quæ ſunt poſt ſecundam, & de Electione omnes poſt primam, cum ſimilibus*. Sed hæ, præter ſecundam *Ne Romani*, *de Electione*, ante Clementis mortem ſolemniter publicatæ non fuerunt. Verba *cum ſimilibus* indicant alias Conſtitutiones quaſcunque non conciliares, quæ ſive promulgatæ, ſive non promulgatæ ante Clementis mortem, ad Viennenſe non ſpectant, & Viennenſibus nihilominus additę fuerunt. Inter non promulgatas, & conciliaribus additas, referri poteſt Conſtitutio *Si Dominum*, *de Reliquiis*, quam Joannes Andreæ V. *Præcipimus* a conciliaribus abjudicavit, eaque præterea ex formula *de fratrum noſtrorum conſilio* a conciliaribus diſtinguitur. Si integras haberemus omnes non conciliares, eadem fortaſſis formula omnes notatæ invenirentur. Itaque ſexdecim a Joanne Andreæ memoratæ Conſtitutiones conciliares non ſunt, nimirum ſeptem *de Reſcriptis, omnes, quæ ſunt poſt ſecundam*, tres *de Electione omnes poſt primam*, & ſex aliæ *ſimiles*, quarum tres ante, duæ autem poſt Concilium ſeparatim promulgatæ ſunt (aliam enim *de Fide Catholica* ex quatuor poſt Concilium publicatis conciliarem vidimus; alia vero *Ne Romani*, *de Electione*, inter eas *de Electione* additas continetur) ac tandem *Si Dominum, de Reliquiis*. Ceteræ autem omnes preter has ſexdecim conciliares videntur. Si quæ enim fuiſſent præterea additę, in his memorandis Joannis Andreæ, qui omnia accuratiſſime notavit, diligentia non defuiſſet.

Objectio ex Conſtit. *Exivi de Paradiſo* ſolvitur.
16. Hoc argumentum ut infirmetur, erunt forte qui non conciliaribus accenſendam putent Conſtitutionem *Exivi de Paradiſo*, *de Verb. ſignif.*, cui tamen Joannes Andreæ nullam adnotationem oppoſuit. Benedictus enim XII. in documento, quod ſub Joanne XXII. jam Cardinalis ſcripſit adverſus Fraticellos, edito apud Eymericum q. 17. part. 2. Directorii Inquiſitorum p. 316., diſerte affirmat, *Conſtitutionem* Exivi de Paradiſo *non fuiſſe factam in Concilio generali Viennenſi, ſed poſt Concilium in Avenione, ut habet fide digna multorum relatio*. Sed hic Auctor, præter alia ſphalmata in ſupradicto documento ab editore Franciſco Penna notata, hæc ſcribens erravit manifeſte. Non ſolum enim Bernardus Guidonis Actorum Concilii Viennenſis peritiſſimus, eam potiſſimum Conſtitutionem huic Concilio nominatim vindicat; verum etiam ipſum authenticum Clementis V. Regeſtum, quo nihil certius allegari poteſt, lib. 7. ep. 113. eandem exhibet *datam*, non Avenione, ſed *Viennæ III. Nonas Maji, Pontificatus noſtri Anno ſeptimo*, ideſt pridie antequam ultima Concilii Seſſio haberetur, ita ut poſtrema Seſſione legi, & edi potuerit. Neque moveat quod Odoricus Raynaldus huic chronicæ notationi, quam ipſe ex Regeſto edidit, objecit paullo poſt: *Obſervandum eſt ſanctionem hanc a Clemente editam eo flexu temporis, quo Concilium celebrabatur, non tamen latam in Concilio, ſeu a Concilio confirmatam, ut aliqui perperam tradidere, immo ne quidem in ea ferenda rogatam Cardinalium ſententiam, ut Joannem Papam promulgaſſe viſuri ſumus*. His enim verbis reſpicit ejuſdem Joannis Decretalem *Quia vir reprobus* contra Michaelem Cæſenatem inſertam a Raynaldo Annalibus ſuis ad An. 1320., ubi n. 39. hæc Joannes Papa pronunciat: *Item in hoc quod dicit, quod dicta* (Ad An. 1312 n. 23.)

Digitized by Google

Conſtitutio Exiit *fuit per univerſalem Eccleſiam approbata; ..... dicimus etiam, quod non fuit in Viennenſi Concilio confirmata, nec hoc poterit per Conſtitutionem aliquam, vel aliquas apparere, immo nec de fratrum conſilio promulgata.* His autem verbis Joannes XXII. non loquitur de Conſtitutione *Exivi de Paradiſo*, quæ ſub Clemente edita certo Viennenſis eſt, ſed de alia *Exiit*, quæ ſane in Viennenſi, ſeu in Clementina *Exivi* confirmata non fuit. Hinc ergo nulla Joannis Andreæ negligentia, vel omiſſio in notandis Conſtitutionibus non conciliaribus, vel earum mutationibus accuſari poteſt. Quanquam ſi in hac Conſtitutione quidpiam notandum omiſiſſet, cum id fecerit propterea quod Nicolaus III. ſub excommunicatione vetuerat, ne in Decretalem, quæ exponit regulam S. Franciſci, gloſæ ſcriberentur (ut Cardinalis Zabarella V. *Exivi* obſervavit) ex hac omiſſione, ad alias, quæ æqualem cauſſam non habent, argumentum duci non poſſet. Itaque cum Joannes Andreæ, qui primam Viennenſis Concilii editionem ob oculos habuit, & ex ea diligenter collata cum Clementinis a Joanne XXII. promulgatis omnia mutata, vel addita accuratiſſime notarit; de ceteris omnibus, quæ nullum dubitandi argumentum, ac indicium præſeferunt, dubitare, num Viennenſis Concilii ſint, & dubitationem in lectorum mentes ingerere, ut adverſarius contendit, temerarium omnino videtur.

Conſtitutiones certo Viennenſes.

17. Quod ſi de nullis aliis juſta dubitatio poteſt incidere; de illis certe multo impudentius dubitabitur, quæ *ſacro approbante Concilio*, vel *ſacri Concilii approbatione* formulam exhibent. Qui enim abjudicari poſſunt a Concilio Decretales, quæ ſacro approbante Concilio editæ in ipſo contextu feruntur? Decem vero ac ſeptem Decretales hac formula notantur.

Lib. I. tit. *De Summ. Trinit.* cap. unico. *Fidei catholicæ.*
Lib. III. tit. IX. *De regular.* c. 1. *Ut Profeſſores.*
Eodem, tit. X. *De ſtatu Monach.* c. 1. *Attendentes.*
Eodem, tit. XI. *De religioſ. domib.* c. 1. *Cum de quibuſdam.*
Eodem tit. c. 2. *Quia contingit.*
Eodem, tit. XII. *De jure patronatus.* c. 1. *Ut conſtitutio.*
Eodem, tit. XIII. *De cenſ. & exact.* c. 2. *Ad noſtrum.*
Eodem, tit. XIV. *De celebrat. Miſſar.* c. 1. *Gravi nimirum.*
Lib. V. tit. II. *De Judæis, & Sarac.* c. unico. *Cedit quidem.*
Eodem, tit. III. *De haret.* c. 1. *Multum quidem.*
Eodem tit. cap. 2. *Nolentes ſplendorem.*
Eodem tit. cap. 3. *Ad noſtrum.*
Eodem, tit. V. *De uſuris.* cap. un. *Ex gravi.*
Eodem, tit. VII. *De privilegiis, & exceſſ.* c. 1. *Archiepiſcopo.*
Eodem, tit. VIII. *De pœnis.* cap. 1. *Si quis.*
Eodem tit. cap. 2. *Multorum.*
Eodem, tit. X. *De ſentent. Excom.* cap. 2. *Gravis ad nos.*

Objecta Broedersen refelluntur.

18. Hujus autem formulæ vim, & auctoritatem ut elidat Broederſen, aliquot difficultates opponit, quæ ad duas revocantur. Primum quia ſi hæ Conſtitutiones fuiſſent Concilii, ſtatim ligaſſent, nec ſuſpendi potuiſſent, nec corrigi. Deinde quia Conſtitutio *Fidei catholicæ, de Summa Trinitate*, cui ea formula inſerta eſt, certo tribui nequit Concilio, quia *diſerte adnotat Joannes Andreæ in Gloſſ. ad verbum Aperuit, eam eſſe correctam a Joanne XXII. Conſtitutionem a Joanne correctam, Viennenſis Concilii Conſtitutionem non poſſumus vocare.* Quam facile eſt umbras creare, & ſpargere, tam diſjicere facillimum fuerit. Tota

ta Viennenſium Conſtitutionum vis, quæ ſuſpenſa fuit (ut ſuperius monui) non fidem, ſed diſciplinam ſpectabat, cujus obligatio pro legiſlatorum arbitrio definiri poteſt. Id palam liquet, tum ex recitato continuatoris Nangii teſtimonio, ubi ſolam pœnarum, ac judiciorum rationem ea ſuſpenſione habitam memorat; tum ex Joanne Andreæ in procemium Clementinarum V. *De certo*, ubi ligandi vim etiam poſt promulgationem ad quoddam tempus dilatam notat, & valuiſſe ait *maxime in pœnalibus, quæ ſunt multa &c.* (ut videre eſt ex indice, qui deſcribitur in ſtatutis Synodalibus Eccleſiæ Ruthenenſis apud Martene editis paullo poſt an. 1336.) ceteras autem, quæ *declaratoria* erant antiqui juris, vel fidei, ſtatim ligaſſe *indubitatum* affirmat. Quanquam ſi quæ ex his poſtremis pœnam aliquam habebant adjectam, quoad hanc inter pœnales referri queunt. Conſtitutiones autem quaſcunque pœnales, ſeu diſciplinæ, quæ Eccleſiaſticæ poteſtati ſubſunt, mutari poſſe quis ignorat? Quod ſi duorum generalium Conciliorum Conſtitutiones ſub Innocentio IV., & Gregorio X. editas, & promulgatas, revocare, & mutare potuit Bonifacius VIII., ut ex proœmio libri ſexti Decretalium innuimus; quanto magis Viennenſes nondum ſolemniter promulgatas, & Apoſtolicæ Sedis judicio relictas, ſuſpendere, & corrigere potuit Clemens V., ſive etiam Joannes XXII., cujus unica emendatio in cap. *Fidei catholicæ* non fidei eſt, ſed unius allegationis, quæ ob rationem a Joanne Andreæ notatam prætermittenda viſa eſt? Nihil ergo hæ, aliæve leviores Broederſen difficultates obtinere queunt, ut de Viennenſibus Conſtitutionibus ambigamus, quæ num ab eodem Concilio ablegandæ ſint, nullo argumento probatur.

ſup. n. 7.

T. 4. Theſ. Anecdoton. p. 770.

19. Addam poſtremo ad temeritatem hujus dubitationis, atque molitninis magis magiſque confirmandam, auctoritatem complurium ejuſdem potiſſimum temporis Scriptorum, qui modo has, modo illas Clementinas (nullo argumento hactenus exceptas) Viennenſi vindicarunt promiſcue, ſive quæ præferunt formulam *ſacro approbante Concilio*, ſive quæ non præferunt. Joannes Andreæ cap. *Quamvis, de Foro competenti*, velut Concilii allegat V. *Quamvis. Concedit Concilium &c. Et quia in Viennenſi Concilio plures erant Epiſcopi a ſuis ſedibus expulſi, & maxime Italici, ut Mediolanenſis, & Vincentinus, & aliqui alii; illis inſtantibus fuit hæc Conſtitutio promulgata.* In Conſtit. *Dudum, de Sepulturis* V. *Dudum. Proœmium Clementis innovans in Concilio Conſtitutionem Bonifacii*; & V. *Inſtante: Multoties dixi, quod Concilia fieri privilegiatis, vel exemtis non expedit, quod collige ex hoc Viennenſi hic*; & dein alias decem Clementinas indicat, quas eidem Concilio tribuit. In cap. *Cum ſit natura, de Cenſibus*, dum V. *Cum ſit*, & V. *In poſterum*, hanc Decretalem locum habere affirmat in Eccleſiis acquiſitis *poſt*, non vero ante Concilium Viennenſe, cujus proinde Epocham ſignat; eam profecto a Concilio latam præſumit: *Non habent locum niſi in acquiſitis ante Concilium Viennenſe* &c. In cap. unicum *de Exceſs. Prælat.* V. *Frequens: Providerat Gregorius contra XXVII. gravamina, quæ Prælati religioſis inferebant. Hoc vero Concilium providet contra triginta.* In cap. 1. *de Pœnis* V. *Si quis ſuadente: Per Concilium puniuntur.* Tandem in cap. 2. *de Pœnit. & Remiſſ.* V. *Abuſionibus: Repetit Concilium generale* &c. Ex his Clementinis pleræque *ſacro approbante Concilio* formula carent.

Antiqui teſtes, qui Clementinas Viennenſi tribuunt.

20. Sed alios coævos Scriptores afferamus in medium. Joannes XXII. Clementis V. immediatus ſucceſſor in Extravaganti *Frequentes, de Judiciis*, teſtatur Bonifacii VII.

X 2 Con-

Conſtitutionem *Super cathedram, per pia memoria Clementem Papam V. prædeceſſorem noſtrum in Viennenſi Concilio innovatam fuiſſe*. Reſpicit Clementinam *Dudum, de Sepulturis*. Cardinalis Guillelmus Epiſcopus Sabinenſis S. R. E. Legatus in Hiſpaniam, qui dum erat in Curia Sacri Palatii Lector, a Clemente V. creatus fuit Cardinalis eodem anno 1312. quo Viennenſe Concilium deſiit, in Conſtitutionibus editis in Synodo Provinciali Palentina anno 1322., can. 18., laudat, & præcipit publicari *Generalis Concilii Viennenſis ſtatutum de conſanguinitate, & affinitate*, quod eſt Clementina *Eos qui*.

T. 15. Concil. Labbe Venetæ edit. p. 259.

In ſtatutis Synodalibus Tutelenſis Eccleſiæ apud Martene, & Durand editis ſub Joanne XXII., ex n. 7., & ante an. 1328., quo notantur alia ejuſdem Eccleſiæ ſtatuta, quæ illis ſubjiciuntur, plures ſententiæ contra plures in *Viennenſi* Concilio latæ referuntur, quæ in Clementinis continentur; eæ autem omnes eidem Concilio vindicantur: *Item in Concilio Viennenſi contra* &c.

T. 4. Theſ. Anecdot. p. 792.

Similiter in Synodalibus ſtatutis Eccleſiæ Ruthenenſis: *Item ex Concilio per Dominum Papam Clementem Quintum celebrato Vienna, majorem ipſo facto excommunicationem qui ſequuntur incurrunt*; & prolixe recenſentur omnes, qui per ipſum Concilium in Clementinis excommunicati ſunt.

Ibid p. 770. n. 19.

Hæc ſtatuta ſcripta fuere poſt an. 1336., & ante ſtatuta Giberti Epiſcopi Ruthenenſis edita an. 1341. Hoc circiter tempore habitum eſt Concilium provinciale ſecundum Tarraconenſe a Joanne Patriarcha Alexandrino, Eccleſiæque Tarraconenſis adminiſtratore. Hujus autem Concilii Canone tertio veluti Viennenſis allegatur Clementina *Ex gravi, de Uſuris*, his verbis: *Pro animarum ſalute proviſum extitit in Concilio generali* (ſcilicet Viennenſi) *reprobando uſurariam pravitatem, quod officiales quicunque, ſeu judices, qui ut ſolverentur uſuræ, vel quod ſoluta, cum repeterentur, non reſtituerentur, plene, ac libere ſcienter præſumerent judicare, excommunicationis ſententiam incurrerent ipſo facto*.

Ibid. p. 317.

Concilium Rothomagenſe A. 1335. can. 1. *Ideo ſtatuit præſens Concilium, quod Conſtitutio ſuper his edita in generali Concilio Viennenſi, quæ ſic incipit* Graviſſimum...... *inviolabiliter obſervetur*: eſt Clementina *de celebrat. Miſſ.*

T. 15. Concil. p. 471.

Et Can. 3. *Quia etiam in præſenti Concilio relatum eſt, quod in plerique hujuſmodi provinciæ partibus Conſtitutio generalis Concilii Viennenſis, quæ incipit* Ne in agro Dominico, *contemnitur*: eſt Clementina *de ſtatu Monachor.*

p. 474.

Concilium Salmanticenſe A. 1335. can. X. *De conſanguinitate & affinitate: Cum felicis recordationis Papa Clemens V. provide decreviſſet in Concilio Viennenſi, eos qui .... ſtatuimus .. & mandamus, ut .... dictam generalis Concilii Conſtitutionem faciant publicari*.

Ib. p. 487.

Concilium Avenionenſe trium provinciarum An. 1337. can. 38. *Et alia contenta in Conſtitutione Viennenſis Concilii ſuper hoc edita &c.* & laudat Clementinam *Diœceſanos, de Vita & honeſt. Clericor.*

Ibid. p. 524.

Concilium Toletanum A. 1347. can. 3. *De Pœnit. & Remiſſ. Conſtitutionem felicis recordationis Clementis Papæ V., quæ incipit* Abuſionibus, *in Concilio Viennenſi contra quæſtores hujuſmodi editam* laudat. Hæc omnia Concilia paullo poſt Viennenſe fuerunt celebrata, pluresque ex Patribus, qui in his Conciliis interfuere, præſertim in Gallia, probabiliter adfuerunt Viennenſi, nec tot Clementinas vindicaſſent huic Concilio, niſi eas ejuſdem Concilii vere fuiſſe cognoviſſent.

Ibid. p. 617.

Teſtes ſequioris temporis.

21. Mitto complures, ac prope infinitos ſequiorum temporum teſtes, pro quibus omnibus una Synodus Tridentina ſufficiet. Hæc autem quatuor Clementinas, veluti Viennenſes allegat. Clementinam *Abu-*

Digitized by Google

Abuſionibus, *de Pœnitent. & Remiſſ.* allegat Seſſ. 21. c. 9. de Reformat. Clementinam *Quia contingit*, *de Religioſ. Domib.* Seſſ. 7. c. 15. de Ref., Seſſ. 23. c. 18., & Seſſ. 25. c. 8. Clementinam *Quoniam*, *de Vita*, *& Honeſt. Cler.* Seſſ. 14. c. 11. in fine, & Clementinam *Ut ii*, *qui*, *de Ætate*, *& qualit.* Seſſ. 22. c. 3.

Clementina de Uſuris eſt Viennenſis. 22. Si vero pro Viennenſibus habitæ ſemper fuerunt Clementinæ omnes, quæ nullo argumento excipiendæ ſunt; quam irritus Broederſen labor ceſſit, qui tanto molimine Clementinam *Ex gravi*, *de Uſuris* ablegare niſus eſt! Hæc enim non ſolum nullo argumento, vel indicio a Viennenſibus abjudicanda probari poteſt; verum etiam ex formula *ſacro approbante Concilio* ſolis certis Viennenſibus Conſtitutionibus congruenti, iiſdem certiſſime adjudicanda convincitur: unde Aſtefanus, qui ſolo codice primæ editionis uſus eſt, in quo ſolas Clementinas Viennenſes contentas diximus, hanc Conſtitutionem ex eodem codice bis allegavit, & ceteri omnes eandem Viennenſi indubie tribuerunt. Vide inter ceteros Durandum de S. Porciano, quem eam ob cauſſam præcipue nomino, quod ſtatim poſt Viennenſe Concilium an. 1313. Lector Curiæ a Clemente V. creatus, hanc Decretalem Viennenſem in lib. 3. ſent. diſt. 37. q. 2. diſerte allegat. Unus Broederſen ſine documento dubitans, nemini dubitationem prudentem injicere poterit. Quanquam ſi etiam hæc Conſtitutio Viennenſis non eſſet, nonne Catholicis ad auctoritatem ſatis eſſe deberet ſolus Romanus Pontifex, qui eam edidit, & corpori juris inſeruit?

Vid. ſup. n. 8.

§. III.

Violenta interpretatio Clementinæ de Uſuris a Broederſen ſubjecta exploditur. Concluditur pro Catholico dogmate.

Mala Broederſeni interpretatio. 23. NUnc autem ad alteram difficultatem venio. Broederſen igitur videns hujus Clementinæ, etiamſi a ſolo Pontifice lata ſit, vim eſſe maximam; eam ita interpretari ſtudet, ut lata fuerit pro iis locis, *in quibus uſura lege poſitiva ſunt probibita*, *& quidem eo modo*, *ut earum exactio juſtitiæ commutativa adverſa babeatur. Hoc noverant iſtarum civitatum tum incolæ, tum judices. Attamen in fraudem legum indirecte illi exigebant uſuras*, *& hi ad illarum ſolutionem debitores cogebant*, *ſtatutaque quadam in earum favorem condiderant.* Cumque in Clementina uſuræ ejuſmodi *in offenſam Dei*, *& proximi contra jura divina pariter*, *& humana* pugnare notentur, humana jura explicat canonicas leges, quibus *uſura non modo vetabantur*, *ſed earum acceptio*, *vel exactio injuſta babebatur. Ideo iis in locis*, *ubi jura canonica vim legis obtinebant*, *exactiones uſurarum juſtitiæ commutativæ adverſabantur. Talia fuiſſe ea loca*, *quorum intuitu dicta Conſtitutio eſt edita*, *ex Zabarella gloſſa colligitur*; & num. 60. poſtremam Clementinæ partem, quæ eum erroris accuſat, & hæreticorum pœnis ſubjicit, quicunque *pertinaciter affirmare præſumſerit*, *exercere uſuras non eſſe peccatum*, intelligendam ſimiliter affirmat *de uſuris juſtitiæ commutativæ contrariis*, quæ ſcilicet jure poſitivo, ſeu canonico prohibentur. Quam facile eſt in mala cauſſa defendenda multis errare!

Pag. 1145. q. 55.

Pag. 1146. a. 58.

Refellitur. 24. Mirum primo eſt hominem, qui civilibus legibus in uſurarum materie tantum tribuit, ut licitas eas uſuras velit, quæ civilibus legibus probantur, hoc loco canoni-

co

co juri tantum tribuere, ut quæcunque uſuræ hoc loco jure prohibentur, eas non modo illicitas, ſed juſtitiæ etiam commutativæ contrarias velit. Quod ſi hoc ad ea loca reſtringit, ubi jus canonicum vim legis obtinet; nullum niſi extra Catholicorum fines locum reperiet, qui canonico juri, ſive generalium Conciliorum, ſive Pontificio, nequaquam ligetur, præſertim in uſurarum materie, quas Eccleſia nunquam ex mero poſitivo jure vetuit, ſed quod divino jure vetitæ ſint, ut vel ex præſenti Decretali Viennenſi manifeſtum eſt, in qua non ſolum humanum, ſed divinum præcipue jus primo quidem loco ponitur. Id autem in poſtrema parte Decretalis, quæ in præſentiarum a nobis magis urgetur, potiſſimum valet. In hac enim cum hæreticorum pœna decernitur adverſus aſſerentes uſuras non eſſe peccatum; id peccatum contra divinum jus, contra quod hæreſis eſt, palam innuitur. Sed hæc omnia Broederſen molimina præter obviam Decretalis mentem eſſe quiſque cognoſcet, ſi conſideret *ſtatuta*, de quibus ibidem agitur, earum Civitatum ſtatuta eſſe, quæ ſub finem ſeculi XII. liberæ Reipublicæ auctoritatem aſſecutæ, plures erant, præſertim in Italia, & legislativam ſupremam facultatem habebant. Itaque hæ uſuræ his ſtatutis decretæ, vel probatæ, ejuſdem erant generis, ac quæ a Romanis legibus olim decretæ, vel probatæ fuerant, ad quarum etiam modum pro conditione locorum, & temporum taxatæ, legitimæ pariter ducebantur. Secundum hæc ſtatuta poteſtates, judices, aliique civitatum magiſtratus in foro, ac judiciis regebant. Has ergo uſuras cum reprobavit Clementina *Ex gravi*, uſuras lege, & conſuetudine decretas reprobavit; cumque aſſerere harum exactionem non eſſe peccatum, errorem non ferendum, ac hæreticorum pœna dignum cenſuit; non de uſuris ſolo poſitivo humano jure prohibitis, ſed de uſuris etiam ad modum humanarum legum exactis, & approbatis, quas Broederſen vindicat, hæc Decretalis locuta eſt. Diutius aliquanto in hac objectione diluenda immorati ſumus, non ſolum quod res hæc per ſe graviſſima eſt, & ad vindicanda quæ alibi diximus, maxime neceſſaria; verum etiam quod tantum adverſarii molimen, quo univerſa fere generalis Concilii Decreta in dubium vocabantur, ſine moroſiore niſu convelli non poterat.

25. Interim vindicato & conſtituto Viennenſi Canone, adverſarii ſententia, quæ opponitur, error eſt manifeſtus, quem quidem poſt tanti definitionem Concilii alii auctores *hæreſim*, alii vero mitius *hæreſi proximum* appellarunt, ut pluribus oſtendimus lib. II. de Jure divino, & naturali circa uſuram c. 7. Et hinc pariter doctrina, quam propugnavimus, omnino dogmatica habetur, quippe quæ ab aliis *de fide*, ab aliis vero *ad fidem pertinens* affirmatur, ut eodem capite videre licet. Ne vero hoc privatorum ſcriptorum, vel ſcholaſticum præjudicium credatur; jam in præfatione memorati operis n. 8. & 11. aliquot documenta Pontificia produximus, quibus Romana Sedes Inquiſitoribus præcepit, ut perinde inquirerent adverſus eos, qui aliquam uſuram defenderent, quemadmodum contra hæreticos agere mos eſt. Sola Chriſtianæ doctrinæ, ſeu Catholicæ fidei ignoratio alios fallere, aut tranſverſos agere poteſt, alios vero ſola pertinacia, qua inanibus proprii ingenii ratiocinationibus magis quam Eccleſiaſticæ auctoritati tribuant. Si vero Adverſarius huic auctoritati cedens, in hoc certiſſimo principio nobiſcum conveniat, *omnem veram uſuram, etiam moderatam*, divi- Concluditur.

Digitized by Google

divino jure illicitam, ac injuſtam eſſe, a quocunque exigatur ; caſus autem Belgii velit nihilominus vindicare, ſive quod in iis titulum aliquem juſtum ineſſe putet, ſive quod eos ad aliquem contractum a mutuo diverſum referat ; id ſarto tecto Catholico de uſuris dogmate in Opuſculis expendetur. Eo enim rejicimus nonnulla etiam Eccleſiaſtica documenta, quæ etſi promiſcue ab eodem allata pro ſuo ſyſtemate ſtatuendo, in quo plures diſtinctas quæſtiones perperam miſcet; non tamen ad quæſtionem præſentem de uſurarum dogmate, ſed ad aliam, ſive de titulis, ſive de contractibus, pertineat.

LAUS DEO.

Digitized by Google

APPENDIX

TRIUM OPUSCULORUM

IN MATERIE USURARUM.

I. De Montibus Pietatis, quatenus licite pecuniam ſub pignore commodent exigendo aliquid ſupra ſortem. De modis providendi publicis, & privatis pecuniæ neceſſitatibus cum lucro annuo licito citra uſuram; ubi de legitimis titulis, nec non de contractibus emtionis cum pacto de retrovendendo, & cenſus, cum realis, tum perſonalis, non pauca differuntur.

II. De pecunia in negotiationem tradenda, ac de licito, vel illicito ex eadem lucro. Trium contractuum pravitas demonſtratur, & ſuggeruntur modi liciti providendi negotiationi, & commercio citra uſuram; ac præſertim de cambiis realibus.

III. De inani contractuum implicitorum ſyſtemate, quo omnes fere contractus re ipſa fœneratitios ab uſura purgare nonnulli Theologi contendunt.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

CUm ſequentia Opuſcula in ſuperiori dogmatico Opere identidem allegarimus, eòque remiſſi fuerint Lectores in argumentis momenti non levis, hic in Appendicem ſubjicienda putavi. Duo prima Opuſcula quantæ & utilitatis, & neceſſitatis ſint, ex ipſo titulo quiſque deprehendet. Uſuram enim impugnanti nulla gravior vulgo difficultas obtruditur, quam quod ſine uſura conſiſtere Mundus non poteſt; ea enim ſublata nihil remedii ſupereſſe indigentibus dictitant, nihil commercio, cum pecunioſi viri abſque uſura, & lucro pecuniam credere nolint.

Prima autem duo Opuſcula plures modos ſuggerent, quibus citra uſuram, & honeſto cum lucro, privatis, & publicis neceſſitatibus, nec non mercaturæ, & commercio ſuc-

curri commode poteſt: & adeo tot viæ patebunt undecunque, ut ille ſolus caſus a lucro excludendus ſit, in quo de hominibus miſerrimis agitur, ex quibus lucrum capere vel ipſi hæretici uſuraram patroni deteſtantur, & crimini dant. Videſis epilogum Opuſculi ſecundi, ubi omnes ejuſmodi viæ uno complexu indicantur. Tertii autem Opuſculi adjiciendi cauſſam ſatis ex proœmio ejuſdem intelliges.

Superiori dogmatico Opere catholicam de uſuris doctrinam adverſus hæreticorum errores vindicandam ſuſcepi: hic autem legitimos lucrandi modos, ſive ex juſtis titulis, ſive ex contractibus a mutuo diverſis propoſituri, non pauca de uſurarum palliis ſubjiciemus, & præcipuas de uſuris controverſias, quæ Theologos in partes diſtrahunt, & a quibus Chriſtianorum praxis maxime pendet, accuratiori examine, certioribuſque, quoad per nos fieri potuit, principiis dijudicare conati ſumus. Ad juſtos titulos diſcernendos quod pertinet, principia ſatis explorata præfixa fuerunt Lib. VI., præſertim cap. 2.; ſolas legitimorum titulorum conditiones Opuſculo I. c. 3. ex Eccleſiaſticis monumentis explicamus. De legitimis autem contractibus, & de contractuum legitimorum modis plura diſſeruntur. Num quod niſus hic noſter proſpexit, ex voto aſſecuti ſimus? Lectorum judicium eſto: ſtudium certe noſtrum veritatem inquirentibus ingratum eſſe non poterit.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

Opuſculorum, capitum, & ſectionum, quæ in Appendice continentur.

OPUSCULUM I. *De Montibus Pietatis, quatenus licite pecuniam ſub pignore commodent exigendo aliquid ſupra ſortem. Et de modis providendi publicis, & privatis pecuniæ neceſſitatibus cum lucro annuo licito citra uſuram; ubi de legitimis titulis, nec non de contractibus emtionis cum pacto de retrovendendo, & cenſus, cum realis, tum perſonalis, non pauca differuntur.* pag. 89.

Præfatio. ibid.

Caput I. *De inſtitutione Montium Pietatis.* 90.

Caput II. *Quæſtio vehemens de augmento ſupra ſortem a Montibus exacto. Hinc, & hinc pugnatum. Tandem definita. Quæ acceſſio, & quatenus approbata. Ad titulum damni emergentis pertinet.* 92.

Caput III. *In neceſſitatibus Montium Pietatis approbatum fuit, pecuniam ibidem utiliter collocari ab illis, qui verum lucri ceſſantis titulum haberent, ac meram ejus reſtaurationem exigerent.* 95.

§. I. *De invenienda in Montium neceſſitatibus pecunia ab iis, qui lucrum ceſſans vere patiuntur. Hic modus ſubveniendi neceſſitatibus cum augmento ſupra ſortem in mutuo citra uſuram ab Ecclеſia approbatus.* ibid.

§. II. *Quinque conditiones in monumentis Eccleſiaſticis pro Montibus Pietatis requiſitæ ad titulum lucri ceſſantis. De exprimendo in ſcriptis tabulis hoc titulo.* 97.

§. III. *Apoſtolicæ Paulli III. literæ pro Ferrarienſi Monte Pietatis apocryphæ demonſtrantur. De literis Apoſtolicis pro Bononienſi, ac Mutinenſi Montibus Pietatis. De indulto Apoſtolico apud Belgas de pupillaribus pecuniis in ſubſidium indigentium apud Magiſtratum collocandis in ſpeciem Montis Pietatis.* 103.

Caput IV. *Ubi titulus lucri ceſſantis defuit, duæ viæ providendi neceſſitatibus Montium Pietatis approbatæ, nimirum emtio alicujus prædii fructiferi cum locatione, & pacto retrovendendi, ac emtio redditus annui, vel cenſus realis, cum eodem retrovendendi pacto. De horum contractuum conditionibus, & pactis licitis, vel illicitis, ac in uſurarum fraudem adjectis. De perſonali cenſu, & de cenſibus temporalibus, ac vitalitiis.* 107.

§. I. *De emtione rei fructiferæ cum locatione, vel reali cenſu mutui loco contrahendis, ut lucrum honeſtum citra uſuram proveniat. Eccleſiaſtica documenta in neceſſitatibus Montium hoſce contractus approbantia indicantur.* ibid.

§. II.

§. II. *De neceſſariis eorundem contractuum conditionibus ad uſuram vitandam ex naturali jure. Emendum eſt aliquid fructiferum, vel uſusfructus rei fructiferæ. De neceſſaria voluntate vendendi, & emendi. Defectus practici in hac parte. De deſignando fundo, ac de emtione pro indiviſo, quatenus poſſit, vel non poſſit ſufficere. De proportione, ac juſtitia pretii. De ſcribendo contractu licito, non autem uſurario.* 111.

§. III. *Regula de pactis diſcernendis, quæ in uſurarum fraudem memoratis contractibus adjici poſſunt.* 120.

§. IV. *De obligatione redimendi venditori non imponenda. De pacto redimendi in gratiam venditoris. Diſcrimen inter pactum in emtoris, ac in venditoris gratiam. Uſuræ periculum ex obligatione redimendi venditori impoſita. Origo hujus pacti, & Eccleſiæ de eo vitando ſententia.* 122.

§. V. *De periculo in venditorem non rejiciendo. Damnum fundi, vel cenſus emti quatenus ſpectet ad emtorem, etiamſi non totus fundus perierit. Diſcrimen inter emtionem, & emphyteuſim, in qua ex vulgata regula: Ni res pereat tota, non liberatur emphyteota. Quid dicendum de cenſu impoſito ampliori fundo. Obligatio omnium bonorum quatenus intelligenda. Cautio a periculis fundi etiam fortuitis repugnat pacto retrovendendi, & uſuræ periculum affert.* 140.

§. VI. *Non ex eo tantummodo mutuum, & uſura excluditur, ſi pecunia ad lucrum credita repeti nequeat. Antiqua exempla mutui uſurarii, quo pecunia repeti non poterat, quoad uſuræ ſolverentur. Emendum eſt aliquid fructiferum; veræ autem emtionis voluntas ex eo dignoſcitur, ſi rei emtæ, vel cenſus periculum ſubire emtor velit. Hinc duæ conditiones maximæ ſervandæ in memoratis contractibus, ut emtor redimendi pactum, & obligationem pecuniæ reſtituendę venditori non imponat, ipſe autem periculum ſubeat.* 147.

§. VII. *Ex hactenus dictis colliguntur duo legitimi contractus pro mutuo ineundi, ut ſubveniatur privatis, & publicis neceſſitatibus citra uſuram. Quid agendum ſit, ubi emtio perpetua cum redemtionis pacto ex fideicommiſſis locum non habeat. Quid de pauperibus, aut iis, qui ex induſtria perſonali vitam ſuſtentant.* 148.

§. VIII. *De perſonali cenſu, nec non de reali non perpetuo, qui ad certum, vel incertum tempus emitur, vel ad vitam. De locis Montium vacabilium, quæ cenſus quandam ſpeciem referunt, mediam inter perpetuum, & temporalem. De juſto horum cenſuum pretio, conditionibus, ac jure penſionis exigendæ.* 150.

Caput V. *De licita interuſurii ſolutione Montibus Pietatis permiſſa, cum pecunia indigerent. Interuſurii nomen non ſemper uſuram ſignificat. De iis, quibus interuſurium ſolvitur.* 165.

Opusculum II. *De pecunia in negotiationem tradenda, ac de licito, vel illicito ex eadem lucro. Ubi de trium contractuum pravitate, & de modis licitis providendi negotiationi, atque commercio citra uſuram; ac præſertim de cambiis realibus.* 167.
Ca-

Caput I. *Hujus Opuſculi ratio & argumentum.* 167.

Caput II. *Pecunia in negotiationem tradita, ſi a periculis omnibus tuta ſit, mutua eſt, & lucrum eſt uſurarium. Nullum jus in lucrum capitalis nomine competit, niſi ex periculis negotiationis. Hinc pecuniæ etiam alienæ lucrum illi cedit, qui eam ſuo periculo negotiationi expoſuit, non autem cedit domino pecuniæ. Aliquot exemplis id confirmatur ex Jure Civili, & ex omnium Theologorum conſenſu. Mandatum domini nihil ipſi ad lucrum prodeſt, ſi negotiationis pericula non ſubeat.* 169.

Caput III. *De uſuraria trium contractuum pravitate.* 175.

§. I. *Trium contractuum ſyſtema exponitur, nec non contractus commiſſionis a Maignano defenſus, qui eòdem recidit.* ibid.

§. II. *Iniquitas hujus contractus a Romanis, a mercaturæ peritiſſimis, & ab ipſis uſurarum patronis declarata.* 176.

§. III. *Falſa hypotheſis Auctorum, qui triplicem contractum defendunt, circa lucrum ſocietatum; & de injuſtitia pretii, quod pro duplici cautione remittitur.* 179.

§. IV. *In triplici contractu vera ſocietas non ſubſiſtit, ſed verum mutuum. Pecunia hoc contractu tradita crediti naturam inducit, quod a ſocietate alienum eſt. Demonſtratio evidens ex decoctionum facto. Paritas ex contractu Mohatra. Si ad duplicem contractum ſocietati adjiciendum mercator adigatur, iniquum id eſſe ipſi trium contractuum defenſores accuratiſſimi fatentur. Si vero mercator id petat, adhuc injuſtum eſt lucrum ſine juſto titulo perceptum; quo titulo deficiente nihil prodeſſet ſocietas, ſi qua ſupereſſe crederetur.* 181.

§. V. *Expungitur unicum adverſariorum effugium ductum a duplici contractu, ſeu cautione certi capitalis, ac lucri, quam cum duobus diſtinctis hominibus licite iniri poſſe præſumunt.* 188.

§. VI. *Auctoritate Eccleſiæ tota hæc controverſia deciditur.* 192.

Caput IV. *De modis ſubveniendi neceſſitatibus negotiationis, atque commercii cum honeſto lucro citra uſuram.* 202.

§. I. *Neceſſitati inſtituendæ, vel augendæ negotiationis ex pecunia aliena per ſocietatem legitimam licito cum lucro ſuccurri poteſt. Occurritur difficultatibus liberæ ſocietatis, & fraudum remedia indicantur. Quæ cautio capitalis in ſocietate liceat. De licita venditione incerti lucri ex ſocietate percipiendi pretio minori certo. Duplex contractus licet, non triplex.* 203.

§. II. *Quibus honeſtis viis proſpici poſſit neceſſitatibus negotiationis, cum pecunia in ſolutionem debitorum breviori tempore quæritur. De cambiis realibus, & unde legitimum in iiſdem lucrum proveniat. De cambiis ſiccis, & eorum iniquitate.* 209.

Epilogus, *in quo comprehenduntur omnes modi providendi quibuſvis neceſſitatibus cum lucro honeſto citra uſuram. Solæ neceſſitates pauperum, queis ex præcepto gratis ſuccurrendum eſt, lucrum honeſtum non recipiunt.* 223.

Opus-

Digitized by Google

Opusculum III. *De inani contractuum implicitorum ſyſtemate, quo omnes fere contractus reipſa fœneratitios ab uſura purgare nonnulli Theologi contendunt.* pag. 225.

§. I. *Neceſſitas hujus Opuſculi, & contractuum implicitorum ſyſtema, ſcribendique propoſitum exponitur.* ibid.

§. II. *Oſtenditur homines nullum alium contractum, ne implicite quidem, velle, niſi mutuum, & lucrum ex mutuo, ideſt uſuram.* 227.

§. III. *Implicitæ voluntatis, & contractus impliciti ratio a P. Euſebio Amort noviſſime excogitata proponitur, atque refellitur.* 230.

§. IV. *Si etiam implicite inirentur contractus, quos adverſarii comminiſcuntur, reciderent in mutuum, & ab uſura, vel injuſtitia purgari non poſſent. Peculiaris, & evidens demonſtratio adverſus depoſita apud mercatores, triplicemve eum iiſdem contractum.* 232.

§. V. *Hoc ſyſtema ex ſacra auctoritate refellitur. Ejus novitas errori deputanda. P. Euſebius Amort iterum impugnatur. Concluditur definitione Gregorii XIII., quæ controverſiam aperte dirimit.* 234.

Monumenta in ſuperioribus Opuſculis allegata.

Monumentum I. *Apoſtolicæ literæ Paulli III. pro Mutinenſi Monte Pietatis.* pag. 239.

Monumentum II. *Aliæ ejuſdem Paulli III. literæ ſuppoſititiæ tamen, pro Ferrarienſi Monte Pietatis.* 241.

Monumentum III. *Julii III. literæ pro Monte Pietatis Vicentino.* 243.

Monumentum IV. *Continet varia documenta pro Monte Pietatis Veronenſi.* 245.

Monumentum V. *Syxti V. literæ pro Monte Pietatis Bergomenſi.* 256.

Monumentum VI. *Literæ Alexandri VII. pro Monte Pietatis Mantuano.* 258.

Monumentum VII. *Clementis X. literæ pro Monte Pietatis Ferrarienſi.* 259.

Digitized by Google

OPUSCULUM PRIMUM
DE MONTIBUS PIETATIS.

Quatenus licite pecuniam ſub pignore commodent, exigendo aliquid ſupra ſortem. Et de modis providendi publicis, & privatis pecuniæ neceſſitatibus, cum lucro annuo licito, citra uſuram.

PRÆFATIO.

Occaſio, & ſcopus hujus Opuſculi.

1. CUm de Montibus Pietatis ab Apoſtolica Sede, & in Lateranenſi Concilio approbatis agitur, in quibus pecunia cum aliquo annuo augmento reſtituenda, indigentibus ſub pignore creditur, non pauci id augmentum lucro pecuniæ mutuæ deputantes, lucrari ex pecunia mutua per ſe damnari non poſſe colligunt. Si enim per ſe damnandum eſſet hoc lucrum, damnari maxime deberet in Montibus, qui illud exigunt a pauperibus, ex quibus lucrum capere multo acerbius, ac iniquius ſemper habitum fuit. Cum porro nonnulli in iiſdem Montibus in egeſtatem pauperum pecuniam collocent, quæ iiſdem annuum lucrum ex ipſorum inopum manibus excuſſum parit, quod pariter ab Romana Sede probatum dictitant; quidni pariter liceat, inquiunt, pecuniam apud alios minus indigentes, pari cum lucro, & minori cum ipſorum damno, collocare? Immo cum pecunia Montium ejuſmodi pauperrimis fere uſui ſit, quibus ex charitate gratis eſſet opitulandum; quidam hoc lucrum Montium citius reprehendendum putant, quam quod ab aliis, qui minus egeant, ex credita iiſdem pecunia exigitur. Hoc præjudicium graviſſimum ut avertatur, quod & in doctrinæ morum periculum, & in Romanæ Sedis, ac Eccleſiæ dedecus cedere poteſt; de inſtitutione, & jure Montium Pietatis enucleatius diſſerendum cenſui, ita ut expenſis quæ ab Apoſtolica Sede, & Eccleſia probata fuerunt, liqueat quantum ab ejus mente abſint qui iſthæc cogitant, atque objiciunt. Quid enim, & quatenus in Montibus probatum fuerit, aliquid ſupra ſortem exigere, & quibus pecuniam apud eoſdem Montes deponentibus permiſſum fuerit ſolvere aliquid ſupra ſortem, ex authenticis monumentis patebit. Quin ex hac diſputatione illud ſimul cognoſcetur, qui ſint juſti tituli aliquid exigendi ſupra capitale in mutuo. Cumque ad perfectam hujuſmodi Montium cognitionem, atque hiſtoriam illud præterea ſubjecturus ſim, quibus modis Apoſtolicæ Sedis auctoritate proviſum de pecunia fuerit neceſſitatibus Montium, ubi nulli eſſent, qui juſto titulo pecuniam deponere cum lucro

Digitized by Google

ero citra uſuram poſſent; hinc ſimul patebunt modi, qui ad effugiendam uſuram arripiendi ſunt, ſi quis abſque lucro pecuniam aliis commodare nolit. Perutilis itaque hæc diſceptatio futura eſt, quæ & objectionem uſuræ patronorum graviſſimam diluet, & juſtos lucri titulos in mutuo, vel contractus alios utiles, & licitos mutuo ſufficiendos, ubi juſti deſunt lucrandi tituli, aperiet.

CAP. I.

De inſtitutione Montium Pietatis.

2. MOntes Pietatis, qui aliis (1) *Montes Chriſti*, aliis autem (2) *Depoſita Apoſtolica* olim dicti inveniuntur, poſt medium ſeculum decimum quintum inſtituti fuerunt. Primus Mons Pietatis Peruſinus. Primus fuit Mons Peruſinus; unde in Conſilio Collegii Peruſini an. 1464. idem Mons dicitur *ab ipſa civitate primitus erectus tanquam candelabrum lucem ferens, modo ab omnibus fidelibus merito imitandum*. Inſtituendi ratio quæ? Inſtituendi autem ratio hæc fuit. Viennenſe Concilium ſub Clemente V. an. 1311. Clementina *Ex gravi*, ad extirpandum fœnus, quod late inoleverat, excommunicationem tulit in Communitatum Rectores, & Miniſtros, qui ſtatuta de uſuris ſolvendis ederent, vel edita non delerent. Neceſſitas proſpiciendi pauperum neceſſitatibus, qui ſine uſura mutuum non inveniebant, effecit, ut Hebræis, qui Eccleſiaſticis Statutis non tenebantur, & aliunde uſuras ſibi cum extraneis licere putabant, permittendum videretur, ut mutuum ſub uſuris crederent. Immo ut pauperibus mutuum darent, acciti fuerunt a nonnullis civitatibus, & ad eoſdem alliciendos privilegia iiſdem hac conditione tributa. Si Hebræis ſua ſponte fœnerantibus, ob pauperum neceſſitates ſolum, permiſſa fuiſſet uſura, cautumque ne illi immodicam exigerent, nihil damnabile eſſet, nec contra Viennenſem Clementinam fuiſſet commiſſum: nam hoc idem factum legitur in Lateranenſi IV. c. 7., & exinde in Narbonenſi c. 2.; unde jure a Jacobo de Cortona Epiſcopo Peruſino in Conſilio MS. pro Monte Peruſino paullo poſt allegando, vindicatur Venerabilis Cardinalis Albergatus Epiſcopus Bononienſis, qui Hebræis nimium emungentibus certum uſuræ modum impoſuit. *Statuentes non peccant ſtatuendo, quod non recipiant* (Judæi) *niſi duos denarios pro libra pro uſura, ut ſtatuit ſanctiſſima, & colendiſſima memoria Dominus meus Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Sanctæ Crucis, ſuo tempore celebratiſſimus Bononiæ Epiſcopus, qui decrevit inter cetera, quod Judæi, qui capiebant ſex denarios pro libra, non capiant niſi quatuor. Hoc eſt veriſimile, quod tantus Dominus vir ſanctiſſima vita, de ordine Carthuſianorum, Epiſcopus in civitate Bononiæ, ubi generale viget Studium, hoc non ordina-*

---

(1) Vide fragmentum pro Monte Urbeventano, quod ex MS. Feltrenſi inferius recitabimus num. 5.

(2) Magiſter Jo. Nannes Viterbienſis Ordinis Prædicatorum in *Quæſtioſtionib. diſputatis ſuper mutuo* ad R. D. P. Barotium Epiſcopum Patavinum an. 1492. pag. 25. Codicis memorati *Depoſitum Apoſtolicum Patavinum, Viterbienſe, Peruſinum, Senenſe, Florentinum* appellatum tradit, propterea quod hæc pecuniæ collectio valde congrueret illi, quam primi Chriſtiani ante pedes Apoſtolorum ponebant, ut diſtribueretur quantum cuique opus eſſet.

Digitized by Google

dinaverit ſine conſilio multorum Theologorum, & præſertim cum domui ſuæ præeſſet tunc ille omnium Theologorum Magiſter facundiſſimus Thomas de Sarzana, qui poſtea fuit Papa Nicolaus V., ac etiam communicato conſilio Doctorum in utroque jure præfati clariſſimi Studii Bononienſis, & præſertim cum vitam duceret in humanis ille clariſſimus Doctor, & Dominus meus D. Florianus de S. Petro, ac etiam Dominus meus D. Joannes de Anania, qui refert in C. Quod in omnibus jur. certam, *in fine ſecunda columna, ſe a prælibato Reverendiſſimo Cardinali requiſitum fuiſſe, quid in hac re eidem videretur*. At cum plurium civitatum ſtatuta non coercuerint ſolum Hebræorum fœnus, ſed illi exercendo cauſſam dederint, privilegiaque in id conceſſerint; hoc, probationem uſuræ afferens, culpabile fuit, & peccantes, in Clementinæ pœnas incidebant. Perufina civitas inter ceteras hoc ſtatuto utebatur, cum an. 1461. Hermolaus Barbarus noſter Epiſcopus Veronenſis ad eam regendam a Pio II. cum poteſtate Legati a latere miſſus fuit. Is autem primum de eo ſtatuto tollendo cogitavit: tum vero, ne pauperibus remedium deeſſet, novum ſtatutum de Monte Pietatis erigendo condendum cenſuit. Eſt autem Mons Pietatis ſumma quædam pecuniæ ex piorum eleemoſynis in pauperum opem collata, ut indigentibus ſub pignore gratuito credatur.

Hermolaus Barbarus Epiſcopus Veronenſis Peruſii Legatus Apoſtolicus.

3. In hæc duo obtinenda Sacrorum Oratorum opera noſter Barbarus ſibi utendum cenſuit. Lucas Wadingus ad an. 1474. n. 11., Fr. Barnabæ Interamnenſi Ordinis Minorum de Obſervantia S. Franciſci hoc opus attribuit. At vidi codicem Conſiliorum pro Monte Pietatis, quem hoc tempore collectum a B. Bernardino Feltrenſi, in Bibliotheca Conventus Feltrenſis P.P. Reformatorum S. Spiritus ſervatur; ibique inter cetera continetur MS. Conſilium ipſius Jacobi de Cortona Peruſini Epiſcopi, qui Barbaro Gubernatori ea in re conſilium, & auctoritatem adhibuit, ac ibidem hæc cura Fr. Michaeli de Mediolano ejuſdem Ordinis concredita traditur. *Reverendiſſimus in Chriſto Pater & D. D. Hermolaus de clariſſima domo Barbara Venetiarum, Epiſcopus Veronenſis, nunc pro SS. D. N. Pio Papa II. & S. Romana Eccleſia Gubernator inclytæ civitatis noſtræ Peruſinæ cum poteſtate Legati de latere, vir religioſiſſimus, ac doctiſſimus, & eloquentiſſimus, & omnium virtutum abundantiſſimus, ad populum, & ad plebem .... proſpiciens ..... ut ſuo gregi bonum ducem adinveniret, juxta illud: Nos qui tanquam arietes ducatum gregibus præbemus, ſumma cum diligentia ducem ad idoneam verbi Dei adminiſtrationem adinvenire curavit .... Oculos ſuos ad religioſiſſimum, & facundiſſimum, & noſtra ætate eruditiſſimum Fr. Michaelem de Mediolano Ord. Min. de Obſervantia direxit, maxima cum ſua impenſa e longiſſimis partibus, Apoſtolica, ac ſua auctoritate, venire juſſit .... Atque reſpectum ad utilitatem animarum ſimul, & corporum civitatis intentus ...... vinculum excommunicationis, quo quaſi omnes impetiti erant propter Judæorum privilegia, auferre diligentiſſime curavit. Suis igitur perſuaſionibus, conſiliis, ac rationibus, ac facundiſſimis, & excellentiſſimis prædicationibus adeo hanc civitatem commovit, quod omnes una voce, & uno ſermone privilegia Hebræis conceſſa revocaverunt. Statutum, ac laudabilem proviſionem fecerunt, ut a tali lepra, qua per tot annos maculati erant, mundarentur, unde laudabiliter, & ſapienter Communitas Peruſina prædicta Judæorum privilegia revocavit.* Id quidem Menſe Aprili an. 1462. ab eodem Fr. Michaele actum teſtatur Pompejus Pellinus Peruſinæ Hiſtoriæ parte 2.

4. Hoc primo ſtatuto deleto,

Digitized by Google

novum de erigendo Monte propoſitum fuit. Cum vero in hoc opus miniſtri inveniendi eſſent, qui collectas pecunias diſtribuerent, pignora cuſtodirent, aliæque impenſæ librorum, locationis domus &c. faciendæ eſſent, æquum fuit, ut in hos ſumtus, ac miniſtrorum ſalarium, certum aliquid ſolveretur ab illis ipſis pauperibus, in quorum gratiam ii ſumtus fierent, miniſtrique occuparentur. Id quoque ſalarium pro expenſarum, ac ſtipendiorum ratione decernendum novo ſtatuto decretum fuit. Id autem, quod non lucrum mutui, ſed mera ſumtuum, & juſti miniſtrorum ſtipendii ſolutio eſt, ne in ſuſpicionem veniret ejus uſuræ, quam vitare conſilium erat, *Reverendiſſimus Dominus Gubernator*, ſubdit idem Peruſinus Epiſcopus, *per civium decretum, tanquam juſtum, & ſanctum, & laudabile, prælibatum ſtatutum approbavit, confirmavit, & corroboravit, ut decet providum, & ſapientiſſimum Gubernatorem*. Tandem in expenſas, Epiſcopus, cui hæc deliberatio reſervata fuit, cum præſidentibus civitatis *ſtatuit, ut acciperetur pro ſingulo floreno unus ſextenus pro quolibet menſe; qui ſexteni in fine anni ſimul coacervati veriſimiliter poſſunt aſcendere ad congruam ſatisfactionem, & competentem recompenſationem operarum, induſtriæ, periculi, laborum, & penſionis domus, & cujuslibet alterius intereſſe dictorum deputatorum*; ut legitur in Conſilio Collegii Peruſini.

CAP. II.

Quæſtio vehemens de augmento ſupra ſortem a Montibus exacto. Hinc, & hinc pugnatum. Tandem definita. Quæ acceſſio, & quatenus approbata. Ad titulum damni emergentis pertinet.

5. Hoc primum Montis exemplar, etſi maxime ſalutare, reprehenſores tamen non paucos invenit, a quibus magnæ etiam turbæ excitatæ fuerunt. Adeo ea ætate Catholici ab uſura abhorrebant, ut vel hoc opus ab uſura alienum ob quandam lucri uſurarii ſpeciem multos turbavit. Pro vindicando autem hoc ſancto, & pio opere multi ſtatim ſcripſere, ac inter ceteros Joannes de Nobilibus de Monte Sperello, & Benedictus de Benedictis publici Profeſſores Peruſini. Cum tamen turbæ non plane acquieſcerent, ipſe Jacobus de Cortona Epiſcopus Peruſinus paſtorale ſcriptum edidit, quo ſtatutum ab omni uſuræ nota luculentiſſime vindicavit. Tum vero, inſtante S. Jacobo de Marchia Ordin. Minorum de Obſervan., Conſilium Doctorum utriuſque Juris Collegii Peruſini an. 1464. Menſe Februario in ejuſdem Montis defenſionem editum fuit, quod in memorato Feltrenſi codice legitur. Ne quis vero amplius poſſet ambigere, Romanæ Sedis approbatio petita fuit. Spoponderat illam Pius II., ut memoratus Epiſcopus Peruſinus narrat. Sed eo paullo poſt vita functo, Paullus II. an. 1467. promiſſum implevit. Hæc prima Montium Pietatis approbatio videtur, quam Apoſtolica Sedes proprio nomine dedit, uti ſane prima omnium in literis Innocentii VIII. pro Monte Pietatis Mantuæ, & in Lateranenſi Generali Concilio Seſſ. 10. recenſetur. Id autem ea de cauſſa dico, quia a nonnullis probatio quædam Montis Urbeventani a Pio II. an. 1464. edita traditur, quæ tamen non expreſſis ejuſdem Pontificis literis, ſed per Epiſcopum Cardinalem Hoſtienſem S. R. E. Camerarium ſignificata fuit, ut ex ſequentibus memorati codicis verbis colligere licet.

COPIA MONTIS URBIS VETERIS.

Infraſcripta ſunt capitula exhibita in Camera Apoſtolica per eximium

mium Illi Doctorem D. Sanctum de Gualtiis Oratorem Communitatis Urbeventanæ ad S. S. D. N. & Cameram Apoſtolicam, ſuper Monte Chriſti noviſſime in civitate Urbeventana facto, & inſtituto pro commoditate pauperum civium ejuſdem, confirmata, & approbata per Reverendiſſimum in Chriſto Patrem & D. D. G. miſeratione divina Epiſcopum Hoſtienſem Cardinalem Rothomagenſem Domini Papę Camerarium, de mandato ejuſdem S. S. D. N. ſuper hoc viva vocis oraculo ſibi facto, ac auctoritate ſui Camerariatus officio, nec non ex conſilio, & aſſenſu R. R. in Chriſto Patrum Cameræ prædictæ Præſidentium, & Clericorum, ut jacet de verbo ad verbum. Et primo &c. Mons Chriſti &c. Mons hic Urbeventanus, *Mons Chriſti* appellatus, ſicut alii deinceps, ad Peruſini formam erectus fuit: ſed prima idea Peruſino referenda, ſicut & Hermolao Barbaro Epiſcopo Veronenſi, auctore Fr. Michaele Mediolanenſi, jam inde ab an. 1462. primum conſilium.

6. Cum tamen hæc nova inſtitutio pluribus in locis propagata plures contradictores nacta eſſet, multa multorum conſilia undequaque a præclariſſimis viris pro Montium defenſione ſcripta fuerunt. Antonius Corſetus de Sicilia pro Monte Patavino ſcribens Menſe Septembri an. 1493. *In hoc caſu*, inquit, *emanarunt XXXVI. conſilia famoſiſſimorum Doctorum conſulentium in favorem Montium:* quorum aliqua celebrium Magiſtrorum, alia Collegiorum, ac Univerſitatum ſunt. Ex his quædam in memorato codice invenire licet, quorum Catalogum in lectorum gratiam hic appendo.

Magiſtri Joannis Nannis Viterbienſis Ordinis Prædicatorum ad Barotium Epiſcopum Patavinum Quæſtiones duæ diſputatæ ſuper mutuo Judaico. & civili, & Divino, ſcripta die 8. Maii an. 1492.

Dominici de Imola Ordinis Prædicatorum Epiſcopi Liddenſis, & Suffraganei Parmenſis Conſilium.

Magiſtri Gratiani Brixienſis Ordinis Min. Provinciæ Romanæ Miniſtri Conſilium.

Fratris Baptiſtæ Mantuani Carmelitæ Sacræ Theologiæ profeſſoris, ac Bononiæ Regentis Conſilium, Fratri Petro Senenſi Ordinis Minorum de Obſervantia inſcriptum die 20. Septembris an. 1485.

Magiſtri Gometii Ulyſſiponenſis Ordinis Minorum Conſilium.

Collegii Doctorum utriuſque juris Civitatis Peruſinæ Conſilium, exaratum, & ordinatum a Domino Bagliono de Monte Ubiano Menſe Februarii an. 1464. ad inſtantiam Fr. Jacobi de Monte Brandone, alias Fratris Jacobi della Marca Ordinis Minorum de Obſervantia, cum ſolemni ſubſcriptione.

Sacri Collegii Patavini Conſilium pro Monte Pietatis Padua, cum ſolemni ſubſcriptione.

Joannis Baptiſtæ Boſſelli J. U. D. & publici Patavini Profeſſoris Conſilium pro eodem Monte Patavino.

Joannis de Campegio Bononienſis J. U. D. Conciſtorialis Advocati, & publici Patavini Profeſſoris Conſilium pro eodem Monte.

D. Jacobi de Cortona Epiſcopi Peruſini J. U. D., & S. S. D. N. Papæ Referendarii primum Conſilium pro Monte Pietatis Peruſino Mſ. membranaceum.

Antonii Corteti de Sicilia publici Patavini Profeſſoris Conſilium pro Monte Pietatis Patavino, ſcriptum die XV. Septembris an. 1493.

Collegii Doctorum Placentiæ Conſilium pro Monte Pietatis Placentino inſtituto a Fr. Bernardino, Feltrenſi die 12. Septembris an. 1490. manuſcriptum. cum ſolemni, & authentica ſubſcriptione.

Bartholomęi de Subjactis Peruſini J. U. D. Conſilium Mſ. pro Monte Pietatis Peruſino.

Fr. Philippi de Rotingo Mantuani

Digitized by Google

ani Ordinis Min. de Obſerv. Apologia Montis Pietatis Mantuani, Illuſtriſ. ac Reverendiſ. Ludovico de Gonzaga Marchioni, & Electo Mantuano inſcripta XIII. Kal. Februar. an. 1493.

In hac Apologia Fr. Philippi memoratur *Apologia ejuſdem Montis ſcripta anno ſuperiori* 1492. *ad Epiſcopum Patavinum a Fr. Ludovico a Turre Veronenſi.*

Capitoli Mſ. per il Monte di Pietà di Mantova, con ſolenne ſottoſcrizione, fatti il primo d'Ottobre dell' anno 1484.

Capitoli Mſ. per il Monte di Orvieto.

Fr. Angeli de Clavaſio Ord. Min. Conſilium Mſ. pro Monte Dotium Florentiæ.

Fr. Iſidori Peruſini brevis ſubſcriptio pro Montibus Pietatis manu propria.

Fr. Hieronymi Tornielli Conſilium pro Montibus Pietatis ſcriptum manu propria.

7. His Doctorum conſiliis acceſſit aliorum confirmatio Pontificum, Sixti IV. pro Monte Viterbienſi an. 1472. 18. Maii, & pro Savonenſi an. 1479. 4. Julii, Innocentii VIII. pro Mantuano an. 1486. die 7. Decembris, pro Cæſenate an. 1488. 10. Martii, & pro Parmenſi eodem anno 23. Maii. In Lateranenſi Concilio an. 1515. Seſſ. 10. memorantur præterea Alexander VI., & Julius II., ut ne tamen tempus, aut civitates, quibus horum literæ datæ fuerint, notentur. Wadingus ad an. 1474. Alexandro VI. tribuit Bullam pro Monte Patavino an. 1493.

8. Poſt tantam approbationem incredibile videtur, nonnullos, ceteroquin Catholicos, auſos adhuc fuiſſe Montes Pietatis impugnare, adeo ut illos non *pietatis*, ſed *impietatis montes* nuncupandos crediderint. Maxima contentio in erectione Montis Mantuani excitata adhuc poſt Bullam Innocentii VIII. Verum Thomas a Vio Cajetanus, qui poſtea fuit Cardinalis, in Opuſculo, quod in caſu Mantuano an. 1498. Papiæ edidit inſcriptum *de Monte Pietatis*, cauſſam affert c. 15., quod nimirum Bulla Innocentii VIII. vulgata fuerit detractis vocibus *ſacris Canonibus non contraria*, quibus declarari ait, in capitulis Montis Pietatis probatum a S. Sede id ſolum, quod ſacris Canonibus nequaquam opponitur. Opponi autem Canonibus ſacris credebatur quodcunque augmentum ſupra ſortem, quocunque nomine, etiam expenſarum, & ſtipendii, exigeretur. Sed hæc lis in Lateranenſi Concilio definita fuit ſeſſ. 10., ubi Leo X. poſtquam utriuſque partis Theologos commendavit, alios *a juſtitiæ zelo, ne vorago aperiretur uſurarum*, alios vero *a pietatis, & veritatis amore, ut pauperibus ſubveniretur*; tandem veritati cauſſam adjudicans, declaravit licere *aliquid moderatum, ad ſolas miniſtrorum expenſas, & aliarum rerum ad illorum conſervationem, ut præfertur, pertinentium, pro eorum indemnitate duntaxat, ultra ſortem, abſque lucro eorundem Montium, ſuſcipere*. Cui definitioni, uno Tranenſi Archiepiſcopo meram facti exceptionem opponente, quod experientia hoſce Montes *plus damnoſos, quam utiles* crederet, ceteri omnes Patres ad unum aſſenſi ſunt. Itaque hæc ſupra ſortem acceſſio, non pecuniæ mutuo traditæ, nec Montis lucrum habenda eſt, quo caſu in uſuram recideret; ſed merum miniſtrorum ſtipendium, & reliquorum ſumtuum reſtauratio eſt, ac veri damni emergentis titulo ab iis juſtiſſime exigitur, quorum gratia hæc ſtipendia, & impenſæ ſolvenda ſunt. Neque enim hoc onere gravandus Mons ipſe, ſi nihil habeat redditus annui, qui in hoc opus relictum fuerit, ut laudatum Concilium deſideravit; ſecus in his impenſis ſolvendis ſenſim diſſiparetur pecunia ipſa, quæ pauperibus ſublevandis collata fuit, & pium hoc-

Digitized by Google

hocce opus paucis annis cum ipſo Monte interiret, non ſine maximo eorundem pauperum damno. qui ne moderatum ſtipendium pro miniſtris, & expenſis Montium ſolverent, ad immenſas uſuras ſolvendas deſtructo Monte redire cogerentur.

9. Hoc unum igitur miniſtrorum, & ſumtuum neceſſariorum pretium, ac propterea ſolius damni emergentis titulus a Lateranenſi Concilio, & Romanis Pontificibus probatus agnoſcitur. Idipſum in conſequentibus Romanæ Sedis literis perpetuo ſervatum; unde Leo X. in Bulla diei 25. Maji an. 1520. pro Monte Ferrariæ *menſtruum denarium pro ſingula libra*, ab iis, qui mutuas pecunias acciperent, exigendum permiſit, *in ſalarium officialium, & miniſtrorum dicti Montis, ac alias expenſas pro illius conſervatione neceſſarias*, modo ne quid *in ſortem* ipſius Montis augendam converteretur. Hinc ſi ex auctione illa, quæcunque ſupra ſortem exigatur, ſolutis ſalariis, & expenſis omnibus, ſuperſit aliquid; id non in auctionem pecuniæ ipſius Montis conferendum eſt, ſed reſtituendum, ſi fieri poſſit, pro rata mutuatariis, vel in pauperum eleemoſynas convertendum: quemadmodum pleraque memorata Conſilia, ac Innocentii VIII. Bulla pro Monte Mantuano ſtatuit, & praxis ipſa Montium induxit, ac ſervat; unde hac noſtra in civitate ſuperfluum lucrum pauperibus in ſingulas urbis Parochias diſpenſandum antiqua conſuetudine erogatur.

10. Extat nihilominus Magiſtri Joannis Nannis Viterbienſis Ordinis Prædicatorum Opuſculum ad Epiſcopum Patavinum Petrum Barotium an. 1492., ubi citra uſuræ vitium licere contendit, ſupercreſcens lucrum in ſortem Montis augendum convertere, propterea quod id non in mutuantium lucrum, ſed in ipſorum pauperum commodum cedat, qui ſibi hac via capitale in futuras neceſſitates augent. Id autem ſi de augmento ſupra æſtimationem expenſarum conſulto exigendo ſermo ſit, ut nonnullibi factum idem auctor indicat, nemini probari poterit, cum ad opus hoc, quantumvis pium, vi mutui exigere quod indebitum eſt, nequaquam liceat. At ſi ſermo ſit de augmento jam exacto, vel ſupercreſcente, quod ipſis mutuatariis haud facile reſtitui poſſit; cum in pauperes, aut aliud pium opus ſit referendum; ipſe Mons Pietatis loco pauperis haberi poterit: unde Sixtus V. an. 1588. in Breve pro Monte Pietatis Bergomenſi conceſſit, ut quod ſupra expenſas ad id tempus exceſſerat, aut deinceps excederet, eidem Monti, qui pecunia in pauperum ſubſidium indigebat, applicaretur. Simile quiddam conceſſum pariter leges a Clemente X. pro Monte Ferrarienſi. Vide documentum 5., & 7.

CAP. III.

In neceſſitatibus Montium Pietatis approbatum fuit, pecuniam ibidem utiliter collocari ab illis, qui verum lucri ceſſantis titulum haberent, ac meram ejus reſtaurationem exigerent.

§. I.

De invenienda in Montium neceſſitatibus pecunia ab iis, qui lucrum ceſſans vere patiuntur. Hic modus ſubveniendi neceſſitatibus cum augmento ſupra ſortem in mutuo, citra uſuram, ab Eccleſia approbatus.

11. VErum pecunia liberalitate fidelium in hunc pium uſum, ac in inſtitutione ipſorum Montium ab initio donata, ſeu poſterius etiam relicta, & aucta, pro pauperum, qui pecunia indigebant, multitudine, in magnis præſertim civitatibus, pauca fuit, quæ nonniſi pauciſſimis, & modica quidem ſum-

Digitized by Google

ſumma indigentibus ſufficeret. Alii plures hoc ſubſidio nihil adjuti, adhuc ad Hebræos, vel alios fœneratores debebant confugere, a quibus immenſis uſuris gravabantur. His autem ut civitates ſuccurrerent, Montium pecuniam augendam eſſe viderunt. Sed cum non eſſent qui tantam ſummam dono, vel gratis vellent tradere; pecunioſi homines cum eodem moderato lucro quatuor, quinque, vel ſex pro centenario, ſatis nummorum apud Montem deponendum conſenſerunt. Romana Sedes interrogata a pluribus civitatibus invenitur, nec tamen id licere reſpondit, niſi ſolis iis civibus, qui pecuniam vel in negotio haberent fructuoſam, vel in emtionem prædiorum, aut domorum, quorum eſſet & parata occaſio, & emendi voluntas, impenſuri eſſent; hi enim, ſi charitate in pauperes commoti, voluntatem mutarent, & in eorum gratiam pecuniam a negotio extraherent, vel ab emtione prædiorum &c. ſubducerent, licite poſſent illam acceſſionem ſupra ſortem a Monte, ſeu a pauperibus ipſis exigere, dum non major eſſet, ſed potius minor, quam lucrum, quod ſive ex negotio, ſive ex prædiis emendis proditurum probabiliter exiſtimetur. Hæc patebunt ex Apoſtolicis literis Paulli III. pro Mutinenſi Monte datis die 22. Jun. an. 1542., nec non ex aliis Julii III. pro Monte Vicentiæ datis die 8. Januarii an. 1555., ac tandem ex ſimilibus Pii IV. pro Veronenſi Monte 13. Jan. 1563., quas ad verbum ſubjiciemus inter Monumenta num. 1. 3. & 4. Non aliis igitur licere per Romanam Sedem agnitum fuit aliquid ſupra ſortem accipere ob pecuniam apud Montem depoſitam, niſi iis, qui *eam alias, ut prafertur, in bonorum ſtabilium, aut aliarum rerum, vel mercium emtiones, ex quibus majora lucra habere potuiſſent, expoſituri fuiſſent*, ut loquitur Paullus III.; ſeu, ut Julius III., & ex eo Pius IV. loquuntur, qui *charitatis zelo adducti, ac pro pauperum ſubventione, non fœnerandi animo*, pecunias deponunt eo tempore, *quando merces paratas, ac prædia ad emendum parata haberent, ex quorum redditu quatuor, & ultra pro centenario percipere poſſent*. Itaque ſolum lucrum vere ceſſans, quod hiſce in caſibus intervenit, titulus juſtus agnitus eſt, præterea nullus.

12. Enimvero Veronenſes concives mei jam ante medium ſeculum XVI. ſine hoc titulo pecuniam etiam * otioſam apud Montem cum lucro deponebant; idque ne in uſuræ ſuſpicionem veniret, * indultum Apoſtolicum hac ſuper re conceſſum falſo rumore ferebatur. Hoc ut acceperunt Vicentini, in maximis ſui Montis, ac pauperum anguſtiis, par ſtatutum condidere an. 1547., ſimileque indultum ab Apoſtolica Sede flagitarunt. At hæc non aliud, niſi lucrum ceſſans probare potuit, ut ex indicatis Julii III. literis conſtat. Sub hoc tempus, & hoc forte documento, Veronæ ſacri concionatores memoratum otioſæ pecuniæ lucrum uſuræ damnarunt, abuſumque de medio tollendum palam proclamarunt. Ad hæc inhorruit tota civitas; & ab eadem mox quinque præſtantiſſimi cives, in utroque jure periti, fuerunt delecti, qui de re univerſa cognoſcerent. Cumque hi nulla ratione fœnus a ſupradictis depoſitis ablegari poſſe retuliſſent; nullo Theologo, Confeſſario nullo reclamante (tum enim purior moralis Theologia vulgo obtinebat, nec tot cavilli ad excuſandas uſuras adhuc inventi fuerant, quot noſtra ætate diſſeminatos novimus) ſtatim civitas in eandem Vicentini Montis rationem a Sede Apoſtolica approbatam, ab iis ſolis, qui lucrum vere ceſſans paterentur, pecuniam iiſdem cautionibus in Monte deponendam ſanxit; & in hoc ipſo, ne quid erroris obreperet, Pii IV. confirmationem rogavit. Ita majores no-

* Pius IV. monument. 4.

* Vide monument. 2.

noſtri in cauſſa uſurarum ſeſe geſſere. Hic autem Pontifex rem totam commiſit Veronenſi Epiſcopo; cumque tum Navagerius Cardinalis nuper electus Epiſcopus Veronenſis, Apoſtolicus Legatus ad Tridentinam Synodum acceſſiſſet, eadem ſuper re Tridentinos Patres, atque Theologos conſulendos putavit, ut ſi quod forte facilius, atque præſentiſſimæ neceſſitati commodius præſto eſſet remedium, indicaretur. Nihil dubitandum, quin ſapientiſſimus æque, ac prudentiſſimus Cardinalis omnia egerit; & ſi licere potuiſſet ex hujuſmodi depoſitis ſine memorato lucri ceſſantis titulo lucrari, & ita civium neceſſitatibus conſulere, id profecto a Patribus, ac Theologis concedendum obtinuiſſet. At re pluribus licet in Congregationibus mature diſcuſſa, non alius, niſi lucri ceſſantis titulus excuſare poſſe inventus fuit; unde hæc regula tantum ex pluribus eorundem Conſiliis præſcribi potuit, ut *qui pecuniam haberent paratam, & aut prædia, aut mercem, aut aliquid hujuſmodi ſimiliter in promtu, in qua paris, aut etiam majoris cum liciti lucri ſpe eam revera collocare ſtatuiſſent, charitate erga pauperes moti, ſive etiam a Mag. Gubernatoribus Montis, vel aliis probis viris invitati, mutato conſilio, eodem, ac minori etiam ſuo certo cum lucro, eam apud Montem depoſitam, uſibus pauperum mallent inſervire*. Id plane in eandem laudatorum Pontificum ſententiam, qui ſi alium lucri titulum crediđiſſent juſtum, eum, in tantis præſertim anguſtiis, indicare, & permittere non prætermiſſent.

Regula Tridentinorum Patrum, ac Theologorum conſilio edita.

§. II.

Quinque conditiones in monumentis Eccleſiaſticis pro Montibus Pietatis requiſita ad titulum lucri ceſſantis. De exprimendo in ſcriptis tabulis hoc titulo.

13. IN his autem omnibus monumentis, ad lucri ceſſantis titulum, ut juſtus, & verus, ac legitimus habeatur, qui uſuram, & uſurarium animum excludat, quinque conditiones requiri obſervo, quæ ſanioris Theologiæ, ac optimorum Theologorum principiis maxime congruunt. Primo prædia, vel merces, in quæ pecunia utiliter conferatur, *promta* moraliter, ac *parata* eſſe debent: *moraliter* autem paratum id ego intelligo, quod etſi actu promtum non eſt, quamcitius tamen mutui tempore superventurum certo moraliter creditur. Id autem ad lucrum vere ceſſans requiritur. Si enim ſolum quis negotiari poſſet, vel prædia emere, at nunc emendi, vel negotiandi occaſionem moraliter *promtam*, & *paratam* non habeat; ſicut lucrum hoc caſu eſt tantum poſſibile, non autem probabile; ita lucrum ejuſmodi interceptum non eſt vere *ceſſans* (neque enim ex poſſibili, ſed ex promto, & probabili lucro intercepto *lucrum* vere *ceſſare* dicitur, & intelligitur) ſolum autem ceſſans lucrum, atque probabile ſicut reſtituendum eſt in furto, atque rapina, non autem lucrum poſſibile, vel ceſſabile; ita in mutuo juſte ſolvendum exigi poteſt. Præclare admodum Jacobus de Fieux Epiſcopus Tullenſis in Inſtructione paſtorali de Uſuris edita an. 1679. c. 6. ſcripſit: *Il faut que ce gain ſoit moralement aſſûré; car il eſt injuſte de faire une compenſation*

Quinque conditiones lucri ceſſantis.

Prima.

Digitized by Google

certaine d' un domage incertain. Id-eſt: *Oportet lucrum ſit moraliter certum, injuſtum enim eſt incerti damni certam compenſationem exigere*. Et Henricus de Biſsy ejus ſucceſſor, & poſtea Cardinalis celeberrimus, in Epiſtola manuſcripta, quam accuratiori calamo ſcripſit circa lucrum ceſſans, & damnum emergens, hæc præmonuit: *Il ne ſeuffit pas qu' il puiſſe faire ſouffrir un mal, il faut qu' il le faſſe ſouffrir reellement, qu' il le puiſſe cauſer la perte d' un gain probable, il faut qu' il la cauſe actuellement: parceque le dedommagement n' étant que pour tenir lieu d' un tort, qu' il fait, il ne doit pas ètre plus reel, que le dommage, ou que la perte qu' il fait ſouffrir, & on ne peut par le recevoir, quand on ne ſouffre encore aucun dommage, n' y aucune perte, ſans pecher contre les principes de la loy naturelle perfectionée par la morale Chrétienne*. Ideſt: *Haud ſufficit, aliquem poſſe damnum parere, ſed oportet reipſa pariat; aut poſſe afferre jacturam lucri probabilis, ſed oportet actu afferat: nam compenſatio, cum non gerat niſi locum damni illati, non debet eſſe magis realis, quam damnum, aut jactura, quæ ſubeunda eſt; nec ea compenſatio recipi poteſt, quando nullum damnum, aut jactura nulla ſubeatur, quin peccetur contra principia legis naturalis, quæ Chriſtiana morali perfecta fuerunt*. Lucrum vero probabile ſatis idoneum exiſtimo, dum *certo probabile* ſit. Videndum autem, ne *certo probabile* dicatur, quod valde remotum eſt; nam ipſe Molinæus, uſuræ ceteroqui patronus, in Commentario de Uſuris n. 29. hanc theſim poſuit: *Non ſufficit lucrum fuiſſe in potentia incerta, vel remota; ſed oportet fuiſſe in actu, vel in potentia certa, & propinqua*. Debet nimirum tale eſſe, quale æſtimaretur a judice in caſu furis; ita ut quod in furto æſtimabile non credatur, nec in mutuo æſtimari queat. Obſervandum etiam maxime eſt, quod Henricus de Biſſy in memorata MS. Epiſtola monuit, quoſdam divites, qui cupiditate lucri rapiuntur, proximum, & certum ſæpe putare lucrum, quod nec proximum, nec certum eſt. Ut æquum feratur judicium, non ex cupiditate, ſed ex ipſo facto, & occaſionibus, & experientia judicandum eſt. Neque prætermittam animadvertere, quod ſi quis multa pecunia abundet, quæ & ad negotiandum, & ad emenda prædia, & ad mutuum ſufficiat, cum dici nequeat ex mutuo impediri ejus lucrum, quod alia pecunia conſequi poteſt; tum in hac hypotheſi occaſio promta, quæ ex mutuo nec impedita, nec imminuta eſt, lucrum ceſſans non affert.

14. Secundo ad lucrum vere ceſſans, cum occaſione promta, ac certo probabili negotiandi, aut emendi prædia, efficax negotiandi, aut emendi voluntas conjuncta eſſe debet: ſine voluntate enim ejuſmodi ſicut nullum negotium fieret, emtio nulla, ita nullum lucrum ex quacunque promta licet occaſione rediret, quod ab ipſo mutuo interceptum juſte reſarciendum ſit. Ipſa ſcilicet voluntas, quæ deeſt, lucri ceſſantis eſt cauſſa, non autem mutuum, in quo tum ſolum, cum cauſſa eſt lucri ceſſantis, ejus reſtauratio exigi juſte poteſt. Hanc voluntatem neceſſariam ſatis indicant illa in regulis a Cardinali Navagerio ex Tridentinorum mente editis, ubi *conſilium mutatum* requiritur; quæ palam innuunt certam voluntatem, qua quis prædia, vel merces emere velit, ut id conſilium in voluntatem deponendi potius pecuniam apud Montem mutare potuerit. Secunda.

15. Idipſum confirmatur ex conditione tertia, quam omnia laudata monumenta exigunt, nimirum ut ejuſmodi homines, qui cum lucro ceſſante pecuniam apud Mon- Tertia.

tem

tem deponunt, *charitatis* (1) *zelo*, *non fœnerandi animo* ad id moveantur: quod idem eſt, ac dicere, hujuſmodi homines ita in emtionem prædii, vel mercium debere eſſe affectos, atque certos, ut vere hoc agerent, niſi charitate erga pauperes acti, ad conſilium mutandum moverentur. Itaque non eo animo conferre debent pecuniam in ſubſidium pauperum, ut hac via lucrentur quod lucrarentur in emtione mercium, vel prædii (mutuum enim ob lucrum tanquam lucrativæ negotiationis ſpecies eligeretur, quod fœneratitium omnino eſt) ſed potius eo, ut pauperibus ſuccurrant; quod niſi moveret, lucrum non ex hujuſmodi mutuatione, ſed ex emtione prædii, vel mercium citius quæreretur. Enimvero qui propoſita hinc prompta emtione prædii, vel mercium, hinc autem mutuatione in ſubſidium pauperum, cum idonea reſtauratione lucri ceſſantis, ſi mutuationem præeligentes ea charitate in pauperes non moveantur, movebuntur utilitate ipſius mutuationis; ſive quod hæc lucrandi via expeditior, & facilior judicetur, ſive quod hocce lucrum, etſi forte minus, certius tamen, & tutius eſt, ſive quod hac in mutuatione datur pecuniæ repetendæ facultas, quę in prædiorum emtione non ſuppetit, ſive alia quacunque de cauſſa, quæ in ipſius mutuantis commodum cedat. Itaque hac in hypotheſi ejuſmodi mutuatio emtioni prædiorum, vel negotiationi præfertur, atque præeligitur in proprium commodum, ac propterea hocce proprium commodum, quod lucrum, vel lucri ſpecies eſt, ex mutuo quærentes, lucrum quoddam ex mutuo quærere, & intendere dicentur, quod fœneratitium animum, & intentionem prodit. Ad hoc ergo vitium excludendum, nullum proprium mutuantis commodum, ſed ſola charitas, & ſubſidium pauperum ad eam mutuationem præeligendam, & ad emtionis prædii, vel mercium voluntatem deponendam, atque mutandam movere debet. Ita etiam non proprium commodum, nec propria voluntas mutuantis, mutatæ voluntatis, & lucri intercepti erit cauſſa, ut eſſet in primo caſu, in quo propterea reſtauratio lucri, cauſſa ipſius mutuantis intercepti, ab aliis exigi non recte poſſet; ſed unica. & vera cauſſa erit ipſe mutuatarius, cujus charitas, & pietas ad mutuationem movit, ut lucrum ejus cauſſa interceptum jure ab eodem exigatur. Hinc porro intelligitur quo jure S. Antoninus cum aliis exigat, ut quis malit pecuniam collocare in negotio, vel in emtionem prædiorum conferre, quod nimirum hac via lucrari, & lucrum intendere liceat; nec niſi charitate movente, voluntatem ejuſmodi mutet, lucrum ex mutuo vere ceſſans præſtituens. quod alibi quærere poſſet, & mallet. Hinc etiam liquet, eos, qui lucrum ceſſans legitime præferunt, quærere non debere mutuatarios, qui pecuniam cum lucro accipiant; malle enim debent alias lucrari negotiatione, vel emtione prædii &c., nec niſi charitate movente, ad mutuum dandum, & lucrum mutuo interceptum exigendum induci: ſecus mutuatarium quærens, lucrum mutui, & uſuram quærere convincitur, non autem reſtaurationem lucri ceſſantis, quæ nemini debetur, niſi illi, qui alterius gratia, & ro-

(1) In literis Paulli III. *Potius zelo charitatis, & boni operis, quam lucri aviditate*. In literis Julii III. *Charitatis zelo, ut uberius dictis pauperibus ſubveniri poſſit, ac nullatenus animo, & intentione fœnerandi, pecunias in dicto Monte* &c. Similia habes in aliis monumentis.

rogatu, lucrum, quod aliunde præmalebat, intermiſit. Hinc in memoratis documentis *preces* etiam, quæ ad mutandam voluntatem moveant, memorantur. Cautio in hoc diligens adhibenda, ne forte hujus charitatis moventis defectu lucri cupiditas moveat, & mutuum lucri cauſſa, non vero lucrum in mutuo mere reſtaurationis nomine quæratur. Qui hoc animo puri non ſunt, vereor ne apud Deum, qui intima cordis ſcrutatur, veluti uſurarii habeantur, etiamſi forte lucrum ceſſans in promtu habuerint, quo tamen rite, & recte uſi non ſunt.

Quarta.

16. Quartum, quod monumenta laudata efflagitant in lucro ceſſante, eſt, quod lucrum ex negotio, vel prædio parato futurum ſit potius majus lucro, quod in mutuo ſtatuitur, non autem futurum ſit minus. Hinc illa in literis Paulli III. *Ex quibus* (prædiis, vel mercibus) *majora lucra habere potuiſſent*; & in literis Julii III. *Ex quibus non ſolum quatuor* (uti ſolvebatur a Monte Pietatis) *ſed & quinque, & ſex, & forſan ultra pro centenario . . . percipere, & convertere poſſent*; & nihilominus *charitatis zelo . . . deponent ad rationem quatuor pro centenario*. Quæ eadem repetuntur in literis Pii IV., & Gregorii XIII. pro Veronenſi Monte. Vide etiam cautiones Cardinalis Navagerii, ex Patrum, ac Theologorum Tridentinæ Synodi ſententia, atque conſilio exaratas, quæ *parem, aut etiam majorem liciti lucri ſpem* exigunt. Quid ita? Nempe quia ſi ex mutuatione aliquid majus lucrum exigatur ſupra illud, quod ceſſare, vel interceptum creditur; illud, quod æſtimationem lucri ceſſantis ſuperat, nec in reſtaurationem lucri ceſſantis, nec ipſius lucri intercepti titulo exigi poteſt, ſed unius mutui nomine, quod uſuram manifeſtiſſimam exhibet. Hinc minor potius, quam major æſtimatio lucri ceſſantis facienda eſt, ne periculum exceſſus uſuræ periculum afferat.

Vide monument. in fine.

Cautiones pro juſte taxando lucro ceſſante.

Eadem de cauſſa, cum de lucro ceſſante futuri temporis agatur, quod incertum eſt; non tanti æſtimandum, nec taxandum in mutuo, quantum ſperatur futurum: ſemper enim lucrum futurum incertum, minori certo pretio æſtimatur, & emitur, ut in aliis liberis contractibus uſuvenit: quod ſi quis nollet in mutuo, is mutui cauſſa vellet aliquid ſupra æſtimationem juſtam, & metu mutui denegandi, mutuatarii aſſenſum exprimeret. Ex his etiam ſequitur, quod non æquale, nec ſemper idem in omni caſu lucri ceſsantis pretium in mutuo præſtitui poteſt, ex. gr. 4. 5. vel. 6. pro quolibet centenario, ſi lucrum vere ceſsans tanti non ſit; uti accidere facile poteſt ex. gr. in intercepta domorum emtione, ex qua aliquando ſolum duo, vel tres pro quolibet centenario provenisſent, pro quo lucro reſtaurando, quatuor, quinque, vel ſex exigendi non ſunt. Similiter ſi lucrum, quod mutuatione intercipitur, in annum tantum, vel biennium profecturum erat, ex. gr. in negotio, quod unico anno, vel biennio erat duraturum; non eſt exigendum in mutuo lucrum, quod ultra annum, vel biennium extendatur; alias lucrum, præter reſtaurationem lucri ceſsantis, ſolius mutui nomine, uſurarium exigetur. Obſervandum tamen hoc loco eſt, ne, ſi forte lucrum ceſsans majus ſit taxatione, quam leges, vel conſuetudines locorum præſtituunt, totum lucri ceſsantis pretium ultra ipſam taxam exigatur; quod enim hanc taxam excedit, etſi ratione lucri vere intercepti juſtum haberi poſſit, nec per ſe uſura ſit, injuſtum tamen erit quoad taxam lege, vel conſuetudine præfinitam; quemadmodum omne pretium mercium, quod alias per ſe poſset eſse juſtum, ſi tamen taxam excedat, injuſtum eſt. Hinc ſi quando lucrum ceſsans æſti-

æſtimetur octo, vel decem ducatis in centum, non licebit octo ducatos, vel decem exigere, ubi ſummum pretium, vel lege, vel conſuetudine præſtitutum, ſit tantum quinque, vel ſex.

Conditio Quinta lucri cessantis.

17. Tandem recitata Navagerii verba *liciti lucri* alius conditionis neceſſitatem nos monent, nimirum ut *licitum* ſit lucrum illud ceſſans, cujus titulo lucrum, ſeu augmentum aliquod in mutuo exigitur, quale eſt negotiationis licitæ, aut emtionis prædii lucrum. Secus vero dicendum foret, ſi quod ceſſat lucrum eſſet illicitum, uti lucrum ex contractu ſimoniaco, uſurario &c. Sicut enim in contractibus ejuſmodi jus in illicitum lucrum eſſe non poteſt; ita in reſtaurationem ejus, ſi cauſſa mutui ceſſet, exigendam jus nullum eſt. Hinc cum quis mutui cauſſa omittit alium contractum uſurarium, quod alias iniiſſet, nullus exinde juſtus lucri ceſſantis titulus exſurgit, cum lucrum ceſſans uſurarii contractus omiſſi licitum non ſit; ab eo enim uſurario lucro per ſe ceſſare quiſque ex juſtitia debet, ut ne, ſi mei cauſſa ceſſet, ejus lucri reſtauratio ex me peti juſte poſſit: ceterum uſuræ vitandæ titulus juſtus eſſe poſſet alia uſura, quæ ceſſat, quod nemo, niſi demens, dixerit. Vide Conradum Summenbart de contract. quæſt. 99. in fine.

Ratio prædictorum.

18. Ne autem hæ conditiones miræ videantur nonnullis, qui ex vulgi opinione, ac praxi potius, quam ex recta ratione, vel ſacra auctoritate contractus metiuntur, obſervandum eſt in titulo lucri ceſſantis eatenus uſuram non eſſe, quatenus lucrum eo titulo quærens, non quærit lucrum ex mutuo; quod ſi quis ex mutuo quærat, etiamſi titulus lucri ceſſantis præſto ſit, uſuram vere quærit, & intendit (ea enim definitur lucrum ex mutuo), ac propterea juſto titulo, qui ſuppetit, nihilum ſuffragante, uſurarius erit. Ut igitur qui titulum juſtum habet uſuram vitet, lucrum ex mutuo, ſeu ex pecunia, quam dedit mutuam, nec quærere, nec intendere debet, ſed tituli cauſſa. Ille autem titulo lucri ceſſantis quærit, & intendit, qui reſtaurationem ejus juſtam intendit, & quærit, nullo habito reſpectu ipſius mutui, niſi quatenus mutuum ejus lucri ceſſantis cauſſa fuit. Ut igitur recta ſit hominis hoc in titulo voluntas, non debet augmentum exigere ſupra ſortem tanquam lucrum, vel fructum pecuniæ, quam mutuam dedit, ut plerique faciunt; nec dare debet pecuniam, ut ex ea hoc lucrum percipiat; ſic enim animus uſurarius eſt, & uſura committitur. Quoties mutuum datur, per ſe gratuitum debet eſſe, & non tam ſine lucro, quam ſine ulla ſpe lucri dandum eſt, ex præcepto Evangelico, nec, niſi uſurarie, ex eo quidquam lucri quærere, vel intendere licet. Solum ſi in eo dando lucrum aliquod licitum nobis vere intercipitur; ejus reſtauratio (niſi aliud charitas poſtulet) exigi juſte poteſt, & tum in mutuo de hac reſtauratione paciſci, atque in meram ejuſmodi reſtaurationem, citra ullum mutui lucrum, certum pretium ſupra ſortem petere, & accipere licet. Quicunque ſeſe intra hos fines nequaquam continens, vel præter juſtum reſtaurationis lucri ceſſantis pretium aliquid exigat, vel illud ipſum reſtaurationis, & ceſſantis lucri pretium, non in reſtaurationem, ſed uti lucrum mutui intendat, uſurarius eſt. Hoc unum principium qui intelligit, omnes laudatæ conditiones quam ſcite, & juſte in ſacris memoratis documentis poſitæ fuerint, & ad vitandam uſuram quam neceſſariæ ſint, per ſemetipſum facile intelliget.

Defectus practici in allegantibus lucrum ceſſans.

19. Hæ porro eædem conditiones, quas ad legitimum lucri ceſſantis titulum, non ego propria auctoritate, ſed laudati Pontifices, & ratione ipſa a nobis obſervata, in

Digitized by Google

in mutuo Sacrorum Montium requirunt, peræque requiruntur in ceteris mutuis, ubi lucrum ceſſans intervenire putetur. At ſi pleræque mutuationes noſtrorum temporum ad haſce regulas exigantur, quot lucra titulo lucri ceſſantis purgata a multis, unius, vel plurium conditionum defectu, uſuraria labe infecta deregentur? Pleriſque lucrum ceſſans præferentibus, mercium, vel prędiorum emendorum *occaſio parata* non eſt, vel non ita parata, uti eſt occaſio mutui, cujus lucrum non arriperent, ſi promta eſſet mercium, vel prædiorum emendorum occaſio; arripiunt autem libentius, ne forte pecunia lucro vacet. Id nonnullis quoque negotiatoribus accidit, qui cum pecuniam in emendo ex. gr. ſerico collocare ſoleant; quibuſdam menſibus, quibus ſerici emendi, & lucrandi occaſiones non ita frequentes ſunt, pecuniam petentibus cum lucro credere non dubitant, & nihilominus titulum lucri ceſſantis ad uſuram diluendam inaniter præferunt. Aliis, quibus ſuppetit occaſio, voluntas deeſt, ſive quod de negotio, vel prædio emendo timeant, ſive quod alienare pecuniam in perpetuum nolunt, ſed ejus repetendæ poteſtatem deſiderant, quod in prædii emtione obtineri non poſſet. Pręterea Jacobus de Fieux Epiſcopus Tullenſis loco paullo ante allegato animadvertit, non paucos voluntatem efficacem præferre, qui tamen vere hanc non habent, nec pręferunt, niſi eo conſilio, ut titulum juſtum præferant lucrandi ex mutuo, quod unum animo gerunt, & ceteris contractibus anteponunt; ita ut dici hoc loco poſſit, quod alia occaſione ſcripſit S. Gregorius: *Sæpe ſibi de ſe mens ipſa mentitur*. Nonnulli, etſi emtionis mercium, vel prędii occaſionem, & voluntatem habeant, oblata tamen mutui facultate hoc libentius arripiunt, non charitate aliqua, ſed lucri certioris, vel alicujus commodi proprii cauſſa; ut Henricus de Biſſy Epiſtola MS. laudata in multis evenire obſervavit. Quot præterea ſunt, qui lucri ceſſantis nomine majus in mutuo lucrum, vel diuturnius exigunt? Quot etiam, qui, quocunque lucro ceſſante poſito, non hujus reſtaurationem intendunt, ſed ipſius pecuniæ, quæ mutuatario credita eſt, lucrum, tanquam ejus legitimum partum, & fructum ſpectant? Niſi hæc omnia vitia removeantur, lucri ceſſantis titulus ad uſuram purgandam nihil proficiet.

10. Notandum tandem ab iis, qui hunc titulum omnibus memoratis vitiis purgatum legitime præſeferunt; notandum, inquam, eſt eundem titulum & in contractu, & in ſcriptura exprimendum eſſe, ne, ſi non exprimatur, uſuram contraxiſſe, & ſcripſiſſe credantur, quod in contractus ipſius vitium, & in magnum etiam ſcandalum redire ſolet, uti laudatus Jacobus Epiſcopus Tullenſis in memorato opere cap. 5. optime monuit. In contractu quidem mutui, cum lucrum ſine mentione tituli exigitur, pecuniæ lucrum, quod per ſe uſurarium, & injuſtum eſt, exigi vulgo creditur, in quod mutuatarii conſenſus injuſte extortus, de negandi, vel repetendi fructibus agere poſſet; & neſcio, utrum de juſto titulo deinceps admonitus, jure cogi poſſit ad ſolvendam reſtaurationem, in quam non conſenſit. Quoad chirographa vero, vel ſcripturas ejuſmodi contractuum, qui in his lucrum ſine juſto titulo expreſſum legunt, ſtatim lucrum ex pecunia, ut a pluribus intenditur, ideſt uſuram, cogitare, & intelligere ſolent; idque ex plurium praxi, tot ſcripturis, & contractibus probata, licitum habent. Quod falſum, divinæque legi inimicum præjudicium in populo late vulgatum, omnes, quoad poſſumus, debemus corrigere, non autem confirmare; ac propterea ab ejuſmodi ſcri-

Scripturæ; ac tabulæ titulum juſtum exprimant.

ſcripturis uſuram præſeferentibus, vel pro uſura ſaltem acceptis, debemus abſtinere: & quando legitimus lucri ceſſantis titulus nobis præſto eſt, ad vitandum uſuram, ac uſuræ ſcandalum, hujus tituli mentio in ipſa ſcriptura fieri debet, ut quicunque legit, intelligat, uno hoc titulo aliquid ſupra ſortem exigi, quod ſine illo ex pecunia exigi non potuiſſet. Hinc illa Concilii Beneventani Provincialis XIII. an. 1056. tit. 57. de Uſuris n. 20. *Ut radicitus omnium occaſio tollatur hujuſmodi palliatorum contractuum.... diſtricte præcipimus, ut quotieſcunque juſtus adſit titulus lucri ceſſantis, vel damni emergentis ad acquirendum lucrum ex mutuo, teneantur illud exprimere in inſtrumento.* Hæc autem ſi recte ſerventur, en primum modum ſubveniendi publicis, ac privatis neceſſitatibus cum honeſto lucro, & citra uſuram; ſi nimirum ii pecuniam mutuam dent, qui lucrum vere ceſſans mutui cauſſa patientes, juſtam ejus compenſationem memoratis conditionibus exigant.

§. III.

Apoſtolicæ Paulli III. literæ pro Ferrarienſi Monte Pietatis apocryphæ demonſtrantur. De literis Apoſtolicis pro Bononienſi, ac Mutinenſi Montibus Pietatis. De indulto Apoſtolico apud Belgas de pupillaribus pecuniis in ſubſidium indigentium apud Magiſtratum collocandis in ſpeciem Montis Pietatis.

Literæ pro Monte Pietatis Ferrariæ.

Monument. 2.

21. Atqui nonnulli, ut etiam ſine quovis lucri ceſſantis titulo lucrum percipi poſſe oſtendant ex ipſa otioſa pecunia, Apoſtolicas Paulli III. literas afferunt pro Ferrariæ Monte editas die 10. Junii an. 1540., in quibus, ut ejuſdem Montis, ac pauperum neceſſitatibus provideretur, conceſſum fuit, licere quinque annuos reſpondere iis, qui ibidem deponerent pecunias, *quæ nihil utilitatis afferunt*, ideſt plane otioſas; idque ipſum pro Montibus Mutinenſi, ac Bononienſi ab Apoſtolica Sede antea conceſſum traditur. Tres ergo Apoſtolicæ literæ (ſi hæc vera ſint) lucrum ex pecunia etiam otioſa in hac graviſſima Montium cauſſa approbarunt. Apoſtolicas literas pro Monte Ferrarienſi edidit Paſqualigus in Deciſionibus moralibus Decis. 183., ſed locum, unde eas ſumſit, non indicat. Ego autem de hoc documento, quod omni traditioni, ac perpetuæ ipſius Romanæ Sedis doctrinæ adverſatur, vehementer ambigendum jam inde ab initio judicavi.

Apochriphæ.

Prima falſitatis ratio.

22. Enimvero omne quodcunque lucrum ex pecunia receptum, præſertim ex depoſitis apud Montem Pietatis, uſuram eſſe, & jure divino illicitum, omnes ſemper Pontifices, & in Decretalibus, & in Conciliis, ex certa fide, ac perpetua traditione docuerunt. Credibile ne eſt, unum Paullum III., fidei traditæ cuſtodem ſolertiſſimum, ab omnium anteceſſorum doctrina voluiſſe, aut potuiſſe diſcedere; & ita diſcedere, ut omnia anteriorum Conciliorum decreta abrogare ſe poſſe crediderit? Si ageretur de materie diſciplinæ, quæ Pontificiæ poteſtati ſubeſt, nihil difficile eſſet. At in doctrina divini, & naturalis juris, quæ ſemel definita tangi nequit, & diſpenſationi non ſubeſt, nihil tale a Paullo III., aut ab alio quocunque Pontifice, auſum ſuſpicari licet.

Ratio Secunda.

23. Acceſſit ad augendum dubium alia obſervatio, quæ cuique graviſſima videbitur. Literæ Paulli III. datæ traduntur die 10. Julii an. 1540., dum Ferrariæ Mons anguſtiis premeretur, & ſimiles literæ pro Bononienſi, ac Mutinenſi etiam Montibus traditæ ibidem dicuntur. Paucis poſt annis, dum eaſdem anguſtias pateretur Vicentiæ Mons, ad

Ju-

Julium III. Paulli immediatum ſucceſſorem ſcriptum fuit, ut lucrum ſimile otioſas pecunias deponentibus ſolvere liceret. At Julius die 8. Jan. an. 1555., ideſt poſt annos quinque, & ferme dimidio, literas dedit, quibus eos ſolos ab uſura purgavit, qui *pecunias ſuas de facili, & commode in emtionem annuorum redditu-um, ſive cenſuum licitorum, & permiſſorum, vel poſſeſſionum, ſeu prædiorum, ex quibus non ſolum quatuor, ut præfertur, ſed & quinque, & ſex, & forſan ultra pro centenario, juxta illarum partium conſuetudinem percipere, & convertere poſſent, & nihilominus charitatis zelo, ut uberius dictis pauperibus ſubveniri poſſit, ac nullatenus animo, & intentione fœnerandi, pecunias in dicto Monte poſt ipſum decretum depoſuerunt, & impoſterum deponent, quique illas accipient, ut id illis ad rationem quatuor pro centenario facere liceat*; & hoc ſolum caſu, qui lucri vere ceſſantis titulum exhibet, & meram hujus compenſationem, non autem lucrum ex mutuo illum reditum licitum approbat, dum tamen in praxi nihil admittatur, quod *ſacris Canonibus contrarium* ſit. Quid Julius III. Paulli prædeceſſoris, aut aliorum, qui ſimilia pro Mutinenſi, & Bononienſi Montibus conceſſiſſe dicuntur, liberalitate uſus non eſt, ut ſine ulla limitatione illud lucrum in pari neceſſitate permitteret? Ignoraſſe dici nequit prædeceſſorum literas tam recentes: eaſdem reprobaſſe, incredibile eſt. Itaque veriſimilius videtur, nullas fuiſſe.

Eadem ratio alio documento confirmatur.

24. Equidem anno item 1563. magnus hac in noſtra civitate tumultus excitatus fuit, quibuſdam ſacris Oratoribus uſuræ damnantibus ſimile lucrum, quod ex pecuniis apud ſacrum Montem depoſitis non pauci cives percipiebant. Delata re ad alium Pontificem Pium IV. is nihil aliud permiſit, niſi quod Julius III. Vicentinis conceſſerat, iiſdem lucri ceſſantis cautionibus adhibitis. Cum vero eo tempore celebraretur Tridentinum Concilium, cui inter ceteros Apoſtolicæ Sedis Legatos Bernardus Navagerius Cardinalis, & noſter Epiſcopus præſidebat; huic a Pontifice totum negotium, meliori, quæ videretur conditione, expediendum commiſit. Hic autem rem omni ſtudio, & diligentia curandam amplexus, *ſummorum Theologorum, & Doctorum ſacrorum Canonum, qui tunc in Concilio aderant, undique exquiſitis ſententiis &c.* aliud permitti non poſſe reſcripſit, niſi *ut qui pecuniam haberent paratam, & aut prædia, aut mercem, aut aliquid ſimiliter in promtu, in quo paris, aut etiam majoris cum liciti lucri ſpe eam revera collocare ſtatuiſſent, charitate erga pauperes moti ſeu etiam a Mag. Gubernatoribus Montis, vel aliis probis viris invitati, mutato conſilio, eodem, ac minori etiam ſuo certo cum lucro eam apud Montem depoſitam uſibus pauperum mallent inſervire*: in eandem cum Julii III. literis ſententiam. Quid? Tridenti erant plures Theologi, & Canoniſtæ Ferrarienſes, alii item e Bononia, & Mutina; nec quiſquam Paulli III., aut alterius Pontificis recentiores literas ſua ætate, eodem in negotio Montis editas, memoravit? Nonne hoc argumentum eſt vehemens, ut eas Paulli III. literas, in eam ſaltem rationem, qua editæ ſunt, commentitias eſſe credamus, quemadmodum & illas, quæ pro Monte Bononienſi, ac Mutinenſi hiſce tantum in literis allegantur?

Ratio Tertia.

25. Difficultatem etiam fecit non minimam ipſius Brevis contextus, qui præter nonnullos errores ſuo loco notandos, mutilam, aut vitiatam habet ſententiam, eo loco, ubi de otioſa pecunia agitur, ut ne reſciri poſſit, num quod detruncatum, vel corruptum eſt, ſententiam ipſam mutet, ut aliis in monumentis contingit. Quid, quod intelligi nequit, qui conciliari que-

Vide in fine Monumen. 2.

ant

Digitized by Google

ant hæc duo iiſdem literis inſerta, nimirum hæc depoſita peti a Pontificibus, ut pecuniæ major ſumma pauperibus, *abſque ulla ultra ſortem abſolutione*, ideſt abſque uſura, mutuari poſſit, & nihilominus quinque pro quolibet centenario deponentibus eſſe ſolvenda. Vel ergo fictitium eſt, inquiebam, hoc documentum, vel ſaltem vitiatum, quod ad fidem ipſi adimendam ſufficit.

Quarta ratio.

26. His itaque ſuſpicionibus ductus, Ferrariam ſcribendum curavi ad viros dignitate, & auctoritate celebres, ut harum Paulli literarum exemplar in Montis Ferrarienſis libris, vel Archivio quærerent, & ſi quid haberent huc pertinens, ad me tranſmitterent. Mutinæ etiam, & Bononiæ, ut diligentia omnis in Archiviis Montium adhiberetur, rogavi. Ferrariæ nihil authenticum invenire licuit, ſed ex ſolo libro Archivii Archiepiſcopalis inſcripto *Monte di Pietà* idem corruptum exemplar literarum, quas Paſqualigus edidit, ſine ulla authentica notatione repertum accurate deſcriptum mihi fuit a Joſepho Antenone Scalabrino, qui eidem Archivio præfectus, & antiquorum monumentorum peritiſſimus, non ignoraret ſi quid præterea Ferrariæ uſpiam exiſteret. Hoc documentum, cum opportunis, ac brevibus notis num. 2. dabitur. P. Anſelmus Bertolettus Caſſinenſis Lector, qui pro humanitate ſua ſingulari in me, ac pro optimorum ſtudiorum favore, mihi præcipuam operam commodavit, nec originale, nec exemplum ullum authenticum extare teſtatus, aliud legitimum Breve tranſmiſit Clementis X., quo ad uſuram vitandam alio longiori, ac difficili contractu neceſſitati ejuſdem Montis Ferrarienſis proviſum fuit, ut paullo poſt num. 34. exponemus. Vide documentum ſeptimum. Si Breve Paulli III. legitimum fuiſſet, moduſque providendi Montibus ex pecunia otioſa fuiſſet probatus; quid in pari, vel majori ejuſdem Montis neceſſitate non idem modus conceſſus, quid tanto plurium contractuum labore, ac circuitu opus fuiſſet?

Ratio Quinta.

27. Advenerunt porro literæ e Mutina, & Bononia, quæ ſuppoſititium eſſe Paulli III. Breve plane demonſtrarunt. E Bononia enim reſcriptum conſtanter fuit a pluribus, Montem ejus Urbis jam inde a prima inſtitutione ita fuiſſe ſemper locupletem, ut nunquam pecunia indiguerit, quam ab otioſis acciperet, nec privilegio inutili opus eidem fuiſſe. Extat præterea liber ejuſdem Montis, in quo omnes Apoſtolicæ literæ diligenter collectæ, & editæ ſunt, nec ulla ejuſmodi, neque ante, neque poſt Paullum III. invenitur. Idem mihi teſtatus eſt Illuſtriſſimus, & Reverendiſsimus Aſſiſienſis Epiſcopus Nobilis Bononienſis, qui plures annos in Hiſtoria Bononienſis Montis digerenda verſatus, quæcunque uſpiam reperire potuit, diligentiſſime collegit. Tandem certo affirmant, eum Montem ſemper ſervaſſe Decretum Lateranenſe, quo a mutuum accipientibus ſolæ expenſæ, ac ſtipendia miniſtrorum exigi permittuntur, non autem lucrum, quod in mutuantes redeat. Si ergo Bononienſis Montis Bulla nulla fuit in eam ſententiam, quæ memoratis Paulli III. literis allegatur, quis commentitias haſce literas non dignoſcat?

Literæ pro Bononienſi Monte nullæ ſuccurs.

E Mutina porro Breve quidem ejuſdem Paulli III. pro ejus Monte datum die 22. Jun. an. 1542. tranſmiſſum fuit, cujus paullo ante meminimus. Erat tum Mutina æque ac Ferraria ſub iiſdem Principibus Ateſtinis. Idem caſus Mutinenſis, & Ferrarienſis Montis præfertur. Utrobique autem eadem ſunt primæ periodi verba, quod ipſum ſatis per ſe poſterius Breve pro Ferrariæ Monte apud nonnullos aliquam ſuſpicionem movebit; at (quod præcipue obſervandum) alia, & diverſa utriuſque ſententia eſt. Neque enim Breve Mutinenſis Montis de otioſa pe-

Literæ pro Mutinenſi Monte genuinæ contrarium dicunt. Vide Monum. 1.

Digitized by Google

pecunia loquitur, ut Ferrarienſis caſus poſtularet; ſed illa potius ab omni titulo excluſa, ſolam pecuniam cum lucro ceſſante conjunctam approbat. Vide monumentum primum. Nihil evidentius ad Ferrarienſis Brevis falſitatem convincendam deſiderari poteſt. Ex duobus Brevibus, quæ in eandem ſententiam edita hìc allegantur, Bononienſe nullum unquam fuit, Mutinenſe autem, quod genuinum eſt, contrarium decernit.

28. Ne quid vero ad luculentiſſimam demonſtrationem deeſſet, reſtabat Archivia Apoſtolica conſulere, ubi originalia authentica diligenter ſervantur. Inſpecta autem Paulli III. Regeſta, diebus, & annis deſignatis, Mutinenſe Breve, quod legitimum eſt, ſtatim protulerunt diligenter deſcriptum; carent autem Brevi Ferrarienſi, quod vere miſſum non fuit. Cauſſam fingendi hujus Brevis ignoro. Forte cum ille Mons, nonnullorum negligentia, vel iniquitate pecuniis diſſipatis, ita laboraret, ut cum plurimorum damno defecerit ſub finem ſeculi XV., ut refert Marc. Antonius Guarinus Compend. Hiſt. Eccleſ. Ferrar. lib. 3. pag. 135., quidam ad damnum reparandum, ſeu alia de cauſſa, hoc Breve commenti ſunt, ut pecuniam facilius invenirent; & ut colorem, ac fucum aliquem facerent, ex Mutinenſi Brevi, quod præ oculis habuere, deſcripſerunt primam periodum. Quidquid autem id eſt, certe de falſitate, quæ tot argumentis conſtat, dubitari nequit. Hæc fuſius diſſerenda erant ad evellendam hujus Brevis auctoritatem, quæ nonneminem turbat. Stet igitur, a Romana Sede nunquam, ne in maximis quidem Montium neceſſitatibus, pecuniæ mutuo creditæ permiſſum fuiſſe lucrum, cum otioſa eſt, ſed ſolam lucri ceſſantis indemnitatem certis conditionibus ſuperius explicatis fuiſſe probatam.

29. Hìc autem non abs re erit pauca ſubjicere de Apoſtolicis literis, quas Sasboldus Epiſcopus apud Belgas circa collocationem pecuniarum pupillarium datas de viro conſulari Delphenſi accepit. Inter quæſtiones an. 1588. die 22. Sept. ab eodem Sasboldo propoſitas Apoſtolico Nuntio, & Janſonio Theologo Lovanienſi, quinta eſt de pupillorum pecuniis ad Senatum delatis, atque depoſitis, cum annuo moderato lucro, ex antiqua conſuetudine, eo *pietatis* conſilio (quemadmodum ille opinatur) inducta, ut exinde *egeſtatem patientibus* ſuccurreretur minori cum damno; pupillis autem, *dum pietati ſerviunt*, & *intereſſe verum patiuntur*, aliquid ſupra ſortem rependeretur. Audiantur ipſius Sasboldi verba: *Hac res videtur initium habuiſſe ex intuitu pietatis, qua & pupillis, & egeſtatem patientibus occurritur, dum hi a damno majori hoc modo liberantur, & illorum bona, dum pietati ſerviunt, & intereſſe verum patiuntur, ſpontanea inſuper gratia* (ſub verbo *gratia* Sasboldus propria manu ſcripſit *lucri*) *oblatione fructificant*. Speciem Montis Pietatis in hac inſtitutione videre mihi videor; nec diſſentit Nicolaus Broederſen, inquiens: *Credibile eſt tutores illos, antequam Montes Pietatis inſtituti fuerint, nonnunquam ſimilia reſpectu egentium egiſſe, qualia nunc in dictis Montibus factitantur*; & memoratum Sasboldi documentum in confirmationem allegat. Pro hac inſtitutione, & conſuetudine, quæ ab Epiſcopis, & Paſtoribus Belgis probata tradebatur, Sasboldus ſubjicit etiam Apoſtolicum indultum his verbis: *Audivi diverſo tempore a viro conſulari noſtrati haberi apud nos indultum Apoſtolicum, & Epiſcopi Ultrajectini, quod dicebat ſe ipſum in arcam repoſuiſſe Cameræ*. Si hoc Apoſtolicum indultum genuinum eſt, & non ſuppoſititium, uti Ferrarien-

Apud Nicolaum Broederſen de Uſuris l. 12. part. 2. c. 15. §. 6. n. 5. p. 1719.

Lib. 6. part. 2. c. 69. n. 105. p. 1177.

Sup. pag. 1719.

rien-

Digitized by Google

rienſe, nihil dubito, quin iis cautionibus fuerit expreſſum, quibus mera compenſatio lucri ceſſantis exprimeretur, ut in ceteris Apoſtolicis id genus monumentis conſtanter geſtum vidimus: nimirum ut pupillorum pecuniæ, quæ ex legibus Belgicis in emtionem legitimi cenſus, vel in negotiationem, aut alium contractum utilem, & honeſtum convertendæ erant a tutoribus, ſi data occaſione utilis collocationis, *pietatis intuitu* deponerentur inſtante Senatu apud aliquem in egentium ſubſidium; compenſatio ejus, quod intereſt, exigi poſſet. Non aliam pecuniæ collocationem cum lucro probare potuit in hoc pio opere Romana Sedes, quæ non aliam in ipſis Pietatis Montibus probavit: neque enim pupillares pecuniæ peculiari privilegio gaudent præ ceteris, uti conſtat ex pluribus Conciliis, & Apoſtolicis Conſtitutionibus, quæ pupillarium pecuniarum lucrum, ubi nihil interſit, æque uſuræ damnarunt. Male ergo hoc Apoſtolicum indultum ad vindicandum fœnebre otioſæ pecuniæ lucrum a nonnullis detorquetur.

CAP. IV.

Ubi titulus lucri ceſſantis defuit, duæ viæ providendi neceſſitatibus Montium Pietatis approbatæ, nimirum emtio alicujus prædii fructiferi, cum locatione, & pacto retrovendendi, ac emtio redditus añui, vel cenſus realis, cum eodem retrovendendi pacto. De horum contractuum conditionibus, & pactis licitis, vel illicitis, ac in uſurarum fraudem adjectis. De perſonali cenſu, & de cenſibus temporalibus, ac vitalitiis.

§. I.

De emtione rei fructiferæ cum locatione, vel reali cenſu, mutui loco contrahendis, ut lucrum honeſtum citra uſuram proveniat. Eccleſiaſtica documenta in neceſſitatibus Montium hoſce contractus approbantia indicantur.

30. SEd tranſeamus ad alia, & diſputationem de Pietatis Montibus proſequentes, videamus qua ratione neceſſitatibus publicis ſubventum ſit, cum non tot pecuniæ cum juſto lucri ceſſantis titulo in publicam rem deponi poſſent, quot omnium civium neceſſitatibus ſatis eſſent: quod idem eſt ac videre, num pecunioſis viris, qui otioſa pecunia potiuntur, aliquis pateat aditus, ut Montibus adhuc cum lucro, & ſine uſura ſuccurrere poſſint. Duo Eccleſiaſtica Sacrorum ejuſmodi Montium documenta duas vias aperuerunt, quæ ceteris in caſibus exemplo eſſe poterunt. Cum omne lucrum ex pecunia mutuo credita ſine juſto titulo exactum, ſit uſurarium, uti ſæpius diximus; ad uſuram vitandam, ubi titulus non adeſt, alius aliquis juſtus, & utilis contractus a mutuo diverſus eſt ineundus, ex.gr. emtio prædii fructiferi, vel legitimi cenſus rea-

Digitized by Google

realis, qui vendenti de pecunia pro neceſſitate provideat, ementi vero annuum legitimum fructum pariat. Quamvis autem Montes fere pauperes bonis ſtabilibus carent, unde per venditionem proprietatis, vel cenſus, pecuniam pauperibus communicandam ſibi comparent; hæ tamen duæ viæ, cum illi egerunt pecunia, ad vitandam uſuram per ſummam induſtriam excogitatæ fuerunt.

31. Prima via apud noſtrates Veronæ in maximis hujuſce Montis anguſtiis, Auguſtino Valerio Epiſcopo, & poſtea S. R. E. Cardinali agente, inventa fuit an. 1581. Cum enim cautiones a Navagerio ex Tridentinorum Theologorum, ac Patrum Concilio præfinitæ negligerentur a multis, qui quanquam legitimis titulis deſtituti, in pecuniæ tamen lucrum inhiantes, pecuniam apud Montem cum certo lucro depoſuerant; alias vero ſi hæ pecuniæ reſtituerentur, Montis capitale in gravem totius urbis perniciem diminuendum eſſet; tantæ rei proſpecturus ſapientiſſimus, & prudentiſſimus Epiſcopus, multorum conſultationibus, & multoties agendum vidit. Itaque *in congregatione*, inquit, *jam primum a nobis inſtituta, Pœnitentiaria nuncupata, in qua religioſi viri diverſorum ordinum, Sacra Theologia, Sacrorum Canonum, & Juriſprudentia periti, de rebus ad curam animarum pertinentibus conſulere ſolent, hoc negotium diligentiſſime, & accuratiſſime tractandum ſæpe propoſuimus; de eo ſæpius in congregatione diſputatum fuit, multa conſultationes habita: aliquot etiam conventus apud nos facti, in quibus & viri Sacra Pœnitentiaria, & optimi Juriſconſulti a civitate ad hoc delecti convenere. Rem doctiſſime, & prudentiſſime tractarunt, in omnes partes mutuo conſilio diſputaverunt, gravi judicio ponderarunt, diligentiſſimeque examinaverunt*. Inter tot & Theologorum, & Juris utriuſque peritorum totius civitatis, ac omnium ordinum, etiam laïcorum conſultationes, nemo unus, ut videtur, inventus fuit, qui licere dixerit, tantæ præſertim neceſſitatis cauſſa, Monti pecuniam per ſe ſub annuo lucro commodare: adeo hæc noſtræ tempeſtatis ſententia, ſeu potius error, ab illius temporis hominibus aberat. Nondum erant nati, qui faciliora contra totius antiquitatis fidem cogitarent, & pietatis etiam nomine (ut nonnulli loqui non verentur) pecuniam ſub hoc uſurario lucro Monti, & pauperibus dandam ſuaderent. De remedio interim neceſſitatibus Montis adhibendo varie hinc, atque hinc diſputatum fuit. Tandem *omnium ſententiarum, & conſiliorum conſenſione*, emtio, & venditio bonorum ſtabilium ipſius civitatis, eorumque conductio ſub annua penſione decreta fuit, ut ſcilicet tot ſtabilia bona venderentur a civitate per aliquem huic venditioni deſtinatum, quot neceſſitati Montis, & pauperum opus eſſet, & venderentur quidem cum pacto recuperationis, nec non cum ſubſequenti conductione ipſius civitatis, ſub penſione annua quinque ducatorum in centum, jure locati. Dein vero pecunia exinde percepta, ab eadem civitate apud Montem deponeretur, in pauperum ſubſidium, qui tamen ad reſarciendum civitatis damnum, ſui cauſſa, & charitate ſuſceptum, ut juſtiſſimum eſt, pro pecuniæ quantitate, quam accipiunt, quinos in centum ſolvere teneantur. Ita civitati quinque iſti ducati jure proveniunt titulo damni emergentis: cumque hos quinque non ſibi acquirat civitas, niſi quatenus, pauperum charitate ducta, ſua bona vendens, atque conducens, ducatis totidem annuis ſeſe ſpoliavit; id non pecuniæ lucrum vocari poteſt, ſed reſtauratio damni, quod civitas ex pietate eorundem pauperum vere ſubiit. Pecunioſi vero homines cum bona illa civitatis pro rata emerint, atque penſione annua locaverint,

Venditio, & emtio fundi, cum ſubſequenti locatione, & pacto retrovendendi.

rint, quinos illos penſionis, non uti pecuniæ lucrum, ſed tanquam redditum domus, vel prædii emti, atque locati, jure locationis percipiunt, in quo nihil uſuræ eſt, modone ſimulatum nihil ſubrepat, vel deliteſcat.

Cautiones pro vera emtione.

32. Hinc Cardinalis Valerius ejuſmodi homines diſtincte monendos, & inſtruendos cenſuit, ut ſcirent ſibi hac ratione non mutuum, ſed veram emtionem, & locationem contrahendam eſſe, animumque ſincerum eſſe oportere emendi, & locandi, uti inſtrumentum ſcripto declarabat, ita ut penſio annua, non ex pecunia, quæ fructum parere ſine uſura non poteſt, ſed ex re fructifera abs ſe emta, & locata, jure, ac legitime redeat. Itaque idem Cardinalis caute in primis agendum præcepit in ipſo emtionis contractu ineundo, ut ſcilicet *intentio ſincera, & vera, non animi aliqua fictio ultro citroque intercedat*, quod ſinceram utrinque voluntatem in unum, & idem conſentientem efflagitat, ut ad contrahendum opus eſt, ne ſi alterutrius conſenſus deſit, ipſe emtionis, & venditionis contractus infectus ſit. Tum ut pecunioſorum animum, qui uſuræ periculo ſubeſt, ab omni fictione removeat, eos ita vere emere jubet, ut ſoluto civitati pretio fundi, *ſciant ſe eſſe veros dominos rei emtæ, & ejus periculo ſubjacere, donec a Monte redimatur*. Id qui ſincere in inſtrumento conficiendo intendit, cum veram emtionem, tum locationem veram facile intendit, ita ut penſionem ex emto, & locato fundo ſibi jure acquirere, ut aliis in locationibus uſuvenit, non difficile captu ſit. Tandem, ad inducendam multo magis ſinceram hanc voluntatem, unde tot conſultationum effectus, ac licitus totius negotii modus pendet, Confeſſariorum diligentiæ committit, ut ejuſmodi pœnitentes in ipſis Sacramentalibus Confeſſionibus hac ſuper re diligenter examinarent, & interius de hac intentione ſcrutarentur; iidemque, ſi quid incidere deprehenderent, quod in animarum deceptionem, & periculum vergeret, ſalutaribus monitis curarent, ac Epiſcopum ipſum, ſi opus eſſet, de remedio apponendo commonerent.

Error practicus in inſtrumentis emtionum.

33. Hæ cautiones hodie ſuperfluæ, & irritæ habentur, quando pecuniam, etiam abſque titulo, & cum lucro annuo credere ſine ullo alio contractu licere putatur. O miſeriam, & ignorantiam noſtrorum temporum non ferendam! Nonnulli quidem pecuniam credentes, inſtrumenta emtionis, & locationis conficiunt; at præter quædam eorundem inſtrumentorum vitia, nihil emere, locare nihil, niſi forte ipſam pecuniam intendunt: eaque ſcripta inſtrumenta, non pro vera emtione, & locatione, de qua ne cogitant quidem, ſed pro majori, & publica cautione crediti, domumque, vel prædium, de quo in ſcriptura agitur, pro mera hypotheca accipiunt, ut ſit certum aliquid, unde, ſi debitor moroſior ſit, vel pecuniam creditam reſtituere non poſſit, crediti ſolutio certa fiat. Ita veri, ac legitimi contractus, magnis, multiſque laboribus, atque conſiliis bene inſtituti ad excludendas uſuras, in fictionem ſenſim dilabuntur, ita ut nunc jam uſurarum pallium ſit, quod remedium eſſe deberet. Confeſſariorum negligentiæ, quam Valerius maxime avertendam monuerat, magna ex parte hoc tribuendum eſt; quippe qui nihil jamdiu hac ſuper re, ceteroqui frequentiſſima, interrogant, nihil inſtruunt, & forte etiam opinionibus vulgaribus uſuram tegentibus favent.

De venditione, & emtione realis cenſus cum pacto retrovendendi.

34. Sed aliam viam legitimi in emtione cenſus poſitam aperiamus. Hanc autem modo quodam non diſſimili ab eo, quem in emtione fundi

di ſuperiore paragrapho deſcripſimus, ipſa Romana Sedes an. 1671. propoſuit Monti Ferrariæ, cum ad maximas anguſtias adactus, ſeu potius deſtructus, ut iterum reſtauraretur, & erigeretur, ingenti pecuniæ vi in pauperum ſubventionem indiguit. Cenſus verus, qui definitur *jus percipiendi fructus ex re fructifera*, ab illo emitur, qui non prædium, ſed jus aliquod certorum fructuum percipiendorum emit. Inter fructus autem rei fructiferæ computantur tributa, vectigalia, & prædia, quæ Principibus jure Principatus, ex portione præſertim redditmum, debentur, qui quidem fructus ex certa civitate, vel pago provenientes, ita ex fundo fructifero, & ſtabili provenire dicuntur, ſicut civitas, & pagus ipſe ſtabilis, & Principi frugifer eſt. Porro in civitate Ferrariæ liberalitate Pontificum quædam tributorum ſpecies Hoſpitali Mendicantium aſſignata quondam fuerat. Hoc jus percipiendorum ejuſmodi fructuum verus cenſus eſt, quales olim dicebantur redditus ipſi, qui a variis Chriſtiani Orbis Provinciis Romanæ Eccleſiæ quotannis ſolvebantur. Idem hoc jus, ſeu Datium, Monti Pietatis Ferrarienſi a Clemente X. communicatum fuit, ut ex eo in octingentas partes, quæ *loca montium*, appellari ſolent, diſtincto, quilibet pecunioſus, pro pecuniæ, quam offerret quantitate, tantum exinde emere poſſet, quantum ad rationem quatuor pro quolibet centenario reſponderet, addito tamen pacto recuperandi, vel retrovendendi dictum cenſum, quandocunque Monti erit poteſtas. Interim vero pecunia hac pauperibus ſub pignore collata, exigerentur ſex annui in centum, ex quibus quatuor Hoſpitali titulo damni emergentis ſolverentur, reliqui vero duo diſtribuerentur in miniſtrorum, & aliorum operum impenſas, quæ ſubſidio pauperum factæ, jure ab ipſis pauperibus ſolvendæ ſunt. Legatur Documentum ſextum.

De locis Montium.

35. Ex his ergo duo veri, ac legitimi contractus ſuppetunt, ex quibus citra uſuram, & cum honeſto lucro, aliorum neceſſitatibus, etiam extra caſum Montis, plerumque ſuccurrere licebit, ubi lucri ceſſantis, vel damni emergentis titulis deficientibus, nihil ſupra ſortem ex mutuo exigere fas eſſet. Si is, qui pecunia eget, domum aliquam, vel prædia, aliudve fructiferum habeat, cum eo emtionem (1) fundi, cum locatione, vel emtionem uſusfructus ejuſdem fundi (quæ emtio cenſus dicitur) & utramque redimibilem ad vendentis arbitrium, contrahere vir pecunioſus poterit, ita ut non ex pecunia, ſed ex fundo emto, ac locato, vel ex cenſu, annuum redditum tandiu percipiat, quoad eodem pretio a vendente redimatur. In eandem plane rationem civitates, & Principes in rei nummariæ anguſtiis neceſſitati publicæ opitulari commode poſſunt, ad Romanæ Sedis exemplum, quæ ad pares anguſtias redacta, loca Montium erigens, certa gabellarum, aut aliorum redditumm jura, cenſibus plane ſimilia, vendidit cum pacto redemtionis, ut ex pluribus Bullis liquet.

His duobus licitis contractibus ſuccurri privatis neceſſitatibus poteſt.

Immo & neceſſitatibus publicis civitatum, ac Principum.

§. II.

(1) Emtionem fundi, cum ſubſequenti locatione, cujus jure penſio annua ſolvatur, exhibet L. 75. D. *De contrahenda emt.*, ubi mentio fit illius, *qui fundum vendidit, ut eum certa mercede conductum ipſe habeat*. Similia legere eſt L. 21. D. *De action. emti* n. 4.

I I.

De neceſſariis eorundem contractuum conditionibus ad uſuram vitandam ex naturali jure. Emendum eſt aliquid fructiferum, vel uſusfructus rei fructiferæ. De neceſſaria voluntate vendendi, & emendi. Defectus practici in hac parte. De deſignando fundo, ac de emtione pro indiviſo, quatenus poſſit, vel non poſſit ſufficere. De proportione, ac juſtitia pretii. De ſcribendo contractu licito, non autem uſurario.

36. VErum pro praxi, ut uſura, ac injuſtitia in his contractibus vitetur, expreſſius hoc loco ſtatuendum puto de neceſſariis hujuſmodi emtionum conditionibus, de quibus multa diſputantur a multis: alii enim plures conditiones, alii pauciores exigunt. Pius V. efflagitat quæ a Martino V. & Callixto III. non requiruntur: nec deſunt qui non omnia ab his etiam poſtremis recenſita ad uſuram, & injuſtitiam declinandam neceſſaria velint. Eadem in emtionibus domorum, aut prædii, cum retrovenditionis pacto, ac locatione, locum habere poſſunt. Non enim omnia, quæ jure poſitivo induci poſſunt uti neceſſaria in contractibus, ne irriti ſint, jure naturæ neceſſaria ſunt: unde ubi jus illud poſitivum non obliget, vel præſcriptione abrogatum obligare deſierit, illæ poſitivi juris conditiones neceſſariæ amplius non erunt. Nunc non ſtatuo, quibus in locis vigeat, aut non vigeat poſitivum jus circa memoratas emtiones, quod ſane, ubi viget, in omnibus ſervandum eſt: ſolum de naturali jure cognoſcens, conditiones eodem jure neceſſarias inquiram, ac ſtatuam.

Emendum eſt aliquid fructiferum, aut uſusfructus rei fructiferæ.

37. Uſura, quæ definitur lucrum ex mutuo, idcirco a naturali jure abhorret, quia lucrum quærens ex mutuo, ex re infructifera fructum quærit. Duplici autem ratione quidpiam fructiferum eſt, ſive quia fructum ex ſe gignit, ut campi, animalia &c., ſive quia eſſe poteſt uſui diuturno, qui locari pretio poſſit, ut domus &c.; locationis enim penſiones inter fructus domus computantur. Porro quæ mutuo traduntur in conſumtionis uſum, neutrum fructus genus recipiunt, ut lib. V. de jure divino, & naturali circa uſuram c. 5. oſtendi; unde cum infructifera ſint, fructum ex iis quærere contra naturam eſt, & idcirco uſura hoc fructu, aut lucro definita abhorret a natura. Ad uſuram itaque, ac injuſtitiam vitandam, alius a mutuo contractus ineundus eſt, non tamen quivis, ſed frugifer, atque fecundus, quo ſcilicet res quæratur, unde fructus percipi poſſit. Hinc ſive prædium, quod ex ſe profert fructum, ſive domus, quæ uſus penſionem parit, vel quoad proprietatem, vel quoad uſumfructum ematur, aut aliquid ſimile; erit rei fructiferæ emtio, quæ citra uſuram, ac injuſtitiam, legitimum annuum lucrum domino acquiret. Hæc igitur *prima, ac maxime neceſſaria conditio eſt, ut ematur vere aliquid fructiferum, aut uſusfructus ejus.* Primum fit in emtionibus domus, vel prædii, cum pacto de retrovendendo, alterum fit in cenſibus, quibus cum jus in annuam penſionem e re fructifera percipiendum emitur, uſusfructus quidam emitur: *uſus fructus* enim *in jure .... conſiſtit*, ut dicitur L. 66. D. *De legatis, & fideicom.* n. 6.

38. Dixi *vere ematur*; neque enim ad uſuræ vitationem ſatis eſt, eum, cui pecunia creditur, prædia, aut domos, vel aliud ejuſdem generis fructiferum habere, unde legitimus fructus proveniat. Cum rei fructus domino per ſe debeantur, niſi vera contrahatur emtio, quæ rei fructiferæ directum, aut ſaltem utile dominium transferat, ejuſdem fructus credenti pecuniam Vera emtio quatenus neceſſaria.

non

Digitized by Google

non legitime provenient. Hinc non ſufficit pignus, aut hypotheca rei, quantumvis fructiferæ, ex quibus creditorem fructum percipere uſuræ crimine Sacri Canones damnant, ut vel ex titulo de pignoribus, & hypothecis videre licet. Enimvero ubi data pecunia nihil fructiferum emtum eſt, fructus, qui a creditore percipitur, non ex emto fertili fundo, ſed ex ſterili pecunia provenit, quod uſuræ propria natura eſt. Romana Sedes, quæ in omnibus rebus cunctis Chriſtianis regula eſſe deberet, ut hanc veræ emtionis, ac venditionis neceſſitatem inmueret, in erigendis Romæ aliquot Montibus, quos cenſibus ſimiles diximus, emtionis, & venditionis expreſſe meminit, & ita meminit, ut non alio jure fructum ab emtoribus percipi variis formulis palam declaret. Clemens VII. in erectione *Montis Fidei* ſuper jura Dohanæ mercium, *Hujuſmodi Dohanam*, inquit, *& gabellam mercium ... Collegio Montis Fidei* (Collegium Montis ex emtoribus conſtabat) *vendimus*. Et poſt pauca: *Cum nos eidem Collegio Montis Fidei ipſam Dohanam mercium, pretio juxta præſentis temporis qualitatem convenienti, vendiderimus; & perſonæ Collegii Montis Fidei hujuſmodi pecuniis ſuis bona fide ipſam Dohanam a Nobis emerint &c.* Quam venditionem, emtionemque adeo veram habuit Paullus III. ut per illam *eos* (emtores) *loco Cameræ*, ideſt in idem jus a Camera Apoſtolica venditum *ſubrogatos* affirmaverit. Idem Paullus III. in auctione ejuſdem Montis Fidei, ſuper alias gabellas ita veram emtionem, venditionemque contractam indicat, ut qui eaſdem gabellas conduxerant, ac adminiſtrabant, pro quantitate vendita ſeſe non Cameræ, ſed emtorum conductores, ac miniſtros gerentes, *principaliter a dicto Collegio, illiuſque perſonis conduxiſſe, & eorum nomine principaliter adminiſtrare cenſeantur*. Pius V. in erigendo Monte ſuper maſſa emolumentorum Collegii Proxenetarum, ex quibus certa quota Cameræ debebatur, per veram venditionem in emtores jus ejuſdem quotæ, ac ſummæ vere translatum explicaturus, *Dictam ſummam liberam, & integram*, inquit, *eidem Monti, & Collegio Montis ejuſmodi, ac dilectis filiis emtoribus dicti Montis ... applicamus, appropriamus, vendimus, concedimus, & aſſignamus ... Quos Montiſtas, & Collegium eorum, quoad annuum redditum ut ſupra aſſignatum, & venditum, & illius proprietatem, ſubrogamus, ponimus, & ſubſtituimus in univerſum jus, & locum noſtrum, & Succeſſorum noſtrorum Summorum Pontificum, Cameræ Apoſtolicæ &c.* Et ſimiliter Sixtus V. in erectione *Montis Pacis* ſuper jura, ac redditus Dohanæ Urbis &c. *eandem ſummam quindecim millium, & ſeptingentorum quinquaginta ſcutorum, titulo venditionis, & alienationis, eidem Monti, ejuſque Collegio uti ſingulis, & univerſis* (Montiſtis emtoribus) *perpetuo aſſignamus, ac in illos omne jus, & poteſtatem, atque auctoritatem, quam nos ipſi, & Camera Apoſtolica habemus, transferimus, ipſoſque in noſtrum, & Cameræ prædictæ locum, jus, & actionem, quoad dictam ſummam, illiuſque extractionem, & perceptionem, ponimus, & ſubrogamus*. Si ejuſmodi vere non ſint noſtræ quoque emtiones, ac venditiones; nudum venditionis, & emtionis nomen nihil proficiet.

Bul. 17. pag. 31. Bullarii primæ edit.

Bulla 33. p. 423.

Ib. p. 426.

Bul. 111. p. 1185.

Bulla *Multa & gravia* an. 1585. 4. Kal. Aug.

39. Ad veram autem ejuſmodi venditionem, & emtionem, quæ ſcilicet rei, aut uſusfructus emti dominium vere transferat, vera potiſſimum requiritur hinc vendendi, hinc emendi intentio, atque voluntas, quæ ſignificata invicem in idem conſpiret, ut eſt omnium contractuum natura. Hinc Paullus III. Conſt. 41. ad Legatum Provinciæ Marchiæ an. 1545. pridie Non. Martij

Requiritur vere hinc vendendi, hinc emendi voluntas.

Digitized by Google

Martii *annuos cenſus* ſuper immobilibus probavit, quos utrique contrahentes *emere*, & *vendere ſimiliter intendunt*. Non ſolum autem nihil fit, ſi utraque voluntas deſit, ſed etiam ſi altera. Cum enim emtio ſine venditione fieri nequeat; haud ſatis eſt alterum velle emere, ſi alter (1) vendere nolit. Hinc L. 55. D. *De obligationibus*, & *actionibus*, conſenſus utriuſque partis neceſſarius adſtruitur; & L. 57. ejuſdem tituli *nihil valere*, *quod actum eſt*, affirmatur, *ſi aliud ſentiat*, *qui emit*, *aut qui conducit*, *aliud qui cum his contrahit*, *aliud alio exiſtimante*. Hoc ex defectu plures, ut monuimus, noſtrorum hominum contractus laborant. Etſi enim emtionem prædii, vel cenſus quædam inſtrumenta præferant; cum tamen emendi, & vendendi voluntas deſit; nec emtio prædii, nec cenſus emtio vere fit, quæ ſine emendi, ac vendendi voluntate ſtare non poſſunt. Plerique, cum hæc aguntur, ab emendi voluntate alieni, nihil aliud volunt, niſi lucrari ex pecunia, ſcriptumque inſtrumentum pro mera crediti hypotheca, obligatione, & cautione accipiunt, uti ſuo quoque tempore a pluribus interrogatis ſe didiciſſe teſtatur P. Vincentius Giacarus, qui hoc ſuper contractu (2) Opuſculum pro Veronenſibus edidit. Neque ſufficeret, emtores velle emere, ſi qui pecuniam quærunt, vendere nolint. Fere autem nolunt, ut ſæpius interrogati reſponderunt; & ſolam cautionem, ac hypothecam inſtrumento exigi putant. Neque refert, quod ignorantia, aut inadvertentia id eveniat. Quicunque enim, vel idiotæ, quid ſit emere, & vendere, quid hypotheca, ſeu, ut vulgo appellatur, quid pignus ſit, ex aliis practicis contractibus ſatis intelligunt: unde ſi hoc in contractu ſolam cautionem, & obligationem pignoris, & hypothecæ propriam, non autem emtionem, aut venditionem memorant, ut in veris emtionibus, & venditionibus ſolent; id non præter intentionem ex imperitia, aut lapſu loquendi accidit, ſed quia veram emendi, aut vendendi voluntatem non gerunt. Potius hæc voluntas multis deeſt, quia licitum putantes lucrari ex pecunia, emtionem, & venditionem neceſſariam neſciunt. Interim tamen quandiu hinc vera emendi, & hinc vendendi voluntas non concurrat; quacunque ex cauſſa, etiam ignorantiæ, non concurrat, deficiente utriuſque, vel alterius conſenſu, emtio vera non fiet, & ita lucrum non ex re emta, ſed ex pecunia proveniens, uſurarium erit. Romani hypothecas prędiorum, vel domuum creditoribus ſubiiciebant, immo & quandoque etiam tradebant, ea conditione, ut quando reddetur pecunia, prædium, aut domus reddatur. Cum tamen mera hypotheca, non autem vera emtio fieret, lucrumque non ex emto, ſed ex pecunia mutua illi percipere intenderent; hic contractus, *antichriſeos* appellatus, vulgo *dar a godere*, uſurarius habitus ſemper fuit, & a (3) Pontificibus, at-

Defectus practicus corrigendus.

(1) Vide in hoc obſervationes Bartholomæi Cepollæ *De ſimulatis contractibus* n. 146.

(2) Inſertum eſt *Opuſculis* ejuſdem editis Venetiis an. 1538. ex officina Lucæ Antonii Juntæ, & huic Opuſculo *de contractu livellario* præmittitur Epiſtola ad Veronenſes, qua in eorum gratiam ſe ſcripſiſſe prodit.

(3) Vide Concilium Turonicum an. 1162., cui præfuit Alexander III. c. 2., & tit. Decretalium de pignoribus, & hypothecis &c. *Fiducia*, quam ſœ-

Digitized by Google

que Conciliis uſurę damnatus. Quid autem alias ſentiamus de noſtris hominibus, quibus alia voluntas, ac intentio non eſt? Inſtrumentum ſcriptum nihil juvat, ſi eam, quæ ſcribitur, emtionem, aut venditionem homines nolunt. Poſſent fortaſſis velle quod ſcribitur, etſi non intelligant, ſi meræ hypothecæ, aut cautionis vim, id, quod ſcribitur, habere non crederent. At cum meram hypothecam, aut cautionem hoc ſcriptum putent, & aliunde velint lucrari, aut dare lucrum ex pecunia; eorum voluntas ab emtione, & venditione, etiam implicita, longiſſime abeſt. Solum ſi monerentur, licitum contractum alias fieri non poſſe, voluntatem emendi, aut vendendi fortaſſis inducerent. At hæc voluntas conditionata, quę actu, nec expreſſe, nec implicite adeſt, nihil in præſentiarum operatur, nec ad emtionem, aut venditionem actu contrahendam conferre poteſt. Jure igitur non ſolum Valerius Veronenſis Epiſcopus antea memoratus, ſed & Paleottus Cardinalis Archiepiſcopus Bononienſis in Inſtructione ad Confeſſarios de contractu emtionis cum pacto retrovendendi edita an. 1587. hoc præ-

fœneratores vocabant, uſuræque damnat S. Ambroſius de Tobia c. 12., antichriſeos ſpecies fuit. Etſi quidem alia ſignificatione indicarint veram emtionem cum pacto retrovendendi, ut ex Boetio Salmaſius colligit *De Modo uſur.* c. 14. p. 500., non pro emtione, ſed pro hypotheca habebatur ab iis, qui *fiducia* nomine uſuram tegentes, fructus non ex emto fundo, ſed ex pecunia quærebant. Inter multos tamen antiquorum contractus, qui *fiduciam* pro hypotheca proferre videntur, non pauci, præſertim inter Eccleſiaſticos initi, eam *fiduciam* fortaſſis continebant, quæ emtionem cum retrovenditionis pacto ſignificat, ita ut ex emto fructus perciperentur. Redimendi nomen, quod in nonnullis id genus documentis legitur, hoc ſatis indicat: neque enim redimi poteſt, niſi quod antea venditum fuit. Venditionem autem potius uſusfructus, aut cenſus, quam fundi initam arbitror: nam fundus *pignoratus* fere dicitur, quod cenſibus congruit, in quibus ſolo uſufructu vendito, fundus uſuifructui obligatus, & oppignoratus dici ſolet. In Diplomate Friderici I. an. 1171. apud Cheapeavillum t. 2. de geſtis Pontif. Leodien. p. 120., quædam villa *oppignorata* dicitur Leodienſi Epiſcopo pro marcis trecentis, quoad illam venditor *datis trecentis marcis redimeret*: emtumque vere uſumfructum confirmant illa, quibus Epiſcopus *jus* in ejus villæ fructus acquiſitum, Clericis quibuſdam pro anniverſario celebrando conceſſiſſe traditur. In tabula Eccleſiæ Dolenſis apud Ducangium V. *Vadium mortuum*, quæ vox idem ſignificat ac fundi pignus cum perceptione fructuum, quidam fundus ita pro pecunia vadio, ſeu pignore datus fertur, ut intra ſeptem annos *redimi non poſſet*. Cum tamen non in omnibus id genus hypothecis, ſeu vadiis vera emtio contraheretur; hinc alios ejuſmodi contractus, & *vadia mortua* uſuræ damnata aliquot antiquis monumentis apud eundem Ducangium invenies. Hæc adnotanda fuerunt accuratius, ne quis omnem hypothecam, ex qua fructus percipitur, uſurariam credens, omnes antiquorum contractus perperam damnet. Diſtinguendi caſus a caſibus, neque inſiſtendum quibuſdam obſcuris vocibus, quæ mediis, illis ſeculis aliam atque aliam ſignificationem fortaſſis recepere.

Digitized by Google

præſertim ad uſuræ vitationem (*) monendum cenſuere, ut ſincera adſit voluntas emendi, ac vendendi, ſine quibus emtio uſuram excludens conſiſtere nequit. Idipſum omnes Auctores, qui conſilia, vel peculiares tractatus de hiſce contractibus apud multos uſitatis ſcripſerunt, conſtanter, & communi ſententia inculcant: nec aliter fieri poterat; res enim non dubia, aut controverſa, ſed per omnes certa, & aperta eſt, ſine vera emendi, ac vendendi voluntate, emtionem veram, quæ ad uſuram vitandam neceſſaria eſt, ſtare non poſſe.

40. Num autem præter voluntatem emendi, & vendendi, ad veram emtionem deſignatio fundi, certique fines requirantur, an emtio pro *indiviſo* ſufficiat, controverſum eſt. Id autem controverſiæ locum habet ſecluſa Pii V. Bulla de cenſibus, ubi certam deſignationem, ac certos fines requirit. Quærentibus autem, num etiam ex naturali jure id neceſſarium ſit, ita ut ſtare nequeant ejuſmodi contractus, in quibus nulla deſignatio eſt, illud Papiniani reponi ſolet a nonnullis ex L. 69. n. 4. D. *De jure dotium*, ubi *fundo non demonſtrato*, *nullum eſſe legatum*, *vel ſtipulationem fundi*, conſtare ex legibus pronunciat. Sane qui nihil deſignat, nihil vendere, aut emere poteſt. Sed quibuſdam deſignatio ſufficiens illa videtur, qua ſi non ipſum corpus certis cum finibus demonſtretur, certa tamen deſignetur fructuum quantitas, quæ ex prædio, vel bonis alicujus redeat, ſi præſertim ea pars amplioris prædii pro indiviſo vendatur, quæ ad eam certam quantitatem fructuum pariendam apta ſit. Ego, ne multis hac in diſputatione diſtinear, inter emtionem prædii, ac cenſus primo diſtinguendum arbitror.

41. Cum in emtione cenſus, non prędium, ſed uſusfructus prędii emitur; uſusfructus autem, etſi prædio adhæreat, ab ipſo prædio tamen diſtinctus, jus percipiendorum fructuum ſignificet; qui cenſum emit, jus fructus percipiendi emit. Jus autem hoc, cum non ſit quid materiæ ſubjectum, certis per ſe finibus di- Alia eſt ratio cenſus.

(*) Ita pariter Jacobus de Fieux Epiſcopus Tullenſis in Inſtructione de Uſuris edita an. 1670., & approbata, ac reviſa an. 1703. ab Henrico de Biſſy ejus ſucceſsore, & deinde Cardinali celeberrimo, cap. 11. hanc Confeſſariis monitionem fecit: *Ils ne doivent pas s' atacher aux ſeules tennes des contrâts, parceque ſouvent c' eſt plus une routine des notaires qu' une veritable expreſſion de la volonté des parties, qui ſeule fait l' eſſence du contrât. Par exemple, je n' ai intention que de faire un engagement, le notaire toutefois ne laiſſera pas de qualifier ce contrât de vente à pacte de rachât. D' où il arrive que ſi je tire les fruits du fond qui m' a été donne en cette ſorte, je commetrai le péché d' uſure devant Dieu; & tout Confeſſeur habile doit m' obliger dans le for de la conſcience, ou a les préconter ſur le principal, ou a les reſtituer.* Ideſt: *Illi non debent adherere ſolis terminis contractuum; ſæpe enim preferunt potius notariorum formulas, quam veram ſignificationem voluntatis contrahentium, quæ ſola contractuum eſſentiam perficit. Exempli gratia: ego animo non intendo niſi hypothecam, & notarius nihilominus venditionis contractum cum retrovenditionis pacto exprimere non dubitabit. Hinc ſequitur, me coram Deo uſuræ crimen committere, ſi fructus percipio ex fundo, qui mihi hac ratione addictus eſt; & quicunque idoneus confeſſarius in conſcientia foro me debet cogere, ut eos vel in ſortem computem, vel reſtituam.*

Digitized by Google

diſcernendum non eſt, ſed ſatis deſignatur quantitate ipſa, in quam jus tribuitur. Hinc quis legare poteſt nummos ex. gr. quatuor annuos ex certo ampliori prædio ab heredibus perpetuo præſtandos, ut ne partem prædii reſpondentem deſignet. Si autem legari id jus poteſt, quidni etiam vendi? Certe is, cui legati ſint quatuor nummi annui, hoc jus alii poſſet vendere; cur dominus ipſe non poſſit? Equidem Nicolaus V. in Bulla pro Regno Siciliæ an. 1452., cenſus ſupra omnia bona immobilia conſtitutos (1) approbaſſe nonnullis videtur, quod non feciſſet, ſi id eſſet contra cenſuum naturam. Hinc cenſus ante Pii V. Conſtitutionem, qua certi fundi deſignationem præcepit, ſuper omnia bona fructifera potuiſſe conſtitui ſæpius declaravit Romana Rota, die 13. Junii an. 1575. coram Blanchetto, die 10. Febru. an. 1697. coram Litta. die 20. Maii an. 1600. coram Juſto, & alibi, quod in cenſibus deſignatio certi fundi non ſit jure naturæ neceſſaria.

(1) Vide quę in hanc rem adnotabimus paragrapho ſequenti n. 81.

Poſt Cencium Deciſ. 97. n. 1. 92. n. 8. & 81. n. 5.

Alia emtionis prædii.

42. Alia vero ratio de venditione ipſius prædii *pro indiviſo* videtur. Ubi enim de re vendenda agitur, quæ ex materie conſtat; res ipſa, quæ venditur, & vendendo a propriis bonis ſeparatur, atque in ementis dominium transfertur, deſignanda eſt: ſecus ſicut non ſeparatur, ita nec in alienum dominium transferri, aut vendi intelligitur. Neque ſufficit ſi deſignetur quantitas redditus; hoc enim, quod ad deſignandum, & ſeparandum jus valet in cenſu (jus enim cenſus incorporale bonum dicitur, quod materiali deſignatione prædii non indiget) ad ſeparandam quantitatem prædii non valet: ſi autem prædii venditi pars, & quantitas non ſeparetur, ſaltem deſignando quantitatem, & ſitum, ex. gr. ad latus dextrum, vel ſiniſtrum prædii, incertum eſt quę pars vendita ſit: cumque non major ſit ratio, cur hæc potius, quam illa pars ſit vendita, utraque autem vendita dici nequeat, nihil venditum liquet. Ita ſi quis e duobus equis, vel campis unum vendat; quoad nullus deſignatus ſit, neutrius dominio tranſlato nondum perfecta venditio erit. Hac ratione legatum fundi fundo non demonſtrato haudquaquam conſtare Leges ſanxerunt. Ubi autem perfecta venditio non eſt, nec dominium tranſlatum, fructus ex emto percipi nequeunt; fructus enim nonniſi domino jure proveniunt; ac propterea ſi fructus peterentur, ex ſoluto pretio, non autem ex fundo nondum deſignato, nec in dominium traducto exigerentur, quod uſurarium eſſet.

Emtio, & venditio prędii pro indiviſo quatenus valere poſſit.

43. Unus tamen caſus eſſet vendendi *pro indiviſo*, ſi nimirum fundo in partes proportionales diviſo, proportionalis certa pars indiviſa vendatur, ex. gr. dimidia, tertia, quarta, quinta pars &c., ut inter fratres, vel ſocios accidit, quorum ſinguli proportionalis partis dominium habent. Sic L. 8. D. *Quibus modis pignus &c.* §. 3. *pars dimidia pro indiviſo pignori data* traditur. Cumque L. 7. ejuſdem tituli *de parte pro indiviſo alienanda* agi poſſe Gajus ſcribit, de parte intelligitur proportionali, quæ in alienatione, indiviſo communi prædio, ſeparetur. Huc etiam ſpectant illa §. 4. *Si quis communis rei partem pro indiviſo dederit hypotheca, diviſione facta cum ſocio, non utique eam partem creditori obligatam eſſe, quæ ei obtigit, qui pignori dedit, ſed utriſque pars pro indiviſo pro parte dimidia manebit obligata.* Hæc pars proportionalis ſatis etiam dividitur, ſi toto prędio ęſtimato ex. gr. ſcutis 1000. vendatur tanta pars, quanta pretio ducatorum 200. reſpondeat: ita enim pars quinta vendita intelligitur, ut eſt caſus Rotæ Romanæ 14. Jun. an. 1628. coram Pirovano part. 5. Recent. Deciſ. 130., ubi n. 8. hæc adduntur: *Et ſic rata por-*

Digitized by Google

portio concurret loco quota, cum poſſit in partes dividi relate ad pretium tenuta jam firmatum, & ita pro indiviſo acquiri, & poſſideri. Nullum alia ratione dominium pro *indiviſo* acquiſitum in tota juriſprudentia invenire licebit. Scio a nonnullis allegari quaſdam Deciſiones Rotæ. Hæ tamen loquuntur non de emtione partis prędii, ſed de cenſu, qui cum ad uſusfructus rationem *in jure, non in parte* conſiſtat ex L. 66. *De legatis, & fideicommiſſis* num. 6., jure ſatis deſignato ex quantitate redditus, etſi pars fundi deſignata non ſit, cenſus ſatis ſeparatur, atque in ementis dominium transfertur, ut ex legatis certi annui redditus patet. Quæ autem de jure cenſus ſatis deſignato Rota definivit, perperam traducuntur ad prædii partem, quæ nec ex certo loco partis emtæ, nec ex quota proportionali deſignata ſit. Immo in emtione ejuſmodi, Rota Romana paullo ante allegata coram Pirovano n. 9. aperte negat, transferri dominium ejus partis, *quæ eſt incerta ratione loci, & quota*; & n. 10. *Cum locus, ubi jugera determinari, & capi debeant ex prædio vendito, eſt incertus ratione loci, & quota non expreſſæ, nec per conſequens poteſt ſubjacere periculo emtoris, tum dominium non acquiritur.* Idipſum uno conſenſu tradunt omnes Juriſperiti, ut videre eſt apud Cardinalem Pariſium in Conſiliis tom. 1. deciſ. 59., ubi plures allegans, hanc n. 15. *communem Doctorum omnium* ſententiam profitetur. Videndus Tiraquellus tom. 5. de Jure conſtituti poſſeſſorii limitat. 10., & hinc practice emtiones ejuſmodi definitæ fuerunt nullæ, uti videre eſt apud laudatum Pariſium, & apud Rotam Lucanam coram Camillo Lepido Deciſ. 26., ubi idem alias fuiſſe definitum traditur in eadem Rota, ut apparet ex Rota coram Magonio Deciſ. 20. & 21. Cum itaque *nulla ſit ejus indefinitæ partis emtio pro indiviſo, ubi nulla neque loci, nec quotæ proportionalis deſignatio eſt;* nullumque proinde ſit acquiſitum ejus in emtæ partis dominium; nullum item jus in fructus eſſe poteſt, ut iidem auctores obſervarunt.

44. Ut dominium ergo prædii, & jus in fructus ex emtione prædii acquiratur, quod ad uſuram vitandam neceſſarium eſt, in ejuſmodi emtionibus, vel deſignandi fines ejus, quod emitur, vel proportionalis ſaltem amplioris prædii pars deſignanda. Si quæ æſtimationes, aut ſumtus in id faciendi diſpliceant; diſplicere magis debet uſura, quæ ſine deſignatione ſaltem proportionali admittetur. In veris abſolutis emtionibus, ac venditionibus hæ diligentiæ non negliguntur, quod emendi vera voluntas eſt. Qui vere emere, aut vendere volunt, non ignotum, & indefinitum, ſed certum aliquid requirunt. In emtionibus autem, & venditionibus cum pacto retrovendendi, vereor ne veræ emendi, ac vendendi voluntatis defectu illa negligantur, ſatiſque ſit ex altera parte pecuniam invenire, ex altera autem lucrari, ut in mutuo uſurario fit. Mutuum, & uſura non declinatur, niſi vera emtione, & venditione, quibus vera voluntas, ac deſignatio neceſſaria non deſit. Deſignatio itaque non omittenda; eaque facta, animus emendi, & vendendi ſincerus ſit, ſciatque emtor non pecuniam, quam venditori ſolvit, ſed rem, quam emit, ſuam eſſe, ſibique fructum parere, ſicut ſuo periculo caſura eſt, ſi pereat, de quo periculo plura dicemus §. 5. Quæ deſignatio neceſſaria ſit.

45. Præter hæc omnia, ad legitimam emtionem neceſſaria eſt proportio inter pretium, & rem, vel cenſum, qui emitur. Hæc quidem proportio, ex temporum, & locorum varietate, varia eſſe poteſt; De proportione pretii.

ea-

eaque ex legum, vel conſuetudinum ratione, quæ non ſemper, nec ubique eſt ſimilis, metienda, ac taxanda eſt. Martinus V. in Extravaganti de cenſibus an. 1425. edita, cenſuum redditus *ad rationem X., XI., XIII., vel XIV. in centum, aut plus, vel minus ſecundum temporum qualitatem definitos* affirmat. Seculo XVI. ineunte redditus X. in centum adhuc legitimus erat, ut liquet ex Conſtitutione 17. Clementis VII. an. 1526., qua eum redditum Monti Fidei præſcripſit. At non multo poſt redditus quantitate ſenſim imminuta, præcipue *propter pecuniarum*, ut Pius V. teſtatur, *in hac civitate confluentium abundantiam*, a Paullo III. & IV., a Pio V., Gregorio XIII., ac Sixto V. annuum redditum ad VIII., vel VII. cum dimidio, ad VII., VI., immo & ad V. in centum redactum variis in Conſtitutionibus legimus. Tandem ſeculo ſequenti Innocentius X. ad quatuor annuos cum dimidio, & Alexander VII. ad quatuor reſtrinxerunt in locis Montium. Conſulendæ in hoc locorum, ac temporum leges, vel conſuetudines, intra quarum fines qui ſe contineat, juſtam pretii proportionem ſervabit. Cum vero hi fines præſtituti ſint, ut illos ultra tranſgredi non liceat, non autem ut minus non liceat ſtipulari, neſcio, cur nonnulli, qui in contractu fœneratitio, & illicito contenti eſſent minimo redditu, ex. gr. tribus, vel quatuor in centum; in emendo fundo, vel cenſu cum pacto retrovendendi, redditum maximum exigant, ex. gr. quinque, vel ſex, lege, vel conſuetudine permiſſos, idque exigant etiam ab hominibus rei familiaris admodum anguſtæ, qui agellum hac ratione vendere coguntur; id, quod in cauſſa eſt, ut hoſce contractus, ceteroqui licitos, non pauci refugiant, quippe qui ex ampliori exacto redditu fœneratitiis graviores, ac pernicioſiores habentur. Non dico hos violare juſtitiam, ſi redditus, quem contrahunt, vere legitimus ſit; at ſi nimium gravem, aut maximum emungant, ab iis præſertim, quibus gratis fortaſſe opitulandum ex charitate eſſet; adverſus charitatem nonnunquam etiam graviter peccare poſſe dubitandum non eſt. Si charitatis leges in caſibus practicis conſulantur, quando, & quatenus id timendum ſit, intelligetur. Sed hæc obiter. Interim ad juſtitiam quod attinet, ea proportio ſervanda eſt inter pretium, & redditum, lege, vel conſuetudine præſtitutum, ut minorem redditum citius emamus, nunquam autem majorem. Si enim certo pretio redditus ematur major, quam quem leges, aut conſuetudines ei pretio definierunt; æqualitate proportionali læſa, contractus, ſi non uſura, ſaltem injuſtitia vitiabitur. Cum vero hiſce contractibus quidpiam emitur minoris, quam valet; idcirco uſura fere præſumitur, quia de hypotheca potius, quam de vera emtione ſuſpicio eſt; & præterea fructus, qui ſuper æſtimationem percipitur, cum jure emti non proveniat, ex pecunia quaſi mutua exactus videtur. Injuſtitia etiam eſſe poteſt, ſi prædium, vel cenſus emtus vere eum fructum non ferat, qui ex legibus ſit conventus. Quidquid enim pretio exigitur ſupra verum redditum prædii, vel cenſus; non ex prædio, vel cenſu emto exigitur, ſed ex pecunia, quod uſuram prodit.

Bull. 77. Pag. 1031.

Vide Opuſc. 2. in epilogo

46. Tandem cavendum, ne dum emtio ejuſmodi legitime contrahitur, contractus mutui ſcribatur. Hoc etſi omni (1) fraude remota ad uſuram vitandam neceſſarium non eſt;

De ſcribendo contractu licito, non uſurario.

(1) Fraus non eo ſolum caſu adeſſet, cum (emtione verbis ficta) animo inten-

eſt; ad ſcandalum tamen, & injuſtitiam, aut injuſtitię periculum amovendum eſt naturali item jure neceſſarium. Scandalum enim diſſeminatur in vulgo, qui mutui contractum cum lucro ſcriptum videns, lucrum ex pecunia, ſeu uſuram intelligit, & ita uſuram initam, & probatam credit. Facile etiam ex hoc modo ſtipulandi legitima emtionis notio, & memoria delebitur, nec niſi lucrum ex pecunia intendetur. Adde, quod ad ejuſmodi errorem vulgarem jam obti entem maxime expedit non tam emtionem ſcribere, quam ita explicare, ut vera emtio, ac venditio, vera locatio, verus cenſus intelligatur; quæ cum plures non intelligant, nec emtionem, nec venditionem, ſed uſuram volunt. Injuſtitia vero, ſeu injuſtitiæ periculum in eo eſt, quod etiamſi vera emtio ſine fraude initio contracta ſit; cum tamen hæc emtio non ſcribatur, ſed mutuum, mutata dein voluntate (ſi quo præſertim caſu prædium, aut domus pereat) ex ſcripto mutui inſtrumento, de mutuo agi poteſt, & reſtitutio exigi, ac forte etiam exigetur ab heredibus, quibus contracta emtio ignota ſit. Similiter S. Antoninus part. 2. tit. 1. c. 7. §. 38. ſocietatis contractum, alias per ſe legitimum, at ſcriptum nomine mutui, ex hoc periculo, & ſcandalo damnat. *Nam*, inquit, *poſſet talis tradens pecuniam ad placitum ſuum mutare intentionem, & cum continget mercatorem perd re poterit totum capitale petere, tanquam mutuatum, ut cantat inſtrumentum. Poſſet etiam mori inteſtatus, & heredes exigerent ſecundum tenorem inſtrumenti, quod reperirent. Eſt etiam hoc ſcandalizativum proximorum, qui ſciunt illum percipere fructum ex mutuo.* Vide S. Bernardinum Senenſem Tom. 2. ſerm. 30. a. 1. c. 3., ubi iiſdem conſiderationibus utitur.

Confer inf. n. 56. in fin.

47. Scio cauſſas nonnullas afferri, ne contractus publico inſtrumento ſcribatur, (ſic & Romani quidam nobiles publicum æris alieni inſtrumentum refugiebant, quia, inquit Juſtinianus Edict. 7. c. 2. *contractus ſuos publicari, au ſtatum rerum ſuarum manifeſtum fieri non ſuſtinent, maluntque, ut conſentaneum eſt, divites, quam obærati aliis videri.*) At ne ſcribatur legitimus privatus contractus, uti ſane fœneratitii privatim ſcribuntur, nullam cauſſam video. Si qua vero juſta eſset cauſsa, quæ privatam ſcriptionem impediat; huic ſolicitudine publica, & præſertim ope Principis, provideri alias poterit. Sic memoratus Juſtinianus nobilibus illis providens, ſtatuit, privatum ſcriptum ęque ac publicum in judiciis valere (nunquid enim Principes, qui privatum contractum fœneratitium permittunt, juſtum & alienum a fœnore non permittent?) Ubi autem publicum ſcriptum neceſſarium ſit, ut in locis Montium, quæ publicos contractus exigunt; Romana Sedes moderatiſſimam ſumtibus (1) taxam præfixit. Quantumcunque autem juſta eſſet cauſſa, ne ſcribantur privati contractus; nulla Objectioni occurritur.

intenderetur vere mutuum quod ſcribitur, verum etiam cum emtio ejuſmodi iis pactis arctaretur, ut a mutuo nihil re ipſa differret. Nonnulli ſane idcirco mutuum pro emtione ſcribi poſſe non dubitant, quia emtiones ejuſmodi cum obligatione redemtionis, ſeu reſtitutionis pecuniæ in omnem eventum ita contrahunt, ut pecunia perinde reſtituenda ſit, ac ſi mutuum initum fuiſſet. Hoc autem in fraudem uſurarum cedere videbimus paragrapho ſequenti.

(1) Vide monumenta apud Card. de Luca in Appendice ad tractatum *De locis Montium*.

la profecto cauſſa eſſe poteſt juſta, ut contractu juſto inito, injuſtum, & uſurarium ſcribatur. Si qua enim juſta ſit cauſſa non ſcribendi contractus liciti, juſtior eſt non ſcribendi illiciti. Contractus per ſe non ſcriptura, ſed voluntate ſigno aliquo externo declarata perficiuntur. Scriptura autem ſolius memoriæ juvandæ cauſſa adhibetur, ac initi contractus teſtis eſt, qua, ſi opus ſit, contrahentes ad contractus executionem etiam per tribunalia cogi poſſint. Itaque is contractus, qui initus fuit, in ſcriptura declarandus fuerat, in memoriæ, & fidei ſubſidium, non alius, qui initus non fuit, ſi præſertim ille ex mutui forma uſurarius exiſtat: qui ſi idcirco non fuit initus, quod uſurarius, & illicitus habetur, eadem de cauſſa neque ſcribendus fuerat. Quod ſi ſcripta inſtrumenta ſcriptum contractum etiam in tribunalibus præſtant, ſcripturæ id genus mutuum uſurarium exprimentes, non contractum licitum, qui a mutuo maxime diſcrepat, ſed illicitum præſtare ſolum poterunt: ita ut hæ ſcripturæ vel fruſtraneæ ſint, ſi animus ab illicito abhorreat, vel illicitam voluntatem ſatis prodant. Fruſtraneas, vel ſimulatas ſcripturas, quæ præterea ſcandali, & injuſtitiæ periculum afferunt, defendat ſi quis poteſt: ego certe defendi non poſſe video. ut ex his conſiderationibus ipſo naturali jure vitandæ maxime ſint.

§. III.

Regula de pactis diſcernendis, quæ in uſurarum fraudem memoratis contractibus adjici poſſint.

48. IN ſupradictis conditionibus omnes facile convenient. Difficultas in aliis pactis ingeritur, ac præſertim in duobus, quæ ejuſmodi emtionibus nonnullibi adjici ſolent. Primum fundi, aut cenſus emtio, cum obligatione omnium bonorum: alterum redimendi obligatio venditori impoſita poſt certum tempus, quę utraque pacta a Pio V. uſurę deputata poſitivi juris habentur a multis, ab aliis autem naturalis juris. De his autem antequam definio, hanc regulam ſtatuere maxime intereſt: *Ea duo pacta ex naturali jure uſuram inducere in contractum, alias per ſe juſtum, & alienum a mutuo, quibus; præter ipſius contractus naturam, aque de reſtitutione pecuniæ in contractu intervenientis, ac de periculo quovis cavetur, ac ſi mutuum contractum fuiſſet; interim vero quandiu pecunia non reſtituitur, aliquid contractus ejus nomine ſolvendum eſt.* In uſurarum enim fraudem pacta id genus appoſita videntur, cum perinde tutam, ac reſtituendam pecuniam præſtent, ac ſi mutuum fuiſſet contractum; ac proinde lucrum exinde proveniens, ex vero, etſi latente, mutuo vere redire judicandum eſt. Tum nimirum fraus admittitur, cum quod prohibetur palam, clam alia via, vel nomine admittitur. Porro cum vetetur lucrum ex mutuo, non autem ex alio juſto contractu; fraus in hoc contractu admittitur, ſi iis pactis circumſcribatur, quibus ſubſtantialia mutui induat, ac in mutuum ita recidat, uti idem omnino habeatur, ac ſi mutuum contractum ſit. Porro tum habetur mutuum, cum pecunia ex. gr. cuipiam traditur, ut eandem poſt aliquod tempus in omnem eventum, ſuoque periculo reſtituat: hæc enim mutui definitio eſt. Si ergo in alio contractu ea pacta inferantur, quibus pecunia in contractum incidens, poſt aliquod tempus accipientis periculo reſtituenda ſit; idem eo contractu præſtatur, ac ſi mutuum initum fuiſſet. Duo autem pacta cuipiam contractui adjecta, nimirum de capitali reſtituendo, & de cavendo periculo contractus, ita ut in omni eventu pecuniæ reſtituendæ obliga-

Pacta in fraudem uſurarum quæ.

liga.

Digitized by Google

ligatio imponatur, illud efficiunt. Mutuum ergo, ſeu mutui fraus hoc in contractu his duobus pactis inducitur; ac propterea lucrum ejus contractus nomine exactum, quamdiu pecunia non reſtituitur, ex implicito mutuo in uſurarum fraudem exigitur.

Exemplum ex contractu Mohatra.

40. In contractu Mohatra, quo venditur res pretio ſummo quidem, ſed juſto, cum pacto ut redimatur minori, ſed juſto tamen pretio, etſi nihil injuſtum appareat, uſurarum tamen fraus, & dolus agnitus fuit ab antiquo Auctore Syntagmatis Doctrinæ ad Monachos in Appendice Athanaſii num. 3. *Uſuram ne accipe..... ne doloſe agas in conſpectu Domini. Nam ſi fruges habeas, & argentum, atque aliquis a te mutuo accipere poſtulet, tuque, ne uſuram accipias, majore pretio vendis, ut emas poſtea viliore, & minore pretio: Comprehendit Deus ſapientes in aſtutia.* Pactum retrovenditionis ſtatim poſt venditionem faciendæ appoſitum præter venditionis naturam contractum vitiat, ac retractat quodammodo, & verum mutuum cum lucro venditionis, & retrovenditionis nomine inducit, ut S. Antoninus obſervavit part. 2. tit. 1. c. 8. §. 5., atque is, qui perinde vendit, ut retrovenditionis ſtatim faciendæ pactum imponat, ſatis oſtendit ſe nolle vere rem alienare, ac vendere, ſed hoc pallio uſurarium lucrum celare. Hinc contractus ejuſmodi proſcriptus fuit ab Innocentio XI. damnante Propoſit. 40. *Contractus Mohatra licitus eſt etiam reſpectu ejuſdem perſonæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri.* Idem eſſet de contractu ſimili, ſed e converſo, quo

Ex alio contractu.

ſcilicet quis ab eo, qui pecunia indiget, emeret merces pretio infimo, ſed juſto, cum pacto ut ſummo, ſed juſto pretio eaſdem redimeret, & ita pecuniam ipſi cum lucro reſtituendam crederet. Licet diverſus ſit contrahendi modus, pactum tamen, lucri intentio, ac fraus ſunt eadem. Idipſum porro accidit in quavis emtione prædii, vel cenſus, ubi ea duo pacta ſimul apponantur, quibus pecunia tuta, & reſtituenda cavetur, ita ut intermedio tempore lucrum redeat. Pacta id genus præter emtionis naturam impoſita idem præſtant, ac ſi ſola pecunia ſine ulla emtione mutuo tradita fuerit reſtituenda cum lucro. Emtio quantumvis rei per ſe fructiferæ interpoſita, quæ per ſe juſta eſſet, ſimilis eſt emtioni rei pretio infimo, ſed juſto, quæ ſpem lucri in nova venditione afferat. At adjecta pacta, quæ ad redemtionem citra periculum obligant, ſimilia ſunt pacto redimendi majori pretio, quantumvis juſto, quod uſuræ fraudem continet. Itaque ubi duo illa pacta ſimul apponantur, hic contractus ab uſura defendi non poſſe videtur.

50. Utrum vero adjiciatur ſolummodo alterutrum pactum; vel periculi cavendi, ſine obligatione redemtionis, ſeu reſtitutionis pecuniæ; vel reſtitutionis, ſine cautione periculi, ſed ſub conditione ut ſi prædium emtum, vel cenſui ſubjectum non perierit, pecunia poſt aliquod tempus reſtituatur; utrum, inquam, hoc caſu implicitum mutuum, & uſura jure naturæ involvatur, dubitari poteſt. Sunt nonnulli, qui cogitantes alterutro pacto deficiente non omnia mutui ſubſtantialia adeſſe (vel enim deeſt obligatio reſtitutionis, quæ eſſentialis eſt mutuo: vel ſub conditione fortuita imponitur reſtitutio, quod a (1) mutuo alie-

(1) *Mutuum* nimirum *in omnem eventum repeti poteſt*, ut notavit Rota coram Ubaldo poſt Cercium Deciſ. 388. n. 8. Si autem fundus pereat, redemtioni, & repetitioni ſortis locus non eſt.

Digitized by Google

alienum eſt, & aliis contractibus poteſt eſſe commune) ſicut verum mutuum per ſe intervenire non vident, ita nec veram uſuram. Solum de juſtitia horum pactorum inquirendum putant, quæ ſi abſit, æque injuſtum, & iniquum contractum redderet, ac ſi eſſet uſurarius: neque enim uſura peculiari aliquo vitio laborat, niſi quia injuſta eſt. Adde, quod hæc pacta, etſi ſeparata, in uſurarum fraudem adjici ſuſpicio eſt, unde contractum de uſura ſuſpectum, & uſuræ periculo obnoxium reddunt, ita ut jure aliquot Eccleſiaſticis documentis vetita fuerint. In id ergo a jure naturali cognoſcendum duo hæc pacta per ſe ſingillatim expendenda ſunt.

§. IV.

De obligatione redimendi venditori non imponenda. De pacto redimendi in gratiam venditoris. Diſcrimen inter pactum in emtoris, ac in venditoris gratiam. Uſuræ periculum ex obligatione redimendi venditori impoſita. Origo hujus pacti, & Eccleſia de eo vitando ſententia.

51. Redimendi pactum imponi poteſt, tum in venditoris, tum in emtoris gratiam. In gratiam venditoris imponitur, ſi is pro facultate, & arbitrio poſſit cenſum, aut rem venditam redimere. Id autem licere certum eſt; immo in cenſu ex. gr. prædii, ſi fundi proprietas venditori nihil aliunde conferat, hoc pactum neceſſarium quodammodo videtur, ne inutilis ſit proprietas, quæ hac in hypotheſi ſolo jure repetendi æſtimari poteſt. Similiter quidem ipſo Romano jure L. 3. D. *De uſufructu* n. 2. ſancitur: *Ne tamen in univerſum inutiles eſſent proprietates ſemper abſente uſufructu, placuit certis modis extingui uſumfructum, & ad proprietatem reverti*. In emtoris autem gratiam pactum redimendi adjicitur, ſi emtor poſſit venditorem ad redimendum adigere. Hoc vero pactum in emtoris gratiam additum, diſtinguendum eſt a pacto, quod in cenſibus reſervationis, ut vocant, imponi nonnunquam ſolet. In venditionibus nimirum fundi, cujus integrum pretium ſolutum non ſit, ne emtor omnibus fructibus ſine ſolutione integri pretii fruatur, quod æquum non creditur; & ne ob dilatam ſolutionem pretii nondum ſoluti fructum venditori cogatur rependere, quod eſſet uſura (uti uno omnium conſenſu (1) definitum fuit Romæ a præſtantiſſimis cujuſque Ordinis Theologis an. 1575.) hoc remedium commode adhiberi poteſt, nimirum, ut ſi pro rata pre-

De pacto redimendi in gratiam venditoris.

De venditionibus fūdi integro pretio non ſoluto, ac de cenſu reſervativo.

---

(1) Integrum monumentum editum fuit Brixiæ an. 1584. cum hac inſcriptione: *Deciſio Theologorum ſuper uſurarios contractus*; legitur etiam poſt tom. 1. Reſponſionum moralium Ludovici Bejæ edit. Brixianæ an. 1596. pag. 417. Caſus eſt venditionis domus mille aureis, ex quibus cum non ſoluti fuiſſent niſi quingenti, pro aliis quingentis non ſolutis annua penſio exigebatur, dominio fundi ita in emtorem traducto, ut ſi domus interim periiſſet, emtori, non autem venditori periiſſet. Primo caſus tranſmiſſus ad Patres Soc. Jeſu Pœnitentiarios S. Petri, & hi *poſt maturam habitam conſiderationem, poſt multos dies congregati* unanimiter caſum uſuræ damnarunt; novem autem Theologorum, atque Canoniſtarum ejus Ordinis nomina ſubjiciuntur. Aliorum porro Theologorum, & Canoniſtarum calculi in eandem ſententiam adnotantur.

Digitized by Google

pretii non ſoluti (1) partem fundi inemtam reſervare, & emtori, quamdiu non ſolvat, locare non placeat, totus fundus vendatur quoad proprietatem tantum, non vero quoad uſumfructum, & in hoc uſufructu venditori retento pro quantitate pretii ſolvendi, (2) legitimus annuus cenſus ſeu redditus conſtituatur, ut ab iis fit, qui prædium legato aliquo, etiam perpetuo, gravatum, cum onere legati ſolvendi vendunt. Ita cum non ex pretio non ſoluto, ſed ex uſufructu inemto, & locato, fructus annuus redeat, nihil uſurarium latet. In hoc autem cenſu apponi ſolet nonnunquam pactum, ut emtor integrum pretium ſolvat intra certum tempus, vel poſt annos ex. gr. quatuor, aut ſex; quo pretio ſoluto, cenſus emtus, & extinctus intelligatur. Hoc vero pactum quatenus cogit emtorem ad ſolvendum integrum pretium, ſi bene conſideretur, in venditoris, non autem in emtoris gratiam, nec redimendi, ſed emendi pactum eſt; cujus æquitas ex eo cognoſcitur, quod integra ejuſmodi ſolutio, quæ initio contractus exigi poterat, ſi differatur ad tempus, uti hoc pacto vere differtur, non injuria eſt, ſed favor, & beneficium, quod crimini verti non poteſt. Non aliud fuit pactum, quod in *Romana Nullitatis cenſus* coram Corduba 5. Maii 1507. probatum fuit a Rota, & in ipſo contractu inito aliquanto ante ab Apoſtolica Sede, ſeu a Gregorio XIII. confirmatum ibidem traditur: unde hæc auctoritas perperam a nonnullis allegatur, atque traducitur ad vindicandum pactum redimendi in emtoris gratiam, de quo uno in præſentiarum quæſtio eſt. Num enim hoc pactum ita in emtoris favorem liceat, ut licere diximus in gratiam venditoris, jure a pluribus dubitatur.

De pacto reſervativis cenſibus appoſito.

Deciſ. 114. poſt Cencium.

52. Atqui, inquiunt quidam, ſi liceat venditori obligationem retrovendendi imponere emtori, cum pretium ipſe rependet, quidni emtori licebit pariter venditori obligationem redimendi imponere, cum ipſi emtori placuerit? Par primo adſpectu videtur utriuſque conditio: ſed re ipſa non eſt. Primo hęc obligatio, cum præter venditionis, ac emtionis naturam ſit, in ipſa venditione, aut emtione imponi nequit, niſi volenti. Porro emtor, cum nulla emendi neceſſitate prematur, dum retrovendendi obligationem ſuſcipit, libere ſuſcipit. At cum venditor fere ex neceſſitate impellatur ad vendendum; eadem neceſſitate, ex metu ne alias pecuniam neceſſariam non inveniat, indebitam redimendi obligationem plerumque ſuſci-

Diſcrimen inter pactum in emtoris, & in venditoris gratiam, ac utriuſque inæqualitas.

(1) Hic primus uſuræ vitandæ modus eſt., quem in ejuſmodi caſibus docti Theologi adhibendum monuerunt. L. 70. D. *De contrahenda emtione* habetur: *Fundi partem dimidiam ea lege vendidiſti, ut emtor alteram partem quam retinebas, annis decem certa pecunia in annos ſingulos conductam habeat.* Ita pariter venditio partis pro pretio ſoluto, & alterius partis locatio, quæ alio conſilio apud Romanos uſitata cognoſcitur, æquiſſime contrahetur ad uſuram vitandam.

(2) Hunc alterum modum uſuræ in propoſito caſu vitandæ plures ſuggerunt; ac inter ceteros qui hoc remedium conſuluerunt, memorandus præſertim eſt Paulus Aretius Cardinalis, & Archiepiſcopus Neapolis, cujus doctrina, & ſanctitas notiſſima, majorem eidem auctoritatem parit. Tres autem cautiones ad hunc cenſum ab uſura purgandum requirebat, quas in memorato documento apud Bejam legere poteris. Fere autem revocantur ad illas, quas nos in legitimis cenſibus exigimus; adeo ut exinde noſtra ſententia plurimum confirmetur.

Digitized by Google

ſuſcipiet, ut non omnino ſit libera. Hoc primum inter emtorem, venditoremque diſcrimen qua ratione ad æqualitatem redigi poſſit, non facile invenies.

53. Deinde qui emit fundum, vel uſumfructum fundi, aliquid immobile, & perpetuum emit, quod ſemper ſibi erit in promptu, ut ſoluto pretio retrovendi facile queat. At qui vendit, pecuniam pretii loco accipit, qua in uſum conſumtionis indiget; eaque mox conſumta, ſemper parata eſſe non poterit, ut ad emtoris arbitrium redimat quod vendidit, niſi illam aliunde paret, quod ſæpe difficile, nonnunquam impoſſibile, vel damnoſum maxime fuerit. Hinc ex inæquali utrinque conditione iniquum eſt venditorem obligare, ad quod obligare emtorem iniquum non eſt. Solum ſi quo caſu ageretur de venditore ſatis opulento, qui promtam facile haberet, aut invenire poſſet pecuniam, & eatenus redemtionem ſine ullo incommodo, & periculo ſponte offerret; mutuum hoc pactum ſi ad æqualitatem redigatur, nonnullis poſſet non iniquum videri, ita tamen ut in redemtionis caſu, ſi hæc præter opinionem ſine magno venditoris damno fieri non poſſet, hunc non liceret ad redimendum adigere, ſicut nec certum debitorem ſolvendo impotentem, aut cum magno ejus damno (1) cogere ad ſolvendum non licet. Dixi *ſi mutuum hoc pactum ad æqualitatem redigatur*, id autem ad pretii æſtimationem refertur. Pretium enim, quod ex ſola emtoris obligatione minui ſolet, ex mutua obligatione venditoris augendum eſſet, & ad æqualitatem redigendum. Sic in emtione prædii ex. gr. redimibilis ex parte ſolius venditoris, qui cogere poteſt ementem ad retrovendendum, cogi autem ad redimendum non poteſt, pretio ducatorum centum emitur domus, quæ reddet ad ſummum annuam penſionem ex. gr. ſex, non ita emenda, ſi ſine eo pacto abſolute emeretur; minoris enim æſtimatur res cum onere retrovenditionis; & auctio hæc redditus ſupra emtiones abſolutas pro onere retrovenditionis compenſando juſta putatur. Si vero par obligatio redimendi imponatur venditori, quæ emtoris obligationem compenſet; iniquum erit eodem minore pretio domum emere, & eandem auctiorem penſionem exigere; ſic enim obligatio emtoris duplicem, venditoris autem nullam compenſationem habebit, quod iniquitatem prodit. Ut autem æqua hujus quoque obligationis compenſatio fiat, forte non ſatis eſt, domum eo medio pretio emi, ut in abſoluta moderata emtione fieret, ac ſi emtoris obligatio obligatione venditoris ex æquo compenſetur; nam ſicuti venditoris obligatio gravior, & difficilior ex dictis eſt, ita majus pretium mereri videtur. In praxi autem obſervo, æque cum pacto ſolius emtoris, ac cum utriuſque pacto, prædia, aut cenſus ſummo pretio ſæpe vendi, & ſummam exigi penſionem cum mutuo pacto, ſupra quam nihil ſine venditoris obligatione exigere liceret. Nihil igitur cum compenſetur hujus obligatio, injuſtitiæ negari non poteſt. In hoc apparet conſentire venditores ex neceſſitate, ac metu, qui ſane in liberis venditionibus redimendi obligationem nullo dato pretio nequaquam ſuſciperent.

54. Adde tandem uſuræ periculum, quod facillime ingruit ex obliga- De uſuræ periculo ex pacto redemtionis in emtoris gratiam.

(1) Ii ipſi fœneratores iniquiſſimi, quos S. Ambroſius perſtringit in lib. de Tobia c. 3., hanc æquitatem videntes, pecuniæ reſtitutionem haud extorquendam viderunt, dum uſura ſolveretur: *Uſuras da, his, ſanus,* (id eſt pecuniam) *ſi non babueris unde reſtituas, non requiro.*

Digitized by Google

ligatione venditori impoſita, quæ idem eſt ac reſtitutionis obligatio: cum facile ſit, eum, qui hac obligatione impoſita emit, vere intendere pecuniam tradere ad uſum reſtituendam poſt tempus, interimque ex eadem, non autem ex re emta lucrari; quod uſurarium eſt. Hoc novum inter venditoris, & emtoris, obligationem diſcrimen. Pactum redimendi in favorem venditoris cum reſtitutionem ſpectet rei immobilis, in quam mutuum cadere nequit, ille autem nihil interim lucretur; nec mutui, nec uſuræ ſuſpicionem afferre poteſt. At idem pactum in gratiam emtoris, cum obligationem imponat reſtituendæ pecuniæ, quæ in mutuum poteſt cadere, & ille interim lucretur; mutui, & uſuræ ſpeciem, ac periculum parit. Cum porro venditor neceſſitate preſſus rem utilem vendat, qua privari nollet; ſi redimendi facultatem exigat, juſta ratio eſt; ubi alias nulla, ne impliciti quidem mutui, & uſuræ, ſuſpicio eſſe poteſt. At cum emtor nulla neceſſitate cogente rem utilem emens, pecuniam ex voto utiliter collocet; cumque, ſi pecunia forte egeat, rem emtam poſſit aliis divendere, cur redimendi obligationem præter venditionis naturam venditori imponat, nulla ratio eſt, niſi quia nihil, aut parum de vera emtione ſolicitus, reſtitutionem pecuniæ, ac ſi data eſſet mutua, certam facere vult, interimque lucrari: ac propterea hic contractus cum pacto ejuſmodi, mutuum emtionis nomine implicitum, lucrum vero medio tempore receptum uſuram redolet. Eninvero in contractu Mohatra venditio, & emtio cum obligatione ſtatim retrovendendi cum lucro, implicitum dicitur mutuum cum uſura. propterea quod qui ita vendunt, & emunt, quod ſtatim cum lucro retrovendendum ſit, oſtendunt ſe nolle vere vendere, aut emere, ſed hoc nomine pecuniam credere reſtituendam cum lucro. Quidni idem dicatur in emtione, quæ parem redimendi obligationem imponat? Etſi enim hæc obligatio redemtionem non ſtatim exigat, ut in contractu Mohatra, ſed poſt aliquod tempus; cum tamen hoc tempus eodem conſilio concedatur, ut lucrum hoc nomine proveniat, quod in hiſce contractibus ſine dato tempore provenire non poſſet; implicitum pariter mutuum, quod ſine dato tempore non contrahitur, & uſuræ ſimulationem (1) hoc ipſum tempus confirmat. Homines certe in ipſa praxi, quæ in rebus humanorum præſertim inſpicienda eſt, cum

Practicum periculi argumentum.

(1) Ad ſimulationem comprobandam notandum eſt, præſertim in cenſibus, quod adjectum redemtionis pactum temporalem efficit cenſum ex parte ejus, qui redimere pro ſuo jure poteſt; ex parte autem ejus, qui nequit redimere, cenſus perpetuus habetur. Hinc in legitimis cenſibus, qui pactum in ſolius venditoris gratiam præferunt, cenſum quoad emtorem eſſe perpetuum, reſpectu vero venditoris temporalem affirmavit Rota coram Priolo 2. Jun. 1658. tom. 12. Recent. dec. ſ. 355. n. 10., quæ & alias definitiones ipſius Rotæ in eandem ſententiam allegat. Similiter Clemens X. Conſtit. 70. pro erectione Urſini Montis n. 5. quia redimendi facultas emtoribus relicta non fuit, *perpetuum* quoad ipſos Montem eſſe dixit, non autem quoad Urſinos, qui, ut redimerent, a Pontifice cogebantur. Ubi autem cenſus emtio temporalis eſt, ſi pro ſola æſtimatione penſionum non computetur, ſed ita ut penſionibus in ſortem non computatis, reſtitutio poſt certum tempus exigatur, mutuum, & uſura implicita initur, ut patebit ex dicendis §. 7., ubi de temporali cenſu agetur.

cum redimendi obligationem illi, qui pecuniam accipit, ex uſu impoſitam vident, in pecuniæ dationem, & reſtitutionem cum lucro intendentes oculos, veræ emtionis, ac redemtionis notionem, & voluntatem, uſuræ vitandæ neceſſarias, ſenſim exuunt, & mutuum, ac reſtitutionem pecuniæ pro emtione, & redemtione concipientes, medii temporis lucrum non ex emto prædio, vel cenſu, ſed ex pecunia in mutui ſpeciem data, ac reſtituenda vere percipere intendunt: quod uſuræ proprium eſt. Ab hoc in praxi vulgo præſcindi non poterit, niſi pactum redemtionis in emtorum gratiam præſcindatur, ex quo mens hominum in mutuum facile dilabitur. Hinc etſi forte raro aliquo caſu hoc pactum debitis cum cautionibus licere credi poſsit, ubi præſertim mutui, & uſuræ periculum abſit; non tamen quocunque caſu, nec paſſim licere dicendum eſt, ita ut in ejuſmodi contractibus generali more admittatur; hic enim mos debitis cautionibus neglectis in mutuum, & uſuram indubie declinabit. Magnum hoc quorundam Theologorum vitium eſt, cum id, quod aliquo caſu licitum audiunt, paſſim transferunt ad caſus omnes, nequaquam obſervantes in raro caſu, quo omne periculum caveatur, licere aliquid poſſe, quod ſi uſu recipiatur, non ſatis vitari poſſit periculum, & periculi ſaltem nomine illud in uſum inducere nequaquam liceat. Fœnoris quidem periculum in pacto redimendi, de quo nunc agimus, plures (1) ex illis etiam fatentur, qui pro eodem pacto vindicando laborarunt. Quid ergo, ut excludant ſaltem uſurę periculum, iſtud pactum a praxi non excludunt? Confeſſio adverſariorum.

55. Id autem multo magis, ac certius dicendum, ſi in ejuſmodi emtione omnia vendentis bona obligentur: tunc enim pecunia a periculis tuta, ac reſtitutioni obnoxia, nihil ad mutuum implicitum deſideratur, ut num. 50 diximus. Ubi redemtionis pactum imponitur in emtoris gratiam, ſolum periculum rei, vel cenſus emti, quod emtori maneat, contractum diſcernit a mutuo, ut vel (2) nonnulli hujus pacti vindices obſervarunt. Proinde facilius in emtione fundi deſignati, ac diviſi, qui emtoris periculo recipiatur, permittendam quidam putarunt redimendi obligationem, ſi alias de facili venditoris poteſtate conſtet, & moderatior ſit penſio, uſurariique animi periculum abſit. At in cenſu, qui in ampliori fundo fere conſtitutus, nullum (3) aut remotiſſimum emtorum periculum habet, illud pactum im- Majus periculum in cenſibus inquibus irredimibilitas ex parte emtoris eſſentialis habita eſt.

(1) Sic Theologi a Valentia memorati tom. 3. q. 25. punct. 2., qui Romæ cenſum hoc pacto affectum in conſultatione an. 1581. defendi aliquatenus poſſe putarunt, monuerunt tamen *non ſuadendum propter periculum*. Laymann quoque de Contract. c. 18. n. 6. *Modus iſte contrahendi periculo non vacat, neque facile ſuadendus*. Mitto plures alios.

(2) Gabriel in 4. Sent. d. 15. q. 12. cenſus emtionem hoc pacto affectam in favorem emtoris veram probat, ac a mutuo diſcernendam, *quia ſemper periculum rei emta tranſit in ementem*. Dominicus Bannes in 2. 2. q. 78. a. 4. de cenſibus dub. 2. concl. 2. mutuum ſimiliter ab hoc contractu excludit: *nam mutuatarius ſemper obligatur reddere mutuum in omni eventu; ſed in caſu noſtro Petrus vendens cenſum non tenetur reddere pretium, ſi res ſuper qua conſtituitur, pereat*. Eadem repetit Laymann de contract. c. 18. n. 5., & alii non pauci.

(3) Hinc forte cum Auguſtinus Valerius Epiſcopus Veronenſis, qui in caſu

imponi nequit, quin contractus mutuum involvat, adeo ut nihil ſuperſit, unde a mutuo vere diſcernatur. Hinc ne in cenſibus præſertim redimendi obligatio venditori imponatur, ipſe Molinæus, uſurarum ceteroqui patronus, omnino neceſſarium profeſsus eſt tract. de Uſuris n. 134. *quia de ſubſtantia eſſentiali hujus redditus eſt, quod ſors omnino, & perpetuo alienetur, ut nec directe, nec indirecte* (idest redemtionis nomine) *repeti poſſit*; & hoc pactum *abſolute totum vitiare* affirmat n. 351., rationemque affert n. 27. quia hoc præcipue, quod *venditor nullo modo obligatur ad reſtituendum pretium*, differt cenſus a mutuo. Enimvero Franciſcus Hotomanus, & Weſembecius, etſi alienæ ſectæ homines, cum emtiones cenſuum a Pontificibus approbatas, adverſus obtrectatores quoſdam illas mutuo, & uſuræ deputantes vindicare voluerint, hanc eandem cenſuum proprietatem veluti eſſentialem diſtinctionis loco potiſſimum repoſuere, ſine qua in iis diſcernendis, ac vindicandis fruſtra laboremus. Hotomanus l. 2. de Uſur. c. ult. *Quis enim non videt quantum inter mutui contractum, & hanc conventionem* (cenſualem) *interſit? Nam in mutuo quidem ita ſors alienatur, ut tamen debitoris obligatio ſemper eam creditori, cum illi videbitur, præſtet, ideſt ut ſors in omne tempus ſalva & integra creditori remaneat. Contra uſitata conventione* (cenſuali) *ipſo ſtipulationis, & traditionis momento ſors ei deperit, a quo data eſt, adeo ut eam neque ullo jure, neque ulla obligatione revocare poſſit. En quo quidem intelligi debet, veram, neque ſimulatam emtionem contrahi*; ac ſi alias ex inducta obligatione revocandæ pecuniæ emtio *non vera*, ſed *ſimulata* habenda ſit. Weſembecius autem in tit. de Uſur. n. 54. *Longius diſtant emtiones redditŭum ab uſuris. Nam uſura ſolvitur ſupra ſortem, & una cum ſorte reddenda eſt. At in venditione redditus neque ſors redditur; eſt enim vera venditio, & pretium tranſit perpetuo in venditorem, ut emtor illud repetere nequeat.* His omnibus prævivit Imperator Juſtinianus, qui cum Novel 160. quemdam contractum, ab aliis *redditum*, ab aliis *uſuram* appellatum, *magis annuum redditum, quam uſurarum præſtationem* definivit, non alium redditum proſpexit, niſi illum, in quo pecunia (1) repeti non poterat. Fateor quidem.

ſu Montis Pietatis redemtionis pactum emtionibus fundi diviſi, ac deſignati impoſuit (quod tamen non in emtorum, ſed in Montis gratiam factum n. 66. videbimus) has emtiones a cenſu differre, & diſtare affirmavit, huc proſpexiſſe crediderim, quia emtiones illæ pro diviſo, *ejus* (emtoris) *periculo ſubjacebant, donec a Monte redimerentur*, ut ipſe monuit; cenſus autem ampliori fundo impoſitus a periculo longius abeſt.

(1) Irredimibilis hic redditus ex emtorum parte inde cognoſcitur, quod venditores etſi poſt æquatam ſortem redditum ſolvere renuerent in præſcriptam uſurarum formam, quæ poſt ſortem æquatam non erant amplius ſolvendæ, ad pecuniam tamen reddendam, & redimendum cenſum cogi non poterant, & ita cenſus ementi omnino deperibat: cui molimini ut Imperator occurreret, hos redditus, uti ab uſuris ex irredimibilitate diſtinctos, etiam ultra æquatam ſortem ſolvendos præcepit. Idem Imperator Novel. 72. annuum pupillarem redditum c. 7. memoratum ab uſurario ind capo c. 6. veluti diſtinctum iterum indicans, hanc eandem irredimibilitatem reſpexiſſe videtur.

Digitized by Google

dem in vero cenſuali redditu non ſatis eſſe ſi pecunia reperi nequeat, ſed emtio redditus e ſubjecto fructiſero requiritur, ſine qua ſimplex pecuniæ traditio ad redditum, ſeu penſionem annuam, quoad pecuniam debitor pro libito reſtituat, eſſet traditio ad uſuram, ut n. 73. fuſius explicabimus. At ab ipſa emtione redditus e ſubjecto fructiſero, pactum, & obligatio repetendæ pecuniæ abeſſe debet, ne ex hoc emtio ſimulata ſit, & in mutuum recidat, uti Hottomanus monuit; hac enim maxime diſtinctione emtio vera a ſimulata diſcernitur. Hinc in ipſa praxi ſi legitimo cenſui redimendi pactum venditori imponatur; ſublata velut eſſentiali, ac neceſſaria diſtinctione, ac differentia, cenſum reſolvi, ac tranſire in mutuum judicavit Romana Rota coram Pamphilio die 20. Nov. 1593. apud Cencium deciſ. 283.. & item coram Manzanedo 25. Feb. 1622. deciſ. 365. n. 10. Ipſum ſupremum, ac civile Brabantiæ Conſilium in cauſſa annui redditus, ſeu cenſus hoc pacto affecti ann. 1642. mutuum illum hac eadem ratione judicavit, non cenſum: *Apparebat proinde hoc actum, ut creditori reſervata eſſet facultas repetendæ ſortis; & ex conſequenti mutuum erat revera contractum, non emtio redditus, licet nomine cenſus uſi eſſent contrahentes. Prævalet enim cortici verborum id quod inter partes re ipſa agitur. L. Quoniam indignum C. De Teſtamentis. Eſt vero hæc ſubſtantialis inter annuum redditum, & mutuum differentia, quod in conſtitutione redditus ſors prorſus alienetur ab eo qui nummos numerat; in mutuo maneat repetendæ pecuniæ facultas.* Nec diſſimiliter cenſuerunt illi ipſi Doctores Belgæ, qui ſuper quæſtione de redditibus utrinque redimibilibus a duodecim Parochis Schielandiæ propoſita, etſi bis deliberantes an. 1687. die 5. Nov., & an. 1688. die 20. Januar., maxime cuperent hunc contractum apud ſuos frequentiſſimum quoad fieri poſſet excuſare, ne ſecus (quod Parochi monuerant) magnæ turbæ excitarentur; non potuerunt tamen non fateri, ob hoc pactum redemtionis, venditori non minus, quam emtori impoſitum, mutuum verum, & veram uſuram ibidem contineri potius, quam redditum, vel cenſum. Sic enim in ms. documento, quod integrum editur a Nicolao Broederſen de Uſuris lib. 5. part. 3. c. 2. §. 5. n. 14., primum ex conſultatione an. 1687. n. 2. *Unum hic fuit ſolemniter concluſum, nimirum contractus illos ab Hollandis Preſbyteris propoſitos nihil differre a mutuo, eſſe verum mutuum, & etiam uſuram.* Tum in conſultatione an. 1688. n. 27. *Non intellexerunt DD. Conſultores, ſignanter duo primi nominati, quid ſibi velint illa .... alterius rationis eſſe contractus illos, de quibus quæſtio, & eos quos paſſim vocant redditus utrinque redimibiles; quod enim iſti vocentur redditus, ceterique vocentur proprii nominis mutuum, parum facit, ſi attendamus redditus vocari cum particula alienante* utrinque redimibiles; *per hanc enim particulam* (nota) *veri redditus, ſive cenſus naturam amittunt, ut jam proprii nominis emtio dici non poſſint; atque ita quoad ſubſtantiam ſaltem recidunt in mutuum.* Hinc etiam noviſſime Ludovicus Muratorius in opere Italico *De i difetti della giuriſprudenza*, in quo de contractibus nonnulla liberalius ſcripſit, ut mutuum, & uſuram removeret, caſum cenſus ex hoc pacto venditori impoſito defendi non poſſe confeſſus, hunc inter certos canones retulit cap. 10. n. 83. *Il patto appoſto alla vendita del cenſo, che il venditor ſia obbligato a redimerlo dopo un tempo determinato, ſarà illecito, e muterà il cenſo in vero mutuo. Pactum redemtionis cenſui adjectum, ut venditor poſt certum tempus il-*

lum

lum cogatur redimere, illicitum erit, & cenſum convertet in mutuum. Tantus, & rationis, & inſignis uſurarum patroni, & hæreticorum cenſualis juris vindicum, & Romani juris, & Rotæ, & civilium magiſtratuum, & Doctorum in maximis anguſtiis pro excuſanda praxi laborantium, & eruditorum, aliorumque Theologorum, etiam (1) benigniorum, quos allegare prætermitto; horum, inquam, omnium conſenſus in agnoſcendo mutuo, & uſura ejus cenſus, qui pacto redimendi in gratiam emtoris afficiatur, num inſufficiens videbitur, ut inanem, & perperam aſſumtum cognoſcamus illorum conatum, qui id pactum defendere ſtudent? Sed ſive mutuum, & uſuram in contractu, cui hoc pactum acceſſerit, ſive ſaltem mutui, & uſuræ periculum cogites, quod plures adverſariorum debuerunt (2) fateri; jure prohibendum, & vitandum quiſque probus intelliget.

Origo, & hiſtoria hujus pacti, & Eccleſiæ de eo ſententia.

56. Hæc autem omnia magis magiſque confirmabuntur, ſi hujus pacti originem, & quaſi hiſtoriam, ſimulque conſtantem Eccleſiæ ſententiam exponam. Olim quidem pactum redemtionis in emtoris gratiam, quandocunque pecuniam voluerit (uti nunc intelligitur) fuit omnino inauditum. Apud Romanos enim obligatio rependendi pretii nonnunquam adjecta in venditionibus ſub conditione reſolvendis aliam longe cauſſam, & modum habebat, nimirum ut ſi res ob vitium aliquod intra certum tempus emtori diſpliceret, venditio ſolveretur: & licet hæc eſſet vera emtio, ex hujuſmodi tamen pacto ne qua fraus ſubreperet, ædilitio edicto redhibitioni locus erat, qua reſtitutio in integrum exigebatur; ita ut percepti fructus in ſortem eſſent computandi, perinde ac ſi nihil emtum, aut venditum fuiſſet. Confer. L. 31. D. *de Ædilitio edicto* cum L. 60. tituli ejuſdem. Non alia fuit ratio ejus venditionis hoc conditionali pacto contractæ Can. *Illo vos, de Pignoribus*, ubi in ipſo inſtrumento cautum fuerat, ut, ſi emtio diſpliceret, *fructus percepti deberent in ſolvenda pecunia numerari*. Pactum, quo liberum eſſet emtori emtionem ad libitum reſcindere, eo quod pecuniam ſibi poſt aliquod tempus reſtitui velit, & fructus medii temporis adhuc lucrari, nullibi in veris emtionibus invenitur.

Quatenus apud Romanos obtinuerit, & quam diverſo effectu.

57. Ii ipſi uſurarii, qui reſtitutio-

(1) Vide inter ceteros Salmanticenſes tract. 14., de Contract. n. 41., ubi alios appellant.

(2) Ii ipſi Doctores Belgæ, quos paullo ante memoravi, etſi non omnino convenerint in conſultationibus hac de re habitis, quod alii aliis benignius ſentirent; in hoc tamen poſt plures conſultationes convenerunt omnes die 13. Martii an. 1688., cenſus hoc pacto affectos, *ſaltem ob periculum*, eſſe vitandos. Sic enim in allegato monumento n. 27. *Infraſcripti ſæpius, partim ſimul, partim ſingillatim examinavimus contractus, qui vocantur redditus utrinque redimibiles .... Et quamvis non in omnia omnino huc pertinentia omnes convenerimus; omnium tamen ſententia eſt, dictos contractus, ſaltem propter periculum, eſſe vitandos, ideoque debere animarum directores, quantum poſſunt, eos eliminare.* Neque alia fuit ſententia eorum quoque Parochorum Schielandiæ, qui de his contractibus defendendis maxime ſoliciti eos Doctores conſuluerant. *Contractus illi*, inquiunt, *in conventu noſtro non ſemel ſunt propoſiti, & examinati, & licet multis omnino illiciti, & uſurarii, omnibus multo pleni periculo apparerent &c.*

Digitized by Google

Solum in venditoris gratiam poſtea inductum.

tionis ſimul,& lucri conſilium gerentes, pactum hoc retrovenditionis induxiſſe, aut revocaſſe traduntur, ut lucrari fructus poſſent; non illud in emtoris, ſed in ſolius venditoris gratiam invexere. Sic enim & Romanis (1) legibus fructus emtori acquirebantur. Cum ſcilicet Lateranenſe IV. A. 1179. graviſſimas pœnas adverſus uſurarios decreviſſet; illi, ut haſce pœnas vitarent, mutuum rogati ab iis, qui præſentibus neceſſitatibus mutuo, non autem venditione volebant proſpicere; mutuum recuſantes, emtiones cum retrovenditionis pacto in venditorum gratiam ſuggeſſerunt, & induxerunt in praxim, ſicut Joannes Andreas, & Cardinalis Hoſtienſis teſtantur. Joannes Andreas in cap. *Ad noſtram* de emtione, & venditione: *Experientia docuit, quod uſurarii dimiſſis contractibus mutui incohoaverunt facere contractus venditionum conditionalium, ſcilicet cum pacto de retrovendendo rem*; quod paullo poſt explicans,vocat pactum *promiſſionis de retrovendendo*, quæ meram emtoris obligationem in venditoris gratiam ſignificant. Hoſtienſis autem in Rubrica memorati tituli de emtione & venditione modum ſuggerens addit: *Quando accedo ad uſurarium, & volens recipere mutuum, ipſe non conſentit, quia timet de uſuris; ſed dicit, quod emet, ſi voluero* &c., idque etiam ex memorato Canone ſatis colligitur. Cum ergo uſurarii hunc contractum invexerint; inventorum, & auctorum conditio huic ipſi pacto uſuræ ſuſpicionem inſperſit, non quod hocce pactum in vera emtione per ſeſe iniquum ſit, ſed quod de vera emtione ex hoc pacto ſtudioſe adjecto in hiſce hominibus timeretur. Re ad Innocentium III. delata, Canone memorato reprobavit contractum, non tamen ex eo ſolo pacto in unius venditoris gratiam appoſito, quod per ſe legitimum eſſe poteſt, ſed ex inæqualitate pretii, quod vix dimidium juſti pretii contingens, ſimulatam emtionem, & mutui, ac uſurarum fraudem prodebat; neque enim ex una parte credibile eſt, illum vere voluiſſe vendere, qui tam vili vendidit pretio, ſed ex redemtionis ſpe conſenſiſſe in venditionem, ſeu potius in hypothecam, vel pignus; ex alia vero parte, (ut Auctores præcipue obſervant) qui emtionem noluit, niſi retrovenditionis pactum venditor peteret; dubium afferebat, ne emtionem vere vellet, ſed mutuum cum reſtitutionis ſpe conjunctum, atque iis contractibus velatum, quando apertum mutuum cum reſtitutionis obligatione, metu legum, atque pœnarum contrahere non poſſet.

58. Hæc autem fraus, & injuſtitia ſi vitetur, ſimplex retrovenditionis pactum accuſari non poteſt; unde a pleriſque defenditur, qui ſimul ad uſuræ fraudem declinandam ab emtore exigunt, ut, *quantum eſt de ſe, pro ſua utilitate, vellet emere ſine pacto de retrovendendo, quia magis ſibi expediret ..... ſed hoc pactum fuit ad meram utilitatem, gratiam, & contemplationem venditoris, quod quidem pactum tendit ad liberandum eum a jure libelli de ſua natura perpetui*, inquit Venerabilis Fr. Bernardinus Buſti in tractatu, ſeu conſilio peculiari *de Libellis*, quem prius ſeparatim editum, poſtea ſubjecit ſerm. 27. part. 1. Sermonum. Similiter Angelus de Clavaſio V. *Uſura* n. 66. catenus retrovenditionis

Cautiones antiquorum in ipſo pacto redemtionis in venditorũ gratiam, pactum redemtionis in gratiam emtorum excludunt.

(1) Vide legem 2. D. *de in diem addictione*, ubi de pura venditione reſolvenda in emtoris gratiam, ſi melior illi conditio allata ſit, *Julianus ſcribit, hunc, cui res in diem addicta eſt, ... fructus, & acceſſiones lucrari*.

Digitized by Google

nis pactum approbat, ſi emtor *hoc faciat ex complacentia venditoris, & quod potius vellet ne reemeret, ſed libere ſibi dimitteret*: rejicitque veluti uſuræ fraudem eum caſum, quo quis, *ſi crederet venditorem non reemturum, non emeret*. Quod idem præſcribens S. Antoninus part. 2. tit 1. c. 8. §. 14. fœnoris illum accuſat, qui ſperans redemtum iri prædium, *ex illa cauſſa emeret, ut redimeretur*. Adeo pactum redimendi in emtoris gratiam, quo venditor ad redimendum cogatur, hoc in contractu probatum non fuit, ut ipſum pactum redimendi in gratiam ſolius venditoris eatenus licere Auctores putarint, ſi ea redemtionis voluntate emtores abeſſent.

Hoc unum pactum jamdiu fuit in emtionibus fundorum cum locatione.

59. Caſus emtionis prædii, qui ab antiquis memorantur, illud unum pactum exhibent; nec alia in ſententia hic contractus fuit ab iiſdem appellatus *emtio cum pacto de retrovendendo*, niſi quia ſolum pactum, & obligationem retrovendendi, quæ emtorem afficeret, non autem pactum, & obligationem redimendi, quæ afficeret venditorem, hic contractus continebat. Enimvero contractus, quem ſuo adhuc ævo, ideſt ſub finem ſeculi XV., laudatus Buſtius proponit Mediolani præſertim uſitatum, hoc unum pactum in venditoris gratiam præfert, uti & contractus, quem ſub medium idem ſeculum Veronæ frequentem profert Bartholomæus Cepolla in Opuſculo *De ſimulatis contractibus*, ubi de hoc uno contractu ex propoſito agit S. Bernardinus Senenſis Serm. 39. a. 2. c. 1. idipſum præſumit; tum enim hunc contractum ab uſuræ vitio excuſat, cum *emtor agri intentione ſimplici illum emat, & pretio juſto, paratus ſemper retinere illum, ſi venditor noluerit illum redimere*: quæ verba omnem redimendi obligationem venditori impoſitam prorſus excludunt, ſolam vero facultatem redimendi eidem permiſſam recipiunt. Legantur S. Raymundus, S. Antoninus, S. Jo. a Capiſtrano, omnes denique ſeu antiquioris, ſeu poſterioris ætatis Auctores, quorum plures practica de hoc contractu ediderunt conſilia; & cum unum retrovendendi pactum emtori impoſitum reperies, tum vero de obligatione redimendi venditori impoſita ne cogitatum quidem unquam per plura ſecula fuiſſe deprehendes; quod nihil dubitarent, quin hæc, non veræ, ſed ſimulatæ emtionis propria, mutuum, & uſuram induceret. Hinc in illo ipſo contractu expreſſo Can. *Illo vos*, *de Pignoribus*, cujus paullo ante monuimus, redimendi facultas ad uſuram declinandam emtori eatenus relicta fuit, quod ſi venditionem vellet biennio reſcindere, *fructus percepti deberent in ſolvenda pecunia numerari*, quod ex redemtionis coactiva vi emtio in mutuum evadere certiſſime crederetur; nec ullam illi acceſſionem lucri eo caſu permittendam fore Innocentius III. reſpondit. Idipſum ſenſerunt omnes antiqui: & hac de cauſſa, ut arbitror, hocce pactum, quum ſpem lucri interciperet, receptum in praxi ipſa non fuit, ſolumque pactum in venditoris gratiam obtinuit, ex quo, ſi aliunde non vitiaretur, in redemtionis caſu fructus non erant in ſortem computandi.

Item in emtionibus cenſuum.

60. Neque alia erat emendorum cenſuum ratio, & praxis, quæ ſolam pariter redimendi facultatem venditoribus permittebat. Contractus quidem cenſuales omnium, ut monumenta hactenus edita produnt, antiquiſſimi apud Uratislavienſes, alioſque Germanos, a quibus hæc contractus ſpecies ad uſuram vitandam videtur inducta ſub initium circiter ſeculi XIV., cum id vitium a cuncta Eccleſia ubique condemnatum, ac ſeveriſſimis pœnis coercitum, apud Chriſtianos male audiebat; cenſuales, inquam, ho-

rum populorum contractus hanc unam venditorum facultatem continebant, ut liquet ex Bulla Martini V. de cenſibus edita an. 1425., ubi centenaria, & immemorabilis horum contractuum apud illos conſuetudo deſcribitur. *Semper in ipſis contractibus*, inquit, *expreſſe ipſis venditoribus data fuit facultas, atque gratia, quod ipſum annuum cenſum in toto, vel in parte . . . poſſent extinguere, & redimere, ac ſe ab ipſius cenſus ſolutione ex tunc penitus liberare: Sed ad hoc ejuſmodi cenſus venditores inviti nequaquam per emtores arctari, vel adſtringi valerent.* Hoc unum pactum locum habuit apud ceteras nationes, ad quas idem contractus a Germanis propagatus videtur. Neque hoc caſu, vel peculiari vendentium reſtrictione factum credatur; ſed quod non aliud pactum licere putarent. Enimvero etſi hoc idem pactum in unius venditoris gratiam per Epiſcopos Uratiſlavienſes, nec non per Principes eorum locorum fuiſset initio confirmatum, atque approbatum: ſpes tamen redemtionis, ac reſtitutionis pretii cum lucro intermedii temporis juncta, mutui, ac uſuræ ſpeciem quandam nonnullis injecerat, uti in emtione prædii eodem pacto affectam evenisse dictum eſt. Hinc plurium Doctorum exquiſitæ ſententiæ, ac præſertim in Conſtantienſi, quemadmodum Joannes Gerſon de contractibus part. 3. teſtatur. Ipſum caſum Conſtantienſibus in Reformatorio propoſitum an. 1417. deſcribit Conradus Summenbart de Contractibus quæſt. 83., ſolumque venditoribus favorem exhibet: *Venditoribus prædictis dando gratiam, ut ipſas penſiones pro eodem pretio redimere poſſint*. Subjicit deinde ſententias Doctorum duodecim ejuſdem Concilii maxime inſignium, quæ ab aliis editæ dicuntur cum titulo: *Tractatus Doctorum duodecim*; & unam gratiam venditoris omnes ita approbant, ut ex eo quidam mutuum, & uſuram negent, *quia ille, qui dedit, non poteſt repetere capitale*, ut inter ceteros loquitur Fridericus Cardinalis Florentinus. His tamen Doctorum ſententiis nonnulli haud plane acquieſcentes, ipſum Martinum V. in eodem Concilio Summo Pontificatu donatum interrogandum putarunt. Caſus autem idem cum eodem ſolo pacto propoſitus, novum, & diligentius examen Pontifex commiſit Guillelmo tituli S. Martini Presbytero Cardinali, qui aliis peritis in conſilio adhibitis, tractatum ſcripſit, cujus initium *Abbas S. Jacobi* a prædicto Conrado memoratur. Ad hæc Martinus V. an. 1425. Conſtitutionem edidit Extravagantibus inſertam, & ad tres Germaniæ Epiſcopos directam, qua eundem cenſum cum ea una pactione in venditorum gratiam probavit. Ex quo liquet, non novum jus hac Conſtitutione fuiſſe inductum a Martino V., ut quidam perperam dixere; ſed jus ab ipſa cenſuum praxi, & forte, etiam inſtitutione, ac naturali (1) quodam jure inductum, fuiſſe confirmatum. Neque aliam conditionem recipiebant cenſus, ſive (2) Regni Aragoniæ, ac Siciliæ, quos an. 1452. confirmavit Nicolaus V. Martini ſucceſſor, ſive Magdeburgenſium, & aliorum Germanorum, quos an. 1455. approbavit Callixtus III. in Decretali Extravagantibus adjecta,

---

(1) Hinc enim cenſus a mutuo diſtinctus fuit a Juſtiniano, & aliis ex n. 55.

(2) Hi quoque cenſus, ut liquet ex Nicolai Conſtitutione, ſolam venditorum *gratiam* præferebant, quæ formula in Conſtitutione Martini explicata, vim eorundem coactivam excludit.

Digitized by Google

ſta, ut ex iiſdem Apoſtolicis literis cognoſcere licet. Tantis approbationibus opus fuit, ut hoc pactum in ſolius venditoris gratiam cenſui additum, quod reſtituendi pretii obligationem non affert, ab implicito mutuo, & uſura alienum crederetur. Pactum vero in gratiam emtoris, quod reſtitutionis obligationem quandam, redemtionis nomine, imponit venditori, mutui, & uſuræ ſpeciem referre nulli dubitabant, nullique hujus pacti approbatores inventi fuere. Hinc cum an. 1490. Theologis Magiſtris Regii Collegii Navarræ propoſitus fuiſſet cenſus cum pacto redemtionis in gratiam emtoris, poſt diligens examen duodecim Magiſtrorum, uſuræ condemnatus fuit ab univerſis, uno excepto, ut patet ex actis ejuſdem Collegii apud Launojium de Scholis art. 15. Adeo certa, & communis ad hæc uſque tempora Doctorum ſententia fuit; unde vel Carolus V. ſub medium ſequens ſeculum in Conſtitutione an. 1548. etiam pro ipſo externo foro uſurarium judicavit contractum, in quo redimendi facultas emtori permittatur.

Origo pacti redemtionis in gratiam emtorum.

61. Quod autem unus inter eos Collegii Navarrici Doctores hoc pactum vindicavit, iſtud eo tempore defenſores cœpiſſe invenire certum eſt; ſed defenſionis modus ignoratur. At ſub hoc idem tempus Conradus Summenbart, qui (1) primus hujus pacti defenſor allegatur, & neminem ſane ante ſe defenſorem allegat, in ea ipſa quæſt. 84. concluſ. 5., ubi hoc pactum vindicare ſtudet, ſola ſubtilitate juris iſtud abs ſe defenſum, & in aliquo caſu defendi poſſe inſinuat, ita tamen ut ob uſuræ, & injuſtitiæ pericula in praxi permittendum non ſit. Poſtquam enim non pauca in ejus pacti defenſionem ſubtiliter diſſeruiſſet, *Hac autem*, inquit corollar. 2., *hic tantum ſcholaſtice diſputaſſe volui, ut detur occaſio lectoribus ad cogitandum ſuper hoc diligentius, quia ad ulteriora feſtino. Opus tamen erit, ut in talibus contractibus* (2) *nihil novi admittatur, quo maligni poſſint uti in fraudem, & pallium ſuarum uſurarum. Quamobrem ſupra poſt principium bujus concluſionis dixi, quod etiamſi ſervaretur æqualitas commutativa, non admitterem illum contractum, ubi facultas repetendi pretium remanet apud emtorem.* Loco autem, quem appellat, non tam injuſtitiæ, quam uſuræ, & ſcandali etiam periculum inculcat. Sed ex hoc Auctore tam caute, & expreſſe monente, *ne coram filiis ſeculi extra ſcholas de prædicta ſubtilitate* diſſeratur, arrepta opinio a nonnullis, ſenſim in vulgum propagata, & defenſa eſt, iis quoque cautionibus neglectis, ſine quibus nemo hoc pactum ab uſura, vel injuſtitia vindicare jure poſſit.

Eccleſiæ judicium.

62. Eccleſia quidem, ideſt Pontifices, & Epiſcopi, qui non tam iniquas conditiones, quam earum periculum jure naturæ cavendum ſciunt, probare non potuerunt hoc pactum, ſed improbarunt. Pius V., qui primus poſt inductum alicubi pactum an. 1568. Conſtitutionem de cenſibus edidit, de hoc pacto removendo expreſſe cavit. Neque jus poſitivum a Martino V., Nicolao V., & Callixto III. prædeceſſoribus conſtitutum revocaſſe credendus eſt, ſed jus quoddam naturæ, quatenus hoc pactum, vel uſuram, vel uſuræ ſaltem periculum afferens, juri naturali adverſatur. Nonnullæ quidem difficultates circa hujus Conſtitutionis

(1) Gabriel Biel item Germanus ab aliis citatus ad hoc idem tempus pertinet.

(2) Si *novum* fuiſſet hoc pactum admittere, praxis ergo ad id tempus ab eo pacto erat aliena.

Digitized by Google

nis conditiones a praxi alienas in Hiſpania, atque Sicilia excitatæ, hoc redimendi pactum in emtorum gratiam nequaquam ſpectabant. In ipſa enim Nicolai V. Conſtitutione, pro qua jam in praxim inducta homines laborabant, redemtionis pactum in ſolius venditoris gratiam erat apponendum, neque in emtorum gratiam in ipſa praxi fuiſſe appoſitum, nec per leges licuiſſe ſatis agnoſcitur ex Philippi II. Hiſpaniarum Regis edicto an. 1567., quo id pactum in ſolis pecuniis pupillaribus in civitate Delphenſi jam inductum, *juri huic pacto adverſanti derogans*, (1) peculiari veluti privilegio confirmandum putavit. Hæc una exceptio praxim, & jus in ceteris conſtans adſtruit. Id tamen pactum non tam contra ſcriptum jus, quam contra *naturam cenſuum* judicabant nonnulli, ut in eodem edicto traditur. Edita vero mox Pii V. Conſtitutione, quæ hoc pactum removeri juſſit, cum idem Philippus Rex apud Apoſtolicam Sedem interceſſit; non de inducendo, aut vindicando hoc pacto, quod ſolis pupillaribus Delphenſium pecuniis conceſſum nihil ſolicitudinis afferebat, ſed de ſubmovendis aliis conditionibus non neceſſariis, & a praxi non minus, quam a Nicolai V. Conſtitutione alienis interceſſit. Enimvero Gregorius XIII. Pii V. ſucceſſor, Conſtitutione ipſius Regis precibus edita an. 1574., ſe de una Nicolai V.

Apud Broedelen de Uſuris part. 1. lib. 1. pag. 12.

forma, ad quam cenſus creari ſolebant, rogatum innuit; eamque unam cum approbavit, pactum ab ea alienum nequaquam probaſſe dici poteſt. Immo reſecandos præcipiens omnes abuſus, ſi qui adverſus Nicolai Conſtitutionem alicubi erant inducti, hoc pactum præſcriptæ Nicolai formæ repugnans ſatis repudiavit.

63. Neque moveat Romanorum quorumdam Theologorum auctoritas, qui in conſultatione an. 1581., P. Valentia teſtante, hoc pactum approbaſſe dicuntur. Neque enim Romanæ Eccleſiæ ſententia ex privatis Theologis, eorumque privatis conſultationibus colligenda eſt, ſed ex authenticis, & ſolemnibus Pontificum, atque Congregationum Romanarum documentis. Quod ſi Theologos ejus Urbis placet conſulere, inſpiciendum quid dicant, non cum perſonam privatam gerentes, ſpeculative nonnunquam ex probabilitate quadam, ac liberalius identidem ex temporis indole locuti ſunt, ſed cum Sacrarum Congregationum mandato, ac nomine pro veritate reſpondentes, nihil præter earundem Congregationum, atque Pontificum ſententiam pronunciare ſolent: quemadmodum ſcio Theologum Romæ celebrem amico meo teſtatum, ſe, qui benigniora privatim ex probabilitate ſequitur, aliter reſpondere, cum mandato Congregationum ex ipſarum regulis,

Tom. 3. diſp. 25. punct. 2.

(1) Non deſunt qui hoc pactum appoſitum, non per ipſos creditores pupillos, ſed per alium tertium, ac pro *tertii intereſſe*, ideſt per tutores, ad evitandas moleſtias, quas a pupillis pati poſſent, ſi forte iſti adultiori ætate cenſum ejusmodi, velut minus utilem, probare nollent, in peculiari pupillorum caſu tolerabilius arbitrantur, ut videre eſt apud Card. de Luca de cenſib. diſc. 10. n. 4., qui tamen hanc rationem non approbat; tutores enim pupillorum perſonam gerentes, pro iiſdem pupillis creditoribus habentur, conditio autem tertii valet, cum in venditoris gratiam ad redemtionem cogit, ut in Locis Montium inferius dicemus; vel cum pro venditore onus ſuſcepit, a quo per redemtionem eximi vult, ut de fidei-juſſore Rota ſtatuit Deciſ. 57. n. 35., & Deciſ. 228. n. 2. part. 8. Recent.

Digitized by Google

lis, atque principiis ſententiam dicere jubetur. Audiatur ſane quid in caſu cenſus evenit an. 1631. Archiepiſcopus Smyrnenſis de cenſualibus contractibus, qui in Inſulis Maris Ægei, & Conſtantinopoli paſſim fiunt a Catholicis, Congregationi de Propaganda quædam dubia propoſuit, inter quæ de pacto redimendi in emtoris, ſeu creditoris gratiam præcipue quæſtio fuit. Agebatur autem de locis, in quibus Pii V. Conſtitutio non obtinebat, & hoc pactum univerſim apponebatur. Si ullus erat caſus, in quo hoc pactum licere dici potuit, hic certe fuit: & ſi quidem licuiſſet ex naturali jure, non erant cogendi homines, præſertim inter Turcas degentes, ad illud ſuſtollendum, cum poſitivum jus uſu non receptum eoſdem nequaquam ligaret. Nihilominus Theologi a Congregatione deputati die 3. Februarii hoc præſertim ex Piana Conſtitutione omnino ſumendum reſponderunt, ne pactum illud apponeretur, *Pii V. Conſtitutionem de cenſibus eſſe in prædictis partibus in uſum revocandam, & repetitionem ſortis omnino probibendam*, uti legere eſt apud Vericelli tract. de Apoſtolicis Miſſionibus tit. 15. q. 117. Id non ex poſitivo jure, ſed ex naturali cautum videtur, quo hoc pactum in uſuram, vel uſuræ periculum vergere diximus: non minus enim uſura, quam uſuræ periculum ex naturali jure vitare debemus. Hinc nullum Romanæ Eccleſiæ monumentum invenire licebit, quo hoc pactum probetur.

64. Neque vero quiſpiam opponat ſpeciem cenſus in Monte Urſino quintæ erectionis, quem tamen Clemens X. Bulla 79. tom. 7. Bullarii noviſſimæ editionis inſerta §. 5. ita inſtituit, ut poſt annos viginti eundem cenſum Urſinus ipse cogeretur redimere. Hæc enim redemtionis obligatio venditori impoſita fuit ab ipſo Pontifice in Urſinæ familiæ gratiam, ne Urſini heredes tam amplo cenſu ex ipſius negligentia diutius carerent; non autem impoſita fuit ab emtoribus, nec in gratiam emtorum, qui cum ex ſe obligare non poſſent Urſinum ad redemptionem; Mons, & cenſus ex parte iſtorum *perpetuus* extitit; cautumque idcirco fuit a Pontifice §. 5. ut *quoad eos* (emtores) *Mons ipſe, quoad fuerit extinctus, perpetuus ſit, & eſſe cenſeatur*. Quod ſi quo alio in Monte hujus generis facultas emtoribus data credatur, ex peculiaribus eorundem Montium circumſtantiis, nihil propoſitum noſtrum offendit. Hæc enim redimendi facultas non in emtorum gratiam, ſed in venditorum, & ex eorundem voluntate, ac mandato data invenietur, eaque præſertim non adverſus venditorem data ad redemtionem ab eo vel invito exigendam, ſed adverſus tertium (1) *depoſitarium* appellatum, cui a vendito-

Redimendi obligatio venditori imponi poteſt ab alio tertio in ejuſdem venditoris gratiam.

Vel a venditore imponi poteſt alii tertio depoſitario, vel procuratori ſuo.

(1) Sic Paullus IV. Bulla 12. an. 1555. 10. Kal. Nov. edita, quæ legitur in Bullario primæ editionis p. 583. erigens *Montem Novennalem* ſic appellatum, quia hunc, etſi ex ſe non vacabilem, poſt annos tamen novem redimendum, & extinguendum præcepit, ne ejuſdem redditus diutius in Montiſtas diſtraherentur, Thomæ de Marinis ejus Montis Depoſitario ſcuta quindecim millia & quadraginta annua ſupra redditus Montiſtis ſolvendos in extinctionem montis novem annis perficiendam aſſignavit, eundemque ad extinctionem ſeſe obligare voluit: & ſimiliter Gregorius XIII. Bull. 41. pag. 1245. ejuſdem Bullarii cum an. 1576. die 6. Sept. erexit *Montem Provinciarum* item *non vacabilem*, at redimibilem in earundem Provinciarum gratiam, ne quodam ſubſidio huic Monti aſſigna-

Digitized by Google

ditore Romano Pontifice certa pecuniæ ſumma quotannis proventura, ad redemtionem ipſo facto perficiendam aſſignata fuit. Hoc autem peculiari caſu emtores redemtionem petentes, iſtam non ſuo, ſed venditoris mandato, ac in ipſius gratiam a Depoſitario poſtulant: quod perque fieri poſſet in cenſu, ſi a venditore redemtionis pretium traditum fuiſſet ex. gr. procuratori ſuo cum mandato redimendi, monitis emtoribus, ut ad redemtionis pretium a procuratore accipiendum accedant. Itaque re attente conſiderata, irredimibiles vere dicendi ſunt etiam hujuſmodi Montes ex emtorum parte. *Redimibile enim ex parte emtoris illud intelligitur, cujus redemtio pro emtoris jure, voluntate, ac mandato, ac in ejuſdem gratiam a venditore etiam invito exigi poteſt. Cujus autem redemtio pro ſolo jure, voluntate, & mandato venditoris, ac in gratiam ejus ab emtore poteſt obtineri*, ut in caſu accidit, *irredimibile habetur ex parte emtoris*; qui hac ratione venditoris mandatum, & voluntatem exequitur magis, quam ſuam. Cum autem hac in hypotheſi principalis, & efficax redimendi cauſſa ſit venditoris, non autem emtoris voluntas, ac in ejus unius gratiam; Mons hoc

Quid ſit redimibile ex parte emtoris, quid irredimibile.

gnato diutius gravarentur, Bernardo Olgiato Depoſitario quindecim millia ſcuta annua in ſimilem extinctionem, & redemtionem addixit, ejuſdemque obligationem ad id exequendum requiſivit. In his, ac ſimilibus Montibus, ſine propoſitæ theſis præjudicio, dari fortaſſis potuit emtoribus redimendi, ac Depoſitarii obligandi facultas. *Dari fortaſſis potuit*, inquam; num enim data fuerit, affirmare non poſſum. Nihil certe hujuſmodi in ipſis Bullis legitur. Immo ex Bulla Paulli IV. mandata Depoſitario redemtio per novennium, ſenſim pro memorata quota in annos ſingulos exequenda, non ad Montiſtarum petitionem facienda erat; ſed potius Montiſtis ante menſem intimanda: ex Bulla autem Gregorii XIII. Montiſtæ, qui redemtionis pretium acciperent, per ſortem extrahendi erant; quæ omnia coactivam vim redimendi ab emtoribus alienam præferunt. Solum Pius IV. Bulla 86. an. 1561. 24. Decemb. de Novennali Monte per Paullum IV. erecto iterum agens, quandam Depoſitarii cogendi facultatem emtoribus dare videtur his verbis pag. 762. *In eventum, in quem dictus Thomas* (depoſitarius) *vel ejus heredes a perſonis Montis Novennalis hujuſmodi ad ipſius Montis extinctionem vigore obligationis ad id per ipſum Thomam Marchionem facta cogi poſſint &c.* Sed neque hoc cogit pro vero jure redimendi coactivo, ut in præſentiarum intelligitur, non ſolum quia hæc obligatio Thomæ impoſita fuit a Paullo IV. venditore, ut in textu expoſuimus; ſed multo magis quia hoc Pius IV. ſcripſit ea occaſione, qua *Montem Pium Recuperationum* erigens cum minori reddıtu annuo, Novennalis extinctionem ita præcepit, ut optionem daret Montiſtis, vel recipiendi pretii locorum extinguendorum, vel ejuſdem transferendi in emtionem locorum novi Montis cum redditu minore. Hoc utique caſu Montiſtæ Novennales ſi minori huic redditui, novæque emtioni nequaquam acquieſcerent; Thomam Novennalis Montis Depoſitarium ex prima ejus obligatione, qua majorem redditum Novennalem ſpoponderat, ab hoc redditu ulterius ſolvendo prohibitum, ad redemtionem cogere poterant; & ſiquidem coegiſſent, Thomam eundem, ejuſque heredes indemnes ſervandos Pius V. deſcripto textu juſſit; quod ad veram redimendi coactionem non pertinet. Sed hæc ad abundantiam dicta ſunto.

Digitized by Google

hoc caſu redimibilis ex parte ſolius venditoris dicendus eſt; non vero quoad emtorem, qui per ſe non niſi in venditoris gratiam, & ejuſdem mandato redemtionem petere poſſet. Sed hæc ratio peculiaris quorundam Montium, ut Cardinalis de Luca obſervavit, non congruit cenſibus, in quibus, nullo depoſitario intermedio, emtores cum venditoribus agere debent, ac proinde hos irredimibiles omnino eſſe debere ex parte emtorum ſemper novit, & cavit Apoſtolica Sedes, quæ non alios cenſus niſi ſic irredimibiles probavit, & probat. Romanæ autem Sedi ſententiæ adhæſerunt Epiſcopi, & Synodi omnes, quæ de cenſibus ſtatuunt; unde etiam a Gallicano Clero an. 1700. damnata fuit propoſitio 52., quæ temporales cenſus approbans, hoc pactum in cenſibus licitum non obſcure adſtruebat.

De locis Montium non vacabilium c. 4. n. 9.

Epiſcoporum cum Romanis Pontificibus conſenſus.

65. Nonnulli hic objicient Acta ejuſdem Gallicani Cleri an. 1603., qui cum duobus mille & ſeptingentis librarum millibus in Regis ſubſidium indigeret, ut eas ad redditum annuum facilius inveniret, redemtionis facultatem emtoribus dediſſe videtur. Ægre admodum ferendum eſt, certæ Gallicani Cleri doctrinæ objici facta, quæ cum nihil theologice probant, ſi etiam adverſentur doctrinæ, quę ſola Eccleſiaſtica doctrina eſt; tum in contractibus varias ex ſingularibus circumſtantiis exceptiones ferre queunt, unde doctrinæ nihil contrarium ſit. Qua ratione Romanæ Congregationes propoſitas de contractibus quæſtiones, etiam in uſurarum materie, ſine reſponſione dimittunt, vel ad loci Epiſcopum, aut peritos Theologos deferendas reſcribunt, ut inſpectis locorum, temporum, ac perſonarum circumſtantiis, prudens judicium feratur. Hinc inane prorſus apparet, quod Broederſen in approbationem cujuſdam redditus apud Belgas frequentis ſæpius repetit ex Cardinali Caſanata, cui cum Theodorus Coch an. 1688. ſignificaſſet, injunctum ſibi eſſe a Capitulo Ultrajectino, ut S. Congregationem de Propaganda Fide conſuleret, *quid de obligationibus noſtratibus ſentiendum, agendum, & prædicandum eſſet*, hoc reſponſum ab eodem accepiſſe traditur: *Suaderem hanc quæſtionem non proponere in Congregatione, quia nullum accipies reſponſum.* Quis ſcire poſſit circumſtantias omnium, & ſingulorum, qui pecunias ad redditum tradunt? Non omnibus pecunia erit otioſa: aliis aut lucrum ceſſans, aut damnum emergens ſuppetet: inſpicienda contrahentium intentio, ſubjectum, & quantitas redditus, & alia plura, quæ cum aliud, atque aliud judicium exigant, generalem reſponſionem, ac definitionem non ferunt. In caſu autem memorato Cleri Gallicani accedit, agi de Clero in neceſſitate inveniendæ immenſæ ſummæ; quædam autem licent neceſſitatem patienti, quæ lucrum exigenti non ſemper licent. Tandem ex iiſdem Actis quiddam ſuboleſcit, unde verum pactum redimendi in emtorum gratiam nequaquam datum agnoſcitur, ſed merus favor, quo plures ad emendos redditus adjicerentur, ea ſpe ducti, fore ut ſi quo caſu pecunia egerent, adjuvarentur ab ipſis agentibus Cleri, qui novum cenſus contractum cum aliis ineundum curarent, ut ex redacta pecunia veterem cenſum redimerent. En actorum verba: *En cas que dans la ſuite il ſe preſente des perſonnes, qui ayent beſoin des ſommes, qu' il auront prêtées, l' Aſſemblée pour faciliter le commerce des dites rentes a donné pouvoir a Monſeigneur l' Archeveque de Paris, & a Meſſieurs les Agens generaux, & a leurs ſucceſſeurs, de prendre a conſtitution de Nouvelles rentes les memes ſommes, pour être emploiées au rachât des rentes de ceux, qui voudront être rem-*

Objectum ex facto Gallicani Cleri diluitur.

De Uſuris præfat. n. 6. et L. . part. 1. c. 5. n. 49. &c.

bourſéz juſqu' a concurrence d' icelles, aux meme ſtipulations &c. Hoc non proprium redemtionis pactum eſt, quo venditor pecuniam rependere, ac cenſum redimere cogatur, ſive emtores novos inveniat, ſive non inveniat; ſed potius commutatio eſt, aut nova venditio cenſus, cui ipſius Cleri agentes, perſonæ publicæ, operam, & auctoritatem accommodant, ut emtores facilius inveniantur; cum præſertim in novis id genus contractibus, ut rati ſint, Cleri conſenſus, & auctoritas accedere debeat. Etſi emtorum actio in cenſus redemtionem a venditore exigendam vetita ſit; non tamen interdictum, quo minus emtor in neceſſitate, cenſuarii magni nominis auctoritate interpoſita, cenſum aliis poſſit vendere, & pecuniam comparare, ut in Romanis quoque Montibus quotidie accidit, in quibus depoſitarii Montium agentes novas in dies venditiones, novoſque emtores ſcribunt. Simile quiddam a Gallicano Clero decretum fuit, hoc uno addito, ut in novis emtoribus expeditius inveniendis ipſi agentes operam ponerent: qui favor a pacto redimendi in emtorum gratiam alieniſſimus eſt. Vides ergo quam perperam hæc Acta traducantur ad probandum hoc pactum, quod ipſa conſtanti Gallicani Cleri doctrina reprobatum liquet.

Solvitur quæſtio ex monumento Veronenſis Eccleſiæ.

66. Atqui ſi non in cenſibus, certe in emtione fundi diviſi, ac deſignati, quem emtor proprio periculo ſtare intendat, pactum redimendi in gratiam emtoris (quod debitis cautionibus adhibitis, facilius permitti poſſe nonnullis videtur) Epiſcopale monumentum noſtræ Veronenſis Eccleſiæ approbavit. Valerius enim Epiſcopus in caſu Montis Pietatis, ut id pactum apponeretur in emtione fundi deſignati, ac diviſi, certis cautionibus permiſit. At in primis hoc documentum ſingulare, & unius Epiſcopi eſt, cui nulli alii, quod ſciam, Epiſcopi, nulli Pontifices ſuffragantur; infelicique exitu non multo poſt in uſuram ipſa praxis deflexit. Cum enim noſtri homines viderent, poſſe ſe quandocunque pecuniam repetere, relictis ſenſim cautionibus a Valerio præfinitis, non emtionem, ſed depoſitum, & collocationem pecuniæ apud Montem, & lucrum ex pecunia cogitarunt, & cogitant, inſtrumentumque emtionis pro mera hypotheca habitum, veluti ſuperfluum jamdiu prætermiſere. Hac quidem de cauſſa ipſa pariter hujus contractus inſtrumenta, quibus redemtionis pactum in emtoris gratiam apponitur, pro fictis, & uſurariis habentur etiam a celeberrimis auctoribus Venetis, qui ex ipſis legibus, ac praxi Veneta judicium tuliſſe videntur. Legendus eſt inter ceteros Laurentius Priorius in *Praxi Criminali* capite *Uſura*, & Benedictus Paſchaligus Patritius Venetus in noviſſimo opere Italice inſcripto *Della giuriſprudenza Criminale*, quod cum Veneti Senatus decreto probatum fuerit, teſtimonium omni exceptione majus præbet. Sic autem is lib. 3. c. 9. inter ſimulatos, & fœnebres contractus refert n. 6. *Compreda ſimulata con patto di ricupera dentro determinato tempo del venditore*; Ideſt: *Emtio ſimulata, cum pacto redemtionis intra certum tempus venditori impoſito.* Et n. 8. *Simulata compreda di caſa conſegnata ben toſto in livello al venditore. con obbligo ingionto di affrancare ad ogni richieſta di quel compradore, o con reciproco patto di precorrerſi notizia per l' affrancazione*; Ideſt: *Emtio ſimulata domus, quæ ſtatim traditur ad libellum venditori, cum obligatione redimendi ad nutum emtoris, aut cum reciproco pacto notitia præferenda ante redemtionem.* Ex quibus in emtione ejuſmodi, ne ſimulata ſit, & ut ab uſura abſit, ita excludit pactum redemtionis in emtoris gratiam, uti n. 18. excludit a cenſu, efflagitans *che il compradore del cenſo non ſia*

per

Digitized by Google

per coſtringere, o non abbia coſtretto il venditore a redimerlo, o ricomprarlo. Deinde ut ad Valerii monumentum revertar, ſi hoc ipſum conſideretur diligenter, pactum redemtionis in venditoris potius, ſeu in ipſius Montis, cujus cauſſa venditio facta fuerat, quam in (1) emtorum gratiam ab ipſo Valerio approbatum ex ejuſdem verbis certiſſime colligo. Hoc enim pactum emtoribus a civitate conceſſum, & ab eodem Epiſcopo firmatum eatenus fuit, non ut faveretur illis, qui emerent, ac ſi per ſe cogere ad redemtionem poſſent etiam invitos; ſed ut faveretur ipſi Monti, ac ex civitatis ſpontanea, ac libera voluntate, nimirum *ea potiſſimum de cauſſa*, inquit idem Epiſcopus, *quod nummi otioſi in Monte ſine magno ejus diſpendio teneri non poſſint, nec facile ſit quærere, a quo potiſſimum in tanta multitudine emtorum debeant Gubernatores redimere fundos venditos*. Hæc cauſſa, quæ *potiſſima*, ſeu principalis dicitur, non emtoribus, ſed Monti gratioſa eſt; & ſi quidem emtoribus redimendi facultas traditur, hoc ea ſolum de cauſſa factum eſt, non ut hi redemtionem poſſent a Monte etiam nolente, vel impotente exigere; ſed ut in caſu ſuperfluæ pecuniæ, ac redimendi, ab iis potius, qui redemtionem peterent, quam a refugentibus redimeretur quod venditum fuit. Itaque hoc ipſum unicum, quod viderim, monumentum, quo in emtionibus pro diviſo redemtionis pactum in peculiaribus circumſtantiis probatur, non probatur in emtorum gratiam, ut vis coactiva ipſis tribuatur etiam in nolentes redimere, quemadmodum in ea, quam impugnamus, ſententia exigitur. Hoc non emtionum, ſed mutui proprium ſemper habitum eſt; ac proinde in emtionibus ſive cenſuum, ſive fundorum nullo Eccleſiaſtico documento probari hactenus potuit, ſed perpetuo fuit, & a Romana Sede, & ab Epiſcopis improbatum. Huic judicio, quod Eccleſiæ judicium eſt, acquieſcere debent illi, qui Eccleſiæ vocem, & doctrinam ſequuntur. Quidquid Theologi quidam ſecus doceant deferendum eſt: neque enim privati Theologi, ſed Pontifices potiſſimum, deinde Epiſcopi, Doctores, & Magiſtri

Vid. poſtrem. decret. Valerii inter Monumenta.

Monum. 4. in fin.

Concluditur de conſtanti judicio Eccleſiæ.

Huic judicio acquieſcendum.

S 2

(1) Enimvero ex alio ejuſdem Auguſtini Valerii monumento, quod inter Epiſcopalis Cancellariæ Manuſcripta legitur, inſertum in tomo inſcripto *Pœnitentiaria*, hoc pactum in emtoris gratiam aperte reprobatur. Ille enim Epiſcopus ad S. Caroli exemplum Pœnitentiariæ Congregationem inſtituerat, in qua caſus dubii expenderentur diligentius, ac cautius deciderentur. Doctiores totius urbis viri in eam Congregationem acciti. Hæ enim perſonæ in dicto monumento nominantur: *Reverendiſſimus Dominus Epiſcopus, Reverendus D. Archipresbyter, R. P. Inquiſitor, R. D. Adamus Fumanus, R. D. Vicarius, R. D. Pœnitentiarius, R. Auguſtinus Paſius Canonicus, R. D. Petrus Stridonius, R. D. Angelus Ratus, R. P. Hieronymus Ottellus, R. P. Valentinus Arigonius, R. D. Nicolaus del Bene, R. D. Raphael Bagata, R. D. Baptiſta Peretus*. Congregationes identidem habebantur, ac in una coacta die X. Decembris An. 1579. hic caſus in rem noſtram definitus traditur: *Contractus locationis, cum pacto, quod conductor cogi poſſit ad affrancandum cum pretio exhibito, eſt illicitus*. Solum An. 1582. cum Mons Pietatis pecunia indigeret; hoc caſu iterum propoſito, in ipſius Montis, non autem in emtorum gratiam ea Deciſio reſtricta fuit, eo modo, ac ratione, quam in textu indicavimus; ut ne poſſit id transferri ad ceteros caſus, in quibus eadem *potiſſima ratio*, & venditorum gratia locum non habent.

Digitized by Google

ſtri Eccleſiæ ſunt, quos Chriſtus regere, & docere Eccleſiam juſſit, quibuſque obaudire Eccleſiæ filios neceſſe eſt. Saltem quoad iidem Eccleſiæ paſtores hoc pactum non approbent, magnæ temeritatis, ac periculi fuerit, ob privatas opiniones, quas ſæpius in laxitatem, & errorem prolabi experientia notiſſimum eſt, illud pactum recipere. Finem huic paragrapho imponam verbis Cardinalis de Luca de Cenſibus diſc. II. Poſtquam enim n. 3. Romanam praxim, quæ toti Eccleſiæ pro regula eſſe deberet, eam eſſe teſtatus eſt, *quod quoties facultas repetendi ſortem eſt pure, & ſimpliciter collata in arbitrium creditoris, tunc omnino* (nota) *receptum eſt, id eſſe contra ſubſtantiam cenſus, proindeque illum vitiare, quia in effectu contractus potius continere dicitur mutuum uſurarium ſub contractus cenſualis vocabulo palliatum*; memorata deinde n. 4. eorum ſententia, qui *ſpeculative* illud pactum defendunt, vel ex auctoritate cujuſdam Rotæ, quam male intellectam oſtendit, concludens ex conſtanti auctoritate, ac judiciis ejuſdem Romanæ Rotæ, quę non ex poſitivo, ſed ex naturali, vel (1) communi jure id pactum rejiciunt; *In foro*, inquit, *ac in materia adeo ſuſpecta, in qua tutior ſemper recipienda eſt, curanda non ſunt ſophiſtica, ac ſpeculativa diſputationes*. Sed ad alterum pactum hiſce emtionibus additum, & maxime controverſum tranſeamus.

§. V.

De periculo in venditorem non rejiciendo. Damnum fundi, vel cenſus emti, quatenus ſpectet ad emtorem, etiamſi non totus fundus perierit. Diſcrimen inter emtionem, & emphyteuſin, in qua ex vulgata regula: Ni res pereat tota, non liberatur emphyteota. Quid dicendum de cenſu impoſito ampliori fundo. Obligatio omnium bonorum quatenus intelligenda. Cautio a periculis fundi etiam fortuitis repugnat pacto retrovendendi, & uſura periculum affert.

67. IN quacunque emtione periculum rei emtæ per ſe ſpectat ad emtorem, qui rei emtæ dominus eſt, ut explorate ex ipſo naturali jure Romanæ leges definiunt. Vide L. 1. C. *de periculo, & commodo rei vendita*. Idipſum de uſuſfructus periculo dicendum eſt, ita ut pereunte fundo, cui uſuſfructus adhæreſcit, uſuſfructus ementi pereat. Rationem affert L. 2. de uſufructu: *Eſt enim uſuſfructus jus in corpore, quo ſublato, & ipſum tolli neceſſe eſt*. Hinc illa Ciceronis in Topicis n. 3. *Si ades ea corruerunt, vitiumque fecerunt, quarum uſuſfructus legatus eſt; heres reſtitu re non debet, nec reficere, non magis quam ſervum reſtituere, ſi is, cujus uſuſfructus legatus eſt, deperiiſſet*. Quod De damno rei, vel cenſus emti.

(1) Hinc ſane idem Cardinalis in *Summa diſcurſuum* in tit. de cenſibus in fine ſubjecta §. 4. hoc initio certum ſtatuit: *Inter hujus contractus requiſita, iſtud demortua ſortis, qua ex creditoris parte ſit perpetuo irredimibilis, recenſetur, idque (moderna etiam Piana lege ſecluſa) de contractus natura ex juris diſpoſitione, vel intentione deſiderari probabilius eſt*; ut definivit Rota coram Gypſio 6. Junii an. 1594. Deciſ. 11. poſt Cencium, quæ pro contrario ſenſu perperam allegatur in Rota coram Corduba 5. Maji 1597. Deciſ. 124., licet non male ab hac definiatur in caſu pacti redemtionis, ſeu potius ſolutionis pretii, cujus dilatio in venditione conceſſa fuerat, uti eſt caſus ibidem definitus ex obſervatis num. 51.

Digitized by Google

Quod autem de uſufructu dicitur, æque intelligendum de cenſu, qui, ut vidimus, propria uſusfructus emti ſpecies eſt. Itaque ſive fundus emtus ſit, ſive cenſus; periculum ad emtorem pertinere debet, non ad venditorem, adeo ut hic *reſtituere* (ut Ciceronis verbis utar) *ac reficere* nihil debeat. In re certis finibus deſignata, atque diviſa, ſicut tota ementis eſt, ita totum damnum emtorem ſequetur: in re autem, cujus proportionalis pars *pro indiviſo* emta ſit, damnum, ſi quod contingat, inter dominos (ut Rota coram Pirovano obſervavit) pro rata portione erit dividendum, quemadmodum inter fratres indiviſi fundi dominos fieret. Hæc facile intelligentur in emtione fundi, quæ ex hujuſmodi emtionum natura, vel certum, ac ſeparatum fundum, vel certam fundi quotam pro indiviſo definitam requirit. Dubium eſſe poteſt in cenſu, quem ampliori fundo imponi poſſe diximus. Idem tamen videtur cenſendum, ut nimirum, ſi quo caſu prædii pars pereat, damnum pro rata dividatur; neque enim ita in gratiam emtoris cenſus venditur, ut quovis caſu ſit tutus, quemadmodum in legatarii gratiam decerni ſolet. Ubi jure venditi ex neceſſitate alienatur, non tanta liberalitas præſumitur; nemo enim in neceſſitate liberalis eſt. Deſignatio omittitur, ſive negligentiæ coercendæ, ſive vitandi incommodi cauſſa, non autem ob tutum cenſum præſtandum etiam a fortuitis caſibus: alienumque a naturali æquitate videtur, ut in cenſu, qui dimidium ex. gr. fructuum abſorbet, ſi dimidium prædii pereat, totum domino, qui alterius dimidii jus habebat, nihil cenſuario pereat. Ad hanc quidem naturalem æquitatem certius promovendam Pius V. deſignationem certi prædii, licet ex natura cenſus non neceſſariam, præcepit, ut prædio, vel ejus parte pereunte, cenſus totus, aut ex parte periret emtori, nec totum periculum, & damnum venditorem ſequeretur, quemadmodum ex ipſius Pii verbis Romana Rota declaravit poſt Cencium Decis. 88. n. 1. 80., & 94. n. 3. Ne quis vero id ex poſitivo jure manare exiſtimet, hac naturali ratione ſtatuitur a Cardinali de Lugo de Juſt. & jure diſput. 27. ſect. 6. §. 4. n. 104. *Ratio autem, cur pereunte, vel infructifera reddita in perpetuum parte cenſus, pereat pars cenſus, neque omnes fructus aliarum partium debeant obligari ad penſionem integram, eſt quia cenſus fuit realis obligatio totius prædii, quæ obligatio coextenditur ipſi prædio, ita ut ſit tota in toto, & pars in parte. Quare pereunte parte prædii, perit pars obligationis, quæ ei parti adhærebat.* Pro hac naturali æquitate, ac juſtitia ſtatuenda acriter diſſerunt P. Ferdinandus Rebellus de Obligat. juſt. lib. 10. q. 6. n. 1., & P. Ludovicus Molina de Juſtit. & jure diſput. 391. n. 3., & alii plures.

Decis. 110. part. 1. Recent.

De cenſus ampliori fundo impoſiti periculo.

68. Neque paritatem emphiteuſis alleges, in qua ſi totus fundus emphyteuſi ſubjectus non pereat, emphyteota non liberatur: alia enim emphyteuſis, & cenſus ratio eſt. Emphyteuſis proprie dicta, in qua una valet axioma illud vulgatum: *Ni res pereat tota, non liberatur emphyteota*, illa eſt, qua fundus ſine pretio cuipiam conceditur, ſub onere annuæ exiguæ penſionis proprietario ſolvendæ. In hoc autem contractu, cum emphyteota domino in directi dominii teſtimonium, non autem pro ratione fructuum penſionem ſolvat; nihil mirum eſt, ſi pereunte fundi parte (ubi ita convenit) penſionem cogatur ſolvere: adhuc enim reliqui fundi domino penſio ſolvitur in teſtimonium dominii, quod ille non minus in parte, quam in toto obtinet. At in cenſu, quo jus in certam quantitatem amplioris fundi

Paritas emphyteuſis quam inepta.

Digitized by Google

ſundi emtum ſit, cum dominus cenſuario penſionem ſolvat pro emto fructuum jure, quod non totum, ſed ex parte pro indiviſo emtum, juri reliquo domini nihil detrahit (dominus enim non totum jus, ſed partem juris vendidit) cenſuarius, velut in ſocietatem communis juris pro indiviſo admiſſus, ſi pars fundi pereat, damno pro rata portione ſubeſſe debet, ne ſi tota penſio ipſi ſolvenda ſit, totum damnum in communi, & indiviſo jure ſolus dominus ſentiat, quod iniquum eſt.

Exceptio. 69. Si tamen is hac expreſſa conditione cenſum vendiderit, ut cenſuarii pars ex ampliori fundo cenſui ſubjecto in primis detrahenda ſit, & ſi quid reliquum ſuperſit, ſibi vindicet: hoc ſpeciale pactum, quod pretium peculiare in emtione cenſus meretur, ſervandum erit. In hanc tantum conditionem, atque ſententiam intelligenda eſt Deciſio Romanæ Rotæ die 30. Octobris an. 1602. coram Mellino poſt Cencium deſcripta. Quæ tamen hac in re monet, conſtare quidem cenſum, ſi pars fundi, quæ ſupereſt, fructus ſolvendo cenſui idoneos ſuppeditet. At ſi pars, quæ ſupereſt, penſioni non ſufficiat; quidquid percipitur, cenſuario quidem erit ſolvendum; verum proprietarius aliunde ſupplere non debebit, ut in emphyteuſi ab auctoribus traditur. Ratio eſt manifeſta, quia jus in fructus emti cenſus realem obligationem parit, quæ fundo cenſui ſubjecto adhæreſcit, ita ut fundo pereunte, ad alia bona ei cenſui, & obligationi non ſubjecta nequaquam extendatur. Hinc quod Pius V. poſtremo ſanxit, *cenſus in futurum, re in totum, vel pro parte interemta, aut infructuoſa in totum, vel pro parte effecta, volumus ad ratam perire*, ſi naturalis juris non eſt, quatenus cenſum *pro rata perire* decrevit; certe quatenus ita perire debeat, ut ad alia bona, ſi quæ ſint, cenſualis obligatio extendi non debeat, naturale eſt.

70. Hæc vera omnes fatebuntur, quatenus intelligantur de rei, vel cenſus emti periculo *per ſe*; emtionis enim jure, ſicut rei, vel cenſus emti dominium, & commodum in ementem transfertur, ita & periculum ad eundem pertinet. At nonne (inquiet aliquis) pactum, & cautio de periculo emtioni addi poteſt, ſicut in aliis contractibus nonnunquam adjicitur? Vi autem hujus pacti, ſeu cautionis per accidens adjectæ, periculo in venditorem traducto, quidquid damni in ipſo fundo contingat, fundus, vel cenſus eidem impoſitus ſemper a venditore præſtandus erit, eorumque æſtimatio aliunde ſupplenda. Huc ſpectat obligatio omnium bonorum, quæ in ejuſmodi contractibus inſeritur, quam ipſi Romani Pontifices in Conſtitutionibus pro erectione Montium ſpeciem cenſus referentium adhibuerunt, atque probarunt. Nihil primo adſpectu veriſimilius. At vide quid reponam: Objectio.

Pactum cautionis a fortuitis periculis fundi, vel cenſus emti, ita ut pereunte fundo aliunde ſupplendum ſit, etſi non illicite apponi in aliquibus emtionibus poſſit, ſi venditore in hanc cautionem conſentiente juſtum hujus cautionis pretium ſolvatur, omneque uſura, ac ſimulationis periculum abſit; in emtionibus tamen cum pacto retrovendendi, de quibus nunc agimus, apponi nequit, cum ſit contra retrovenditionis naturam, & maximum ſimulationis, & uſuræ periculum afferat. Obligatio omnium bonorum in hiſce contractibus addita, non hanc cautionem a periculis fundi, vel cenſus, ſed ſolam evictionem contractus, vel etiam quandoque penſionum ſolvendarum obligationem reſpicit, & eatenus a Romana Sede recepta, & probata fuit. In ſolo cenſu, qui omnibus bonis immobilibus imponeretur, uno fundo pereunte, alius ſupplere deberet, quia Refellitur, ac theſis ſtatuitur.

quia cenſus non in eo, qui periit, ſed in omnibus fundis conſtitutus eſſet. Sed hæc conſtituendi cenſus ratio periculi plena, & ab æquitate plurimum remota, a Romanis Pontificibus jure interdicta eſt, cautumque, ut unus fundus, vel plures, quos cenſus quantitas exigat, deſignentur, ac ſubjiciantur. quibus pereuntibus cenſus extinguatur. Hæc ſi probavero, tota objectionis vis infringetur. Igitur non negarim venditione ſtante per ſe caveri poſſe de periculis rei venditæ, ſi venditore in hanc cautionem libere conſentiente, juſtum hujus cautionis pretium ſolvatur, omneque uſuræ, ac ſimulationis periculum abſit. Ita in venditionibus ſimplicibus, & abſolutis hæc cautio reprehendi nequit. At in venditionibus, & emtionibus cum pacto retrovendendi, primum hæc cautio, ſi ad fundi pericula extendatur, retrovenditionis naturæ manifeſte repugnat. Vi enim hujus pacti de retrovendendo nihil a venditore rependendum eſt, niſi res emta ab emtore retrovendatur. Cum autem retrovendi nequeat quod periit; vi ejuſdem pacti venditor, ſi quo caſu fundus perierit, ad refundendum pretium, vel æquivalens cogendus non eſt. Hæc vera, & vulgata retrovendendi notio, ac natura; cui profecto illa cautio adverſatur, quæ etiamſi pereunte fundo nihil retrovendatur, nec retrovendi poſſit, tantundem aliunde ſupplendum, vel rependendum aliunde pretium requirat. Quod ſi in praxi hæc notio apud multos non eſt, quippe qui in eventum, & periculum omne tantumdem ſemper reddendum exiſtimant; idcirco accidit, quia propriam venditionis, & retrovenditionis vim in hiſce contractibus non cogitant, ſed meram hypothecam, vel pignus, in quibus dantem, non vero accipientem periculum ſequitur, ita ut contractus id genus non ſit vera fundi, aut cenſus venditio, & emtio, ſed mutuum cum pignore, & hypotheca ſpeciali certi fundi, & obligatione bonorum omnium, quod ad ſimulatam emtionem, & veram uſuram pertinere nemo non videt. Hoc illud eſt uſuræ periculum, quod ex hujuſmodi cautione in hiſce contractibus præterea ineſſe ſecundo poſuimus. Cum quis accepto pretio fundum fructiferum recipit, ita ut quamdiu debitor pecuniam non rependat, ipſe fundi redditibus fruatur, ipſius autem fundi periculum ad debitorem pertineat; hæc, ut ex ipſis Romanis legibus conſtat, non emtio, ac venditio eſt, ſed hypotheca, & pignus, cujus redditus, niſi in ſortem computentur, uſuræ a Sacris Canonibus deputantur. Vide Concilium Turonicum an. 1163. præſidente Alexandro III. Can. 2., & titulum de pignoribus, & hypothecis lib. 3. Decretalium. Niſi vera fundi, aut cenſus emtio contrahatur, pignoris, & hypothecæ ratio uſuram inducet; pignus autem, & hypotheca ob ſolum periculum, quod debitori manet, diſtinguitur ab emtione, in qua periculum ad emtorem tranſit. Id vero ſi contingit in fundo, qui a creditore ſine ſuo periculo recipitur, & poſſidetur, quoad pecunia reſtituatur; multo facilius eveniet in fundo, qui apud debitorem, ut ante, maneat, & ſola ſcriptura obligetur: hoc enim caſu hominum mens ab emtione longius abeſt, & pignoris, ac hypothecæ notionem in hiſce contractibus facilius concipiunt, & lucrum non ex emto, ſed ex pecunia, obligato ad cautionem fundo, in praxi exigunt, ut conſideranti, & interroganti patebit. Hoc uſuræ periculum ut evitetur, cum pignus, & hypotheca contrahi non debeat, ſed vera emtio; tum veræ emtionis notio eſt inducenda, quæ ex periculo rei, vel cenſus emti a pignore, & hypotheca ſecernitur. Hinc jure Epiſcopi ad uſuram arcendam, ac veram emtionem in

Cautio a periculis fundi ex pacto retrovendendi repugnat in his contractibus.

L. 21. D. De pignor. & hypoth. §. 2.

De periculo uſuræ.

Digitized by Google

in hiſce contractibus inducendam, hoc remedium unicum, ac neceſſarium præcepere, ut ſcilicet emtores ſincere emenres, rem ſuo periculo acquirere, ſibique, ſi pereat, perituram intenderent. Conſule inſtructiones Auguſtini Valerii Epiſcopi Veronenſis, & Cardinalis Paleotti Bononienſis Archiepiſcopi allegatas n. 32. & 39., quibus & auctores, præſertim antiqui, conſentiunt; unde S. Bernardinus Senenſis ſerm. 139. a. 1. c. 3. loquens de illo, qui perinde emit, ut, ſi res pereat, ſibi perire nolit, is, inquit, *emtionem fingens, mutuum facit*. Et eatenus tantummodo mutuum, cum directum, tum indirectum, a ſimili contractu cenſus ablegant S. Joannes a Capiſtrano tom. 7. tractat. tractatuum pag. 106. in tractat. de uſuris part. 2. n. 48., Sanctus Antoninus part. 2. tit. 1. c. 8. §. 15., & alii, quia *ubi eſt mutuum mutuatarius obligatur mutuanti in pretio numerato* (ideſt ad reſtitutionem); *in tali enim caſu pretium tranſit, & jus percipiendorum fructuum* (ideſt cenſus emtus) *ſtat periculo, & lucro emtoris*. Hoc autem non idcirco refert, quod cautio de periculo in prædiis, ac domibus, quæ vix rariſſimo caſu peritura creduntur, multum æſtimetur; ſed quod velle periculo ſubeſſe in hiſce contractibus, ac veræ emtionis notionem, & voluntatem inducendam, ac dignoſcendam neceſſarium videatur. Ab his ergo contractibus omnino ableganda eſt cautio de periculis fundi, quæ tantum uſuræ periculum affert, cum præſertim pacto retrovendendi in iiſdem appoſito omnino repugnet.

Obligatio omnium bonorum quid operetur.

71. Obligatio porro omnium bonorum, quæ in iis contractibus adjicitur, quæque a Romana Sede recepta, & probata fuit, non hanc cautionem fundi, aut cenſus reſpicit, qua, ſi fundus cenſui ſubjectus pereat, aliunde ſupplendum ſit: ſed ad ſolam contractus, atque nonnunquam penſionis cautionem refertur. Id palam fit ex formulis, quę Conſtitutionibus de locis montium inſertæ leguntur. Cautionem contractus ex fide pręſtandi exprimit formula frequentius uſurpata: *Pro omnium, & ſingulorum præmiſſorum obſervatione, & executione*, quam videre eſt inter ceteras in Conſtitutione Sixti V. *Multa, & gravia* de Monte Pacis erecto 4. Kal. Auguſti an. 1585., & Conſtitutione ejuſdem *Inter multiplices* de Monte Urbis veteris erecto 2. Kal. Martii 1587., & alibi. Omnibus his Montibus in cenſus ſpeciem erectis ſuper certum, & deſignatum quarundam gabellarum fundum, obligatio omnium Apoſtolicæ Sedis bonorum adjicitur *pro omnium, & ſingulorum præmiſſorum*, quę ſcilicet in contractum cadunt, *obſervatione, & executione*. Similes formulæ alibi inſertæ eòdem pertinent. Ita pariter in cenſibus naturalis hæc obligatio eſt, qua de pręſtando contractu caveri debet, aut etiam de evictione, ſi forte fundus ab aliis evincatur.

Obligatio, & cautio de præſtando contractu.

Cautionem porro penſionis in omnem eventum præſtandæ alia formula exhibet, qua Gregorius XIII. Conſtit. 41. diei 6. Septemb. an. 1576. obligatis omnibus Romanæ Eccleſiæ bonis deſignatos redditus Montis Provinciarum ſpopondit tutos, ac liberos *ab omni onere, impoſitione, & quocunque caſu fortuito, quantumlibet inexcogitabili*; & ſimiliter Paullus IV. Conſtit. 12. 10. Kal. Novemb. an. 1555. de certis redditibus Montis Novennalis ex ſubjecto fundo percipiendis ita cavit, ut ſcuta, quibus iidem redditus ęſtimabantur, *ab omni onere, impoſitione, gravamine, reſtauro, & quocunque caſu fortuito, etiam quantumcunque inexcogitabili, libera, immunia & exempta, ac integra, & ſine aliqua diminutione inter perſonas Montis hujuſmodi annis ſingulis, & quolibet bimeſtri pro rata diſtribuerentur, & dividerentur*. Quibus verbis obligatio

De penſione integrè ſolvenda.

Digitized by Google

rio de fortuitis caſibus, quantumvis inexcogitabilibus, ſolam penſionis præſtitutæ cautionem reſpicit, ne ullo unquam tempore, vel caſu, tributis gravari, aut imminui poſſet. Hinc ſi quando Montium penſio, conditione temporum immutata, gravior viſa eſt; ex redemtionis pacto, pretio oblato, extinguendum Montem Romana Sedes ſatius duxit, & novum Montem commodiori pretio erigendum, quam contra hanc obligationem invitis Montiſtis penſionem minuere. Quod ſi hæc obligatio aliquando etiam cavit de fortuitis caſibus, ex quibus redditus ſubjecti fundi ad præſtitutam penſionem minus ſufficerent, uti (1) accidit in erectione Montis Urſini quintæ erectionis; id locationis ſpeciem refert, qua redditus fundi in omnem eventum, nullo excepto fortuito caſu, conducantur certa penſione quotannis ſolvenda, ſive fundus idoneos fructus aliquo anno ferat, ſive non ferat, quod licere nemo negaverit, ſi tamen penſio ita moderata ſit, ut redditus unius anni deficientes, cum abundantioribus aliorum annorum redditibus compenſentur, ut Cardinalis de Lugo ex Molina notavit de Juſtitia, & Jure diſp. 27. ſect. 4. n. 71. Hæc maxima vis cautionis eſt, & obligationis omnium bonorum, quam unam vel benigniores Theologi eatenus defendunt apud eundem Cardinalem n. 69. *Si*, inquiunt, *non intendatur conſtitui cenſus ſuper aliis bonis, ſed ſolum ſuper rebus certis nominatis; cetera vero bona ſolum obligentur ad ſecuritatem ſolutionis, ita ut non pereunte re nominata, vel ipſa evicta, poſſit creditor ab aliis etiam bonis exigere ſuum debitum, quia hypothecata fuerunt ad ſecuritatem: pereunte autem re nominata, non poſſit ab aliis bonis aliquid exigere.* Aliam cautionem, & obligationem omnium bonorum nunquam probavit Romana Sedes, nec citra uſuræ periculum, & contra expreſſam retrovenditionis conditionem, probari in his contractibus poteſt. Citius in cenſibus jure naturæ admitti poſſet cenſus omnibus bonis immobilibus impoſitus, ut in Nicolai V. Conſt. innuitur, quo caſu pereunte uno fundo, cenſus ſolvendus ſit ex aliis, qui ſuperſunt, non vi obligationis, & cautionis, quæ hunc effectum non præſtat, ſed quod cenſus, non uni fundo qui periit, ſed omnibus impoſitus fuit. Verum cum hæc cenſus impoſitio in omnibus fundis, ſi cenſus penſionem multum ſuperent, venditoribus nimis gravis, nec ſatis æqua ſit (inde (2) enim a venditione libera cujuſcunque fundi impe-

Etiam in damno fortuito fructûm.

Vel benigniores Theologi cautionem, & obligationem de periculis ipſius fundi non probarunt.

Multo minus Romana Sedes.

Citius cenſus imponi poſſent omnibus bonis.

Hoc tamen, uti nimis grave venditoribus, jure vetitum.

(1) Clemens X. Conſtitut. 70. certis Urſinorum prædiis huic Monti ſubjectis §. 4. cavit *ut ſummam ex quovis caſu, etiam fortuito, & inopinato, ex introitibus, & redditibus præfatis deficientem, dictus Dux Flavius de proprio, & cum aliis redditibus, & pecuniis ſupplere teneatur.*

(2) Poſſet tamen peculiari lege huic incommodo provideri, & caveri, ne ullum certum prædium, ſed omnia cenſui ſubjiciantur in venditorum gratiam, ut in neceſſitate vendendi aliquid, poſſent diſtrahere quidquid eiſdem magis expediat, ac ex venditione prædium ab obligatione ſubducatur, quando reſtet aliunde, quod cenſui ſufficiat, ita ut quod reſtat, obligetur, nulloque caſu repeti poſſit quod venditum fuit, ac ſi nunquam obligatum fuiſſet. Ita cenſus omnibus bonis impoſitus, non in emtorum, ſed in venditorum gratiam, jure naturali reprehendi non poſſet. In hanc forte rationem ante Pium V. conſtituti erant cenſus, quorum formulam, & exemplum reperire licuit anno 1523. his

pediuntur) idcirco hęc cenſuum creandorum ratio ab eadem Sede non omnino expreſſe probata, ſed potius interdicta, & ſublata fuit. In Martini V., & Callixti III. Conſtitutionibus cenſus probantur, qui *bona in ipſo contractu exprimebant*. Solum Nicolao V. propoſiti fuerunt cenſus creati *ſuper domibus, poſſeſſionibus, & proprietatibus ſpecialiter* deſignatis, *vel etiam generaliter ſuper omnibus bonis, redditibus, & emolumentis*. Cum autem in ſubjectis verbis hos cenſus probavit Nicolaus, non ſatis apparet, num utroſque probarit; indiſtincte enim probavit *cenſualia ſuper rebus, & facultatibus ſuis, & emolumentis ejuſdem*. Immo addens deinde in horum cenſuum emtione, ac venditione adjici poſſe *contrahentium ſecuritatem, tuitionem, & indemnitatem, cum poteſtate vendentibus perſonas, eorumque proprietates, redditus, juriſdictiones, cenſus, ac omnia, & ſingula mobilia, ſeu immobilia bona obligandi;* hæc generalis obligatio, pro ſecuritate, & evictione addita, indicare videtur priori formula ſpecialia tantum bona cenſibus ſubjecta probari, ut in aliis aliorum Pontificum Bullis exprimitur. Ne quid tamen dubitationis ex hac Conſtitutione oborìretur, ſatis providit Gregorius XIII., cum poſt editam Pii V. Bullam, Philippo II. Hiſpaniarum Rege intercedente, ad Nicolai formam cenſus conſtitui permittens, id in rem præſentem veluti neceſſarium expreſſe cavit, ut *prius unius, vel plurium rerum certarum, ſuper qua, vel quibus cenſus ipſe conſtituatur expreſſe;* & deinde, *ſi* contrahentes *voluerint, omnium bonorum in genere mentio fiat*; idque quatenus non eſſet in uſu, *de novo introduci, & obſervari præcepit*. Quod primo ait, mentionem faciendam *prius unius, vel plurium rerum certarum, ſuper qua, vel quibus cenſus ipſe conſtituatur expreſſe*, cenſus conſtitutionem certæ rei imponendam reſpicit; ubi idcirco *plures* res cenſui ſubjici permiſit, non ut cenſus tutior ſit, ſed quatenus res una cenſui nequaquam ſufficiat. Quod autem ſecundo addit *omnium bonorum in genere*, ſi contrahentes voluerint, mentionem poſſe fieri; ad *ſecuritatem, tuitionem, & indemnitatem*, ideſt cautionem contractus, vel fructuum (ut in ceteris Conſtitutionibus) refertur: ſecus ſi æque omnia cenſui obligata voluiſſet, ita ut uno fundo pereunte, alius obligaretur; nihil erat, unde præciperet, ut *unius, vel plurium* obligatio, ab obligatione omnium diſtingueretur. Sed tametſi ex naturali jure, vel etiam ex Nicolai V. Conſtitutione quiſpiam velit, imponi

---

his verbis: *Ego N. N. civis Tridentinus teſtor, quod meo, ac meorum heredum nomine, venditione perpetua Joanni N. vendidi jus, ſeu cenſum annuum quinque florenorum percipiendorum ex meis prædiis ubicunque poſſeſſis, pro quo jure, ſeu cenſu emendo dictus Joannes mihi ſolvit florenos centum. Reſervavi tamen mihi, & meis heredibus jus perpetuum reemendi eundem cenſum totidem florenorum centum ſolutione, quandocunque placuerit; dum ante menſes quatuor hac redemtio eidem Joanni, vel ſuis heredibus notificetur. Actum Tridenti an.* 1523. Ita etiam ſimiles cenſus venditi leguntur a Monaſteriis, vel Capitulis Clericorum alicujus Plebis *ex omnibus Monaſterii prædiis*, vel *ex decimis*, ſeu *ex tota maſſa decimarum talis Plebis*, ſeu *Clericorum talis Plebis*. Verum & ante Pium V., & multo magis poſt, frequentius inveniuntur exempla cenſuum percipiendorum *ex prædio N. ſito in tali villa*, addita obligatione ceterorum omnium bonorum evictionis nomine &c.

Digitized by Google

poni poſſe cenſum omnibus fundis; in eo tamen cenſu, qui certo fundo imponatur, ceterorum obligationem eo referri, ut de fortuitis ipſius fundi periculis cautum ſit, nullo jure, nulla Conſtitutione probatur. Stet igitur, hanc cautionem de periculis fundi, quam retrovenditionis pacto repugnantem, ac periculi plenam vidimus, in his contractibus non eſſe adjiciendam; ſicut nec adjiciendum eſt redemtionis pactum in emtoris gratiam, quod vel mutuum, & uſuram, vel mutui, & uſuræ periculum afferre ſuperiori paragrapho oſtendimus. Hinc jure S. Antoninus hæc duo, ad mutuum implicitum, & uſuram in hiſce contractibus vitandam, neceſſaria habuit, adeo ut part. 2. tit. 1. c. 18. §. 14. ſcripſerit, mutui, & uſuræ ſuſpicionem ex his duabus conditionibus ceſſare, ſi *eſt in libertate venditoris redimere, vel non, & res eſt in periculo emtoris.*

§. VI.

Non ex eo tantummodo mutuum, & uſura excluditur, ſi pecunia ad lucrum credita repeti nequeat. Antiqua exempla mutui uſurarii, quo pecunia repeti non poterat, quoad uſuræ ſolverentur. Emendum eſt aliquid fructiferum; vera autem emtionis voluntas ex eo dignoſcitur, ſi rei emta, vel cenſus periculum ſubire emtor velit. Hinc duæ conditiones maxime ſervandæ in memoratis contractibus, ut emtor redimendi pactum, & obligationem pecuniæ reſtituendæ venditori non imponat, ipſe autem periculum ſubeat.

Animadverſio de duabus conditionibus hactenus expenſis.

72. Quanquam vero ſi altera tantum ex his conditionibus abſit, ſatis ex altera, quæ ſtet, contractus diſcerni fortaſſis poſſet a mutuo; ſi tamen utræque abſint, nihil diſcrepat. Quod enim redimibile in emtoris gratiam, & ſine ipſius periculo eſt, ita pecuniam reſtituendam præſtat, ac ſi mutuum ſub pignore, vel hypotheca datum ſit. Cum porro altera ex his conditionibus deficiente, injuſtitia aliqua ſemper immineat, facileque ſubrepta uſuræ, ut hactenus vidimus; utraque conditio in praxi omnino jungenda, ac exigenda eſt, ita ut ſoli venditori relinquatur redimendi libertas, & res, vel cenſus emtoris periculo ſit.

Ad mutuum, & uſuram vitandam non ſufficit pecuniam abſolute repeti non poſſe.

73. Hoc ut magis, magiſque confirmem, libet nonnullorum ſententiam refellere, qui, periculi conditione neglecta, ad mutuum, & uſuram vitandam ſatis eſſe putant, ſi data cuivis pecunia, nulla interveniente emtione rei, aut fundi fructiferi, facultas ejuſdem pecuniæ repoſcendæ non permittatur. Moventur quidem illi vehementiſſima, uti videtur, ratione. Cum pecunia, inquiunt, repeti nequit ab eo, qui dedit; reſtitutionis obligatio nulla eſt, nec mutuum eſſe poteſt, cui eſt eſſentialis reſtitutionis obligatio. Hinc dum non exigatur reſtitutio pecuniæ, lucrum citra uſuram percipi poſſe opinantur, cum uſura ſine mutuo ſtare non poſſit. Vide autem fallaciam.

Emendum eſt aliquod fructiferum.

74. Uſuræ malitia ex eo eſt, quod quis lucratur ex pecunia ad conſumtionis uſum tradita, quæ ſterilis, & infecunda fructum parere nequit, ut pluribus probavimus l. V. de jure naturali circa Uſuram c. 5. Porro ſi nihil pecunia fecundum ematur, ex quo legitimus fructus redeat, ęque ex pecunia fructus, & lucrum quæritur, ſive ea ad tempus, ſive in perpetuum ſub lucro cuipiam credatur. Hinc a fœnore nemo liberaret illum, qui pecuniam Montibus Pietatis cenſui vendendo impotentibus, ſine ullo titulo traderet in perpetuum, ut in perpetuum de penſione reſpondeant.

ant. Mutuum hoc quodammodo perpetuum, & perpetuum fœnus eſſet. Ad mutuum quidem reſtitutionis obligatio per ſe neceſſaria eſt, qua per ſe tardè reddendum ſit. At cum huic mutuo conditio adjici poſſit non repetendi quod per ſe reddendum eſt, quoad uſura ſolvetur, hæc conditio per accidens, & extrinſece appoſita cum abeſſe poſſit, ſicut non tollit obligationem reſtituendi per ſe, ita nec mutuum per ſe, nec abſolutam, & intrinſecam mutui naturam tollit. Qui ad incertum tempus mutuum dedit, ut quoties ſibi libeat, reſtitutionem poſſit exigere; etſi forte nunquam exigat, mutuum non deſtruit. Qui item ſub conditione mutuum dat, poteſt eam conditionem apponere, qua ſtante, nequeat mutuum repetere. Cum vero hac deficiente, creditor debitorem ad reſtituendam pecuniam adigere poſſit; hæc reſtitutionis obligatio per ſe, etſi intra conditionem coercita, ſufficit ad mutuum, ita ut uſura ſit, ſi quod inde exigatur. Sic L. 4. D. *De pactis* uſura dicitur, quod percipiebatur ſub conditione reſtitutionis repetendæ per eam formulam, ut *donec uſura ſolverentur, ſors non peteretur*. Similis eſſet contractus Antichriſeos, quo domus habitanda traderetur, donec debitor pecuniam non reddet, quod tamen uſurarium eſſet. Vide L. 14. D. *De Uſuris*. Ille, qui uſuræ damnatus ab Alexandro III. C. *Ad noſtram*, *De jurejurando*, acceptis poſſeſſionibus loco pignoris juramentum a debitore exegit, ne ſuper illis inferret ſibi moleſtiam, *donec ſolveret ſibi pecuniam*, pecuniam ſine repetendi facultate, immo cum voluntate ne redderetur unquam, credidiſſe videtur. Cum pecunia in perpetuum ſub lucro creditur ſine ulla emtione rei, aut cenſus fructiferi, non minus mutuum, & uſura eſt, quam ſi ad tempus credita fuiſſet: & ſolum iſtud mutuum, & fœnus temporale, illud autem, ut dixi, quaſi perpetuum eſt.

Ad emendi voluntatem inducendam ſubeundum eſt periculum rei emtæ, vel cenſus.

75. Itaque ſi ſola repetendæ ſortis ademta creditori facultas nequaquam ſufficit ad mutuum, & uſuram vitandam, ſed prætérea veram emtionem rei, aut cenſus fructiferi contrahi neceſſe eſt; quis non videat in memoratis contractibus utrumque hoc jungendum eſſe, non tantum ut nulla reſtitutionis, aut redemtionis obligatio venditori imponatur, verum etiam ut vera, ac ſincera emtio contrahatur? Cum vero in iiſdem conditionatis contractibus nulla alia veræ emtionis diſcernenda ab uſurario contractu antichriſeos, & hypothecæ notio ſit, niſi periculum emtori maneat, ut ſuperius ſtatuimus; ad vitandam uſuram, præter pactum redemtionis ſoli venditori relictum, rei, vel cenſus emti periculum emtoris ſit, ut retrovenditionis quidem pactum hiſce contractibus adjectum omnino efflagitat, quemadmodum num. 66. demonſtravimus.

§. VII.

Ex hactenus dictis colliguntur duo legitimi contractus pro mutuo ineundi, ut ſubveniatur privatis, & publicis neceſſitatibus citra uſuram. Quid agendum ſit, ubi emtio perpetua cum redemtionis pacto ex fideicommiſſis locum non habeat. Quid de pauperibus, aut iis, qui ex induſtria perſonali vitam ſuſtentant.

76. HI ergo contractus, ſive emtionis fundi cum pacto retrovendendi, aut etiam cum locatione, ſive emtionis legitimi realis cenſus, aut locorum Montium, cum memoratis juſtis conditionibus

bus (1) ineantur, ubi pecunia cum honeſto lucro citra uſuram collocanda ſit: & hac ratione neceſſitatibus ſive publicis, ſive privatis ſuccurrere licebit, uti neceſſitatibus Montium Pietatis per hoſce contractus ſubveniendum, & Summi Pontifices, & Epiſcopi probarunt. Dices, hæc locum habere, cum de iis indigentibus agitur, qui bona immobilia, ac fructifera habent, quæ venditioni redimibili, aut cenſui ſubjiciant. At nonnulli ita undequaque fideicommiſſis adſtricti ſunt, ut eorum prædia hos contractus non ferant: alii autem ſunt pauperes, qui omni prædio, & re immobili, ac fructifera carent. Itaque his, ſi egeant, nullum neceſſitatis ſubſidium præſto eſt. Invictum, ut videtur, argumentum. At poſtquam pauca dixero, nemo, ut arbitror, reclamabit.

De iis, qui fideicommiſſis obligantur.

77. Et primo ſi de iis, qui fideicommiſſis undequaque adſtringuntur, ſermo ſit; ii eadem de cauſſa, qua nullius prædii, aut perpetui cenſus redimibilis venditionem facere queunt, haud facile invenient, qui pecuniam iiſdem etiam ſub fœnore credant; ſemper enim de reſtitutione, ac ſolutione metum injiciunt. Fruſtra ergo iſtorum conditio ad uſuræ neceſſitatem adſtruendam adducitur. Deſperata tamen iſtorum neceſſitas non eſt, cum locare poſſint aliquod prædium ad tempus certum, vel ad vitam, aut cenſum temporalem, ſeu vitalitium vendere, iis conditionibus æquis, quas paragrapho ſequenti pluribus exponemus. Horum, qui fideicommiſſis ligati prohibentur alienare fructus, aut uſumfructum in perpetuum, ſimilis plane conditio eſt ac veterum Hebræorum, qui cum promiſſæ terræ non eſſent domini, ſed uſufructuarii ad vitam, fideicommiſſo quoddam tenebantur; nec non Monaſteriis ſimiles, quorum bona, præſertim immobilia, cum prohibeantur alienari, nec in Rectorum dominio ſint, ſed ad neceſſarium, utilemque temporarium uſum, quandam fideicommiſſorum imaginem referunt. In neceſſitate tamen nec Deus deſeruit Hebræos, quibus cenſum quendam temporalem, & redimibilem vendendum permiſit, ut Capite ſequenti explicabitur; nec Clemens V. in Viennenſi Concilio Monaſteriis defuit, cum eorum Præſidentibus adimens facultatem concedendi, ſeu vendendi eorundem Monaſteriorum *jura, redditus, aut poſſeſſiones alicui ad vitam ejus ſeu aliud certum tempus*, ut fiebat; hunc caſum excepit, *niſi neceſſitas, aut utilitas Monaſterii, Prioratus, Eccleſiæ, aut adminiſtrationis ejuſmodi hoc expoſcat*. Non conceſſit hoc Decreto alienationem; fideicommiſſum, ut ita dicam, non ſuſtulit; ſed quod in fideicommiſſo fieri poteſt, ex neceſſitate, ac utilitate permiſit, ut temporaria cenſus conceſſio, aut venditio fieret. Quidni ſimile quiddam in fideicommiſſis fieri poterit? Quin alia etiam via Romani Pontifices nonnullis Nobilibus fideicommiſſo obligatis ſuprema Principis auctoritate ſuccurrerunt. Cum ad diſſolvendum maximum æs alienum venditio cenſus temporalis, aut vita-

In Clement. De rebus Eccleſ. non alienand.

(1) Emtiones quidem fundi cum pacto retrovendendi, aut etiam cum locatione, ad uſuram vitandam, inductæ fuerunt Bononiæ, Mantuæ, Mediolani, Papiæ, Senis, Ferrariæ, Veronæ, Imolæ, Lucæ, Parmæ, Patavii, Piſtorii, Vicentiæ, in ditione Montis Ferrati, & Pedemontana, Gratianopoli, Avenione, in Regno Galliæ, Burgundiæ, Luſitaniæ, & aliis locis, uti allegatis teſtibus probat Cæſar Manentus *De Jure contractus livellaris* quæſt. 1. Emtiones autem cenſuum, utpote expeditiores, facilius, & communius obtinuerunt.

talitii nonnullis 'nihil habentibus liberum, haudquaquam ſufficeret; ut cenſum ex ſe perpetuum poſſent vendere, ſuſpendendum fideicommiſſum quidam Pontifices judicarunt, quoad redimeretur. Vide Conſtitut. 79. Clementis X. in Urſinorum gratiam tom. 7. noviſſimi Bullarii, ubi & aliæ ſimiles Conſtitutiones allegantur. Si hoc extremum remedium ſola extraordinaria principatus auctoritate adhibendum fuit; ſignum eſt, quod neque in hiſce anguſtiis vulgarem modum pecuniæ ſub lucro credendæ licere, ſed uſurarium eſſe Romana Sedes certiſſime credidit. Si hunc ergo modum ego approbare non poſſim, quis rigori tribuet? Vides interim quot viis licitis ſuccurri hominibus etiam fideicommiſſo obligatis poſſit.

Quid dicendum de iis, qui ſola induſtria lucrantur.

78. De his autem, qui omni re immobili, atque fructifera carent, ſi negotiatores ſint, quomodo opitulari iiſdem citra uſuram queat, pluribus exponam Opuſculo ſequenti. Si autem ſint omnino pauperes, aut induſtria vitam ſuſtentent, quibus nulla ex memoratis viis ſubveniri poſſit, ego autem nullam aliam lucri ex iis captandi viam poſſim ſuggerere; nemo mihi ſuccenſeat, quandoquidem nullam aliam neque Pontifices, neque Epiſcopi potuerunt reperire, etſi in anguſtiis Montium de maximis pauperum neceſſitatibus ageretur. Perſonalem quidem cenſum nonnulli proponunt, qui cum pauperibus labore manuum victum quærentibus contrahi poſſit. Si hic cenſus univerſim licitus, & in conſcientia tutus habitus ab Epiſcopis, & Summis Pontificibus fuiſſet; profecto in quæſtione de Montibus non tanto ſtudio, & conatu laboraſſent, ut contractum aliquem licitum pro mutuo invenirent. Difficilis, nec ſatis obvia erat via in emtionibus fundi, vel cenſus realis, cum Montes fere bonis immobilibus carerent; unde opus fuit civitatum, vel hoſpitalium bona interponere, ac per varios circuitus multorum contractuum remedium invenire. Expeditior, & facilior fuiſſet perſonalis cenſus; de quo ſi nemo cogitavit, id non alia de cauſſa factum videtur, niſi quod Eccleſiæ hic contractus probatus non fuit. Hoc graviſſimum eſſe deberet adverſus perſonales cenſus præjudicium. Sed ut hunc cenſum, quem nonnulli hodie naviter ſtudent defendere, ad exactiores calculos revocem, juvat nonnulla, partim ab auctoritate, partim a ratione proponere, ex quibus qui perſonalis cenſus licitus, vel illicitus ſit, cognoſcetur.

De cenſu perſonali.

§. VIII.

De perſonali cenſu, nec non de reali non perpetuo, qui ad certum, vel incertum tempus emitur, vel ad vitam. De locis Montium vacabilium, quæ cenſus quandam ſpeciem referunt, mediam inter perpetuum, & temporalem. De juſto bonorum cenſuum pretio, conditionibus, ac jure penſionis exigendæ.

Argumenta pro perſonali cenſu a nonnullis allata.

79. PErſonalis cenſus originem, & auctoritatem nonnulli ex antiquiſſimis temporibus ducunt, in quibus ſervi ſemper fuerunt, qui jus in ſua opera venderent. Addunt in Evangelio probari cenſum, qui per capita Cæſari pendebatur: hic autem perſonalis cenſus eſt, qui vendi potuiſſet a Cæſare. Idipſum alii dicunt de annuo quodam cenſu per ſingula capita ad miniſterium templi indicto 2. Eſdræ c. 10., qui erat cenſus perſonalis. Quædam officia, quæ Romæ veneunt, nonniſi perſonales redditus pariunt. Confirmant nonnulli ex Nicolai V. Bulla ad petitionem Alphonſi

Digitized by Google

phonſi Regis Aragoniæ edita pro cenſibus Regni Siciliæ, quibus perſonæ non minus, quam immobilia bona erant obligata. Rationem afferunt, quia ſicut perſona locare opera ſua poteſt, ita & poteſt jus in eadem opera, vel in pretium eiſdem operibus acquirendum cuipiam vendere. Sed in his multa perperam confunduntur, quæ ut recte ſeparentur, propria perſonalis cenſus natura ſtatuenda eſt. Id aliquot propoſitionibus conficiam.

Cenſus ſoli ſubjecto fructifero imponi poteſt.

80. *Cenſus eſt jus percipiendæ annuæ penſionis e ſubjecto fructifero, ac proinde in re, vel perſonâ fructifera conſtituendus eſt, non autem in ſterili.* Cum enim cenſus ſit jus in penſionem annuam cuipiam ſolvendam; tanquam fructus annuus habetur, qui a re, vel perſona ſterili fruſtra exigetur. Quod nullos fructus parit, penſionem ex ſe præſtare nulla poteſt; cumque nulla ſit emtio ejus, quod non eſt; nulla poteſt eſſe emtio fructus, & penſionis annuæ ejus rei, vel perſonæ, quæ nullum fructum, ac penſionem progignit. Hinc ſicut nullus eſſet realis cenſus in ſterili omnino ſolo conſtitutus, qui cultura qualibet fructum nullum parere poſſet; ita nullus perſonalis cenſus in perſona conſtitui poteſt, niſi quatenus per opera, & induſtriam fructifera eſt. Et quemadmodum jus in penſionem annuam e rei fructiferæ fructibus percipiendam eſt cenſus realis, ita *jus penſionis exigendæ ex perſonæ operibus, vel induſtria, perſonalis cenſus* vocatur.

Quid ſit perſonalis cenſus.

Sola obligatio perſonæ non eſt cenſus.

81. Scio quidem nonnullis placuiſſe perſonalem cenſum collocare in jure percipiendæ quocunque modo annuæ penſionis a perſona, quæ ſe huic penſioni ſolvendæ obliget, etſi non ex operibus, aut induſtria ſe obliget. At hæc obligatio cum omni uſuræ communis ſit; poſſet hujus penſionis nomine omnis uſura excuſari, ut Cardinalis de Lugo obſervavit diſp. 27. ſect. 2. n. 25. Quicunque pecuniam perſonæ tradit ſub uſuris, obligationem perſonæ imponit annuæ penſionis ſolvendæ, quoad ſortem reſtituat. Hæc autem perſonæ obligatio, ſi verum jus perſonalis cenſus exigendi afferat, quod ab uſura excuſet; uſura, inducto cenſus nomine, nuſpiam invenietur.

82. Dices fortaſſis, uſuram eſſe, cum penſio pro uſu pecuniæ mutuæ exigitur; ſi autem ematur jus percipiendæ annuæ penſionis cum obligatione perſonæ, penſionem emti juris cauſſa provenire, quod ab uſura alieniſſimum eſt, ſi præſertim pecunia, qua id jus perſonale eſt emtum, repeti nequeat: id enim, quod repetendi, aut reſtituendi obligationem non inducit, mutuum eſſe non poteſt. At repetendi obligationem non abſolutam, ſed conditionatam ad mutui naturam ſufficere oſtendimus num. 73., unde uſuram ipſis quoque Romanis legibus illam appellatam vidimus, qua quis pecuniam cuipiam dedit non repetendam unquam, quandiu uſuræ penderentur. In ipſis abſolutis emtionibus, etſi abſolute in perpetuum alienetur pecunia, nunquid tamen fructum pariet, ſi res infructifera ematur? Videndum ergo, num qui pecuniam in perſonali cenſu collocans, jus emere dicitur, num, inquam, ſine opera, & induſtria perſonali jus in perſonalem fructum inutiliter emat. Cum ſervi emebantur, pro ratione operum, & induſtria æſtimatio fiebat. Mera obligatio perſonalis ſine ſubiecto fructuoſo ſterilis eſt, quæ annuum redditum præſtare nequit; ſolamque obligationem ſolutionis aliunde debitę innuere poteſt. non autem obligationem fructuum niſi fœnebrium, qui non vi naturalis fructus, ſed *vi obligationis* perſonalis provenientes, uſura appellantur a Pomponio L. 121. D. *De verborum ſignificatione*. Itaque hac nonnullorum definitione perſonalis cen-

cenſus jamdiu exploſa, ſtare debet, cenſum perſonalem jus eſſe penſionis annuæ ex perſonæ operibus, atque induſtria percipiendæ.

83. *Cenſus alius ex ſe perpetuus, alius temporalis eſt, alius vero medius, qui ita certis conditionibus alligatus eſt, ut perpetuus eſſe poſſit, vel tempore finiri.* Singula ex definitionibus ſubjiciendis patebunt.

Cenſus perpetui definitio.

84. *Cenſus ex ſe perpetuus eſt jus percipiendi fructus in perpetuum, quod jus ex ſe perpetuo duraturum eſt, niſi redimatur.* Non eſt neceſſe cenſum, ut ex ſe perpetuus ſit, ementi perpetuum durare, cum redimi, & finiri poſſit: ſed ementi perpetuo duret oportet, niſi redimatur. Sic Clemens X. Bull. 79. Montem Urſinum erigens, licet redemtionem ejus Urſinis præceperit poſt annos viginti inchoandam; cum tamen niſi redimeretur, emtoribus non finiret, his *Montem ipſum, quoad fuerit extinctus, perpetuum eſſe* declaravit. Adde, quod cenſus ratio in jure percipiendi fructus ſita eſt; quod jus, ſi ex ſe perpetuum ſit, ut perpetuus cenſus requirit, ex ſe perpetuum duraturum eſt, non ſolum apud emtorem, niſi redimatur, ſed etiam cum redimitur apud venditorem, ad quem per redemtionem perpetuo revocatur. Dixi *ex ſe*, hoc autem non impedit, quin caſu aliquo fortuito cenſus perire poſſit, ut ſi domus cenſui ſubjecta incendio, aut terræmotu pereat. Id enim ſi contingat, non per ſe, ſed *per accidens* erit: & ſicut fundus *ex ſe* perpetuus dicitur, licet per accidens poſſit deficere; ita & cenſus, qui per ſe perpetuo diuturnus ſit, perpetuus eſt, licet ex accidenti perire queat.

Tom. 7. noviſſ. edit. Bullarii pag. 138. n. 5.

Cenſus temporalis definitio.

85. *Cenſus temporalis eſt jus percipiendi fructus ad tempus, quod jus perpetuo durare nequit, etiamſi non redimatur, ſed ex ſe finire debet.* Cum jus ejuſmodi eſt, ut, etiamſi non redimatur, debeat finire certo, vel incerto tempore; hoc temporale jus temporalem cenſum conſtituit. Certo tempore finit jus percipiendi fructus ad annos ex. gr. quatuor, vel decem: incerti autem temporis eſt jus ad vitam, vel ad conditionem incertam, cujus incertum tempus aliquando tamen adveniet. Si quis emat jus percipiendi fructus quoſdam ad annos quatuor, exactis quatuor annis finiet cenſus, etiamſi non redimatur: & ſimiliter in jure vitalitio, tametſi de eo redimendo nemo cogitet, cum morte illius, cui vitalitium jus alligatum eſt, totum ejuſmodi jus cenſuale extinguitur.

Cenſus medius, ſeu vacabilis definitur.

86. Cenſum medium appello *jus percipiendi fructus annui per reſignationem perpetuo duraturum, niſi redimatur; finiturum vero aliquando, ſi mors reſignationem antevertat.* Ejuſmodi ſunt plura loca Romanorum *Montium vacabilium*, quibus jus emitur in annuum redditum cum facultate reſignandi; ita ut, ſi ſtatis conditionibus reſignentur, in alios tranſeant: ſecus vero per mortem vacent. Itaque jus iſtud ex parte perpetuum eſt, quatenus ſemel emtum ita per reſignationem transferri opportune in alios poteſt, ut nunquam vacet: cum tamen mors inopinato reſignationem poſſit prævenire, & eo caſu vacaturum ſit, de temporali cenſu ſimul participat. Hinc medius quidam cenſus inter perpetuum, ac temporalem appellandus viſus eſt. *Vacabilem* Romani vocant. Redemtionis facultas nonnunquam his locis Montium in venditorum gratiam adjicitur.

De locis Montium vacabilium.

87. *Cenſus perpetuus ita conſtitui poteſt, ut ſemper redimibilis ſit, & cum redimitur, ceteris paribus, eodem pretio ſemper redimendus eſt: & ſimiliter cenſus medius vacabilis, quatenus perpetuus eſſe poteſt ſub conditione reſignationis, ſemper poteſt*

eodem

Digitized by Google

eodem pretio redimi: temporalis autem nec ſemper poteſt redimi, nec ſemper, cum redimitur, eodem pretio redimi poteſt. Cum cenſus perpetuus ex ſe perpetuo duraturus ſit, perpetuo redemtionis onere affici poteſt, ita ut ſemper in perpetuum redimibilis ſit; & quovis exacto tempore ſi redimatur, jus, quod in ejuſmodi cenſu redimetur, ſemper erit perpetuum, ac proinde ex ſe, ceteris paribus, eodem pretio ſemper æſtimandum, ac redimendum erit. Hinc ſicut campus, qui emitur ducatis centum, ceteris paribus, poſt quodcunque tempus eodem pretio ex ſe poteſt vendi, quia ex ſe ſemper eſt idem, ac idem pretium meretur: ita etiam cenſuale jus perpetuum in certum redditum, ſi ducatis centum ematur, quia perpetuum eſt; cum poſt quodvis tempus æque ſit perpetuum, æquali ſemper pretio vendi, & redimi poterit. Idipſum dicendum de cenſu medio vacabili, qui ex ſe, ſi opportune reſignetur, poſt quodcunque tempus æque poteſt eſſe perpetuus: unde loca Montium vacabilia cum pretio reſignantur, eodem ſemper pretio, ceteris paribus, venire queunt. At in cenſu temporali ſecus eſt. Cum enim temporale jus in annuum redditum, certo, vel incerto tempore ſit duraturum, redimi nequit, niſi antequam tempus eidem præſtitutum tranſeat; exacto enim hoc tempore, jus nullum ſupereſt quod redimi poſſit. Cum vero ante finem redimitur, non ſemper eodem pretio redimendum eſt. Si nempe plures anni ad finem cenſus deſint, plus juris redimibilis ſupereſt, quod pluris æſtimatur, quam ſi deſint anni pauciores. Fac a Paullo legati ſint Petro ducati quinquaginta annui ad annos decem, vel ad vitam ejus. Jus hoc ſi Petrus venderet, temporalem cenſum venderet, qui poſt annos decem, vel poſt vitam ejus, cum omnino deſierit, redimi non poteſt.

Cenſus perpetuus eodem pretio redimibilis.

Idem eſt de cenſu medio, ſeu vacabili.

Non item de temporali.

Si vero ante hunc finem redimatur a Petro, non æquale pretium rependere debet, ubi duo, ac ubi ſex, vel octo anni &c. redimendi ſuperſint; quanto enim plures anni prӕterierunt, in quibus cenſualis redditus ab emtore perceptus fuit; eo minus percipiendum ſupereſt, quod minori pretio æſtimatur. De juſto autem cujuſque cenſus pretio inferius dicemus. His præmiſſis, ad perſonalem cenſum redeamus.

88. *Cenſus perpetuus, ſeu jus percipiendi fructus in perpetuum e ſubjecto fructifero, ſubjectum ex ſe perpetuum exigit, ac proinde immobile, vel pro immobili habitum, quod perpetui fructus producendi capax ſit: & eatenus perſonalis cenſus perpetuus impoſſibilis eſt*. Cenſus ſubjectum debere eſſe ſua natura fructiferum vidimus num. 80. Ad cenſum autem perpetuum exigi ſubjectum fructiferum, ac ex ſe *perpetuum*, quod proinde immobile ſit, vel pro immobili habeatur, aperta definitione Eccleſiæ, & evidenti etiam ratione probari poteſt. Definitionem Eccleſiæ proponit Sanctus Pius V. in Bulla de cenſibus his verbis: *Hac igitur noſtra futura Conſtitutione ſtatuimus, cenſum, ſeu annuum redditum* (de cenſu ex ſe perpetuo loquitur) *creari, conſtituive nullo modo poſſe, niſi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, de ſua natura fructifera*. Non ait *cenſum non eſſe conſtituendum*, ſed *creari, conſtituive nullo modo poſſe*; quæ formula non poſitivum, & mutabile, ſed naturale, ac neceſſarium omnino jus declarat. Non alii cenſus ab Eccleſia probati, niſi qui hujuſmodi fuerunt, ut ex univerſis Apoſtolicis Conſtitutionibus cenſus approbantibus liquet. Ratio etiam manifeſta eſt: cenſus enim, ſeu jus perpetuum ſubjecto non perpetuo imponi nequit. Eſto enim, quod hoc cenſuarium jus redimibile ponatur; cum tamen ex ſe perpetuo durare de-

Cenſui perpetui ſubjectum immobile eſſe debet, vel quod pro immobili habeatur.

Digitized by Google

beat, ſive apud emtorem, ſi non redimatur, ſive apud venditorem, ſi illud redimat; ſemper ex ſe perpetuum ſit oportet, ac proinde ſubjectum perpetuum exigit, cui perpetuo inhærere queat. Secus cum cenſus in ſubjecto ex ſe non perpetuo conſtitutus perpetuus eſſe nequeat, ſi emeretur tanquam perpetuus, emeretur quod non eſt; ac nulla propterea eſſet emtio, quæ ſubjectum incapax reſpicit.

Perſona incapax cenſus perpetui.

89. Quod porro de perſonali cenſu in propoſitione additum eſt, ex dictis luculentiſſime ſequitur. Si enim perpetuus cenſus, qui ex ſe perpetuo duret, quoad redimatur, ſubjectum immobile ex ſe perpetuum requirit; ſingularis utique perſona, quæ vitæ limitibus coercita, & idcirco mobilis, perpetuum durare nequit, cenſus ex ſe perpetui incapax eſt: nam fruſtra quidem ex ea quis emeret jus perpetui redditus, quem ex ſe præſtare non poteſt. Neque forte Nicolaum V. objicias, qui in literis an. 1452. ad Aragoniæ Regem, cenſum probans ex ſe perpetuum, una cum bonis ſtabilibus perſonas complexus eſt: cenſus enim eidem propoſitus, & ab eodem approbatus realis fuit, conſtitutus ſuper *domibus*, *poſſeſſionibus*, *& proprietatibus ſpecialiter*, *vel etiam generaliter ſuper omnibus bonis*, *redditibus*, *& emolumentis*, *juribus*, *& rebus eorum*; perſona autem evictionis tantum cauſſa, & in cautionem penſionum poſtea adjicitur, ut ne ſuper perſona ipſa cenſus imponi uſpiam tradatur, quemadmodum legenti patebit. Quod ſi cenſus communitatum tributis impoſitos apponas; licet hæc tributa e ſingularibus perſonis exigantur, quatenus tamen exiguntur non a ſingulis, ſed ab univerſa communitate, quæ in perpetuum duratura eſt, pro *immobilibus*, ac ex ſe perpetuis bonis habentur; quæ Pius V. in laudatis verbis complexus eſt, uti probat Leotardus de Uſuris quæſt. 46.; unde nihil mirum, ſi ad realem cenſum de ſe perpetuum, ac immobilem ſuſcipiendum apta ſunt. Idem eſt de officiis publicis, quæ a perſonis ſibi perpetuo ſuccedentibus geſta, redditum perpetuum afferre queunt. Alia autem ratio eſt ſingularis perſonæ, quæ vitæ termino circumſcripta, perpetuum durare non poteſt. Hæc ſimilis eſt ceteris animalibus, quæ etſi fecunda, atque utilia, uti equi, oves &c., quia tamen horum vita non eſt perpetua, inquit Cencius de *Cenſibus* part. 1. c. 3. q. 1. 2. 4. n. 17., perpetuum cenſum ferre non poſſunt. Idem dicendum de quavis *perſona induſtrioſa*, *& lucroſa*, ait Conradus Summenbart *de Contractibus* quæſt. 83. concluſ. 12., nam *ex quo non perpetuo durat*, *ideo in ea non poſſet perpetuus redditus fuiſſe conſtitutus*.

Confer dicta num. 70.

Communitates, & officia publica pro immobilibus habentur.

Alia eſt ratio perſonarum ſingularium.

Perſonæ ſolius temporalis cenſus capaces.

90. *Solus temporalis*, *aut vitalitius cenſus*, *qui intra certos*, *aut incertos annos extinguatur*, *in perſonam cadere poteſt*. Quod enim ſua natura perpetuum eſſe nequit, ſed tempore finitur; ſi fructiferum ſit, ſicut temporalis fructus, non autem perpetui capax eſt; ita temporalem cenſum, non autem perpetuum capere poteſt. Itaque ſingulares perſonę, quę perpetuum vivere nequeunt, ſolius temporalis fructus, & cenſus capaces ſunt, quo jus ematur in penſionem certo tempore, aut vita finiendam, non autem perpetui, quo jus ematur in penſionem perpetuo habendam ex perſona ipſa, in quam nihil perpetuum cadit.

91. *Cum in emendo temporali cenſu jus ematur non perpetuum ex ſe*, *quod redimatur*, *ſed temporale*, *quod certo*, *vel incerto tempore finietur*; *hoc temporale jus*, *temporalis cenſus proprium*, *non pro æſtimatione cenſus perpetui æſtimandum eſt*, *ſed pro ſola æſtimatione penſionum*, *habita ratione quantitatis earundem*, *ac temporis*, *nec non periculi*, *ſi quod adſit*, *& nonnunquam etiam ejus*, *quod intereſt*. *Eatenus perſonalis*

Digitized by Google

nalis cenſus temporalis pro ſola penſionum æſtimatione emi poteſt. Cum propoſitionem explicavero, & probavero, ſingula intelligentur. Regulam æſtimandi temporalis juris, vel cenſus, pro ſola æſtimatione penſionum &c. ipſa præfixit Scriptura Sacra. Ita enim apud Hebræos, inter quos ſolus licebat temporalis, cenſus etiam realis, qui Jubilei anno ceſſaret, pro penſionum æſtimatione emendus, & vendendus erat, habita ratione quantitatis penſionum, ac temporis, ut liquet ex illis Levitici c. 25. v. 14. *Juxta numerum annorum Jubilei emes ab eo; & juxta ſupputationem frugum vendet tibi. Quanto plures anni remanſerint poſt Jubileum, tanto creſcit & pretium: & quanto minus temporis numeraveris, tanto minoris & emtio conſtabit: tempus enim frugum vendet tibi*. Quo plures ſcilicet anni Jubileum præcedebant, eo majus pretium pro plurium redituum, ac fructuum ratione ſolvendum erat. Ita porro cum redemtionis pactum in hoc quoque cenſu adjectum eſſet in venditorum gratiam: id intelligebatur de redemtione ante Jubileum, cum jus aliquod ſupereſſet, quod redimi poſſet; & hoc redemtionis caſu pretium non totum, quantum datum, & acceptum fuerat, rependendum erat, ſed quantum reſponderet æſtimationi fructuum annorum, qui ad Jubileum deerant, ut ex verſ. 26. & 27. palam fit, ubi legitur: *Si ipſe pretium ad redimendum potuerit invenire; computabuntur fructus ex eo tempore, quo vendidit; & quod reliquum eſt, reddet emtori*. Si ex. gr. cum ad Jubileum erant anni quadraginta, emtus fuit cenſus ducatis quadringentis; poſt annos autem viginti redimere illum venditor cuperet; ſolvendi erant ducati ducenti pro fructibus viginti annorum, qui ad Jubileum ſupererant. Si vero ipſo Jubilei anno redemtio facta non fuiſſet; fructibus in ſolutum computatis, ſine ullo pretio cenſus terminabat. Idem valebat in perſonali quoque cenſu, quo perſonarum opera in ſervitutis ſpeciem venibant, ut ex eodem capite Levitici conſtat a Verſu 47., & præcipue 50.

Cenſus temporalis pro penſionum æſtimatione emendus ex Levitico.

Quatenus eſt redimibilis.

Idem ex Levitico valebat in cenſu perſonali.

92. Neque legale, & poſitivum, ac Judaicæ Reipublicæ proprium, ſed naturale, & commune eſſe hoc jus ratione probare licet. *Temporalem cenſum pretio cenſus ex ſe perpetui æſtimari non poſſe* ipſa ratio dictare videtur. Pretium perpetui cenſus illud eſt, quo jus emitur percipiendi annui fructus in perpetuum, quoad redimatur, (hæc enim eſt perpetui cenſus natura) & cum hic cenſus redimitur, eodem pretio eſt redimendus, ut num. 87. explicavimus. Sic ducati centum, quibus jus ematur percipiendi ducatos quatuor ex re fructifera in perpetuum, perpetui juris pretium ſunt, quod eſſet rependendum, ſi idem jus redimeretur. Hoc autem pretio perpetui juris proprio non eſſe æſtimandum temporale jus, quod tempore finietur, quodque nec ſemper redimi poteſt, neque ſemper, cum redimitur, eodem pretio redimendum eſt ex allegato num. 87. res per ſe clara videtur. Quis enim ducatis centum, quibus emi poteſt jus perpetuum in ducatos annuos quatuor, emat jus in totidem ducatos ad biennium, vel triennium tantum? Non negaverim, ſi pretio juris perpetui cenſus ematur e re fructifera, quæ perpetui cenſus ferendi capax eſt, uti prædium, domus &c., cenſum vere perpetuum emtum iri, dum nihil obſtet. At ſi vel ſubjectum fructiferum per ſe non ſit capax perpetui cenſus, quia mobile, & temporale eſt, uti oves, perſonæ &c., vel etſi ſubjectum ſit perpetui cenſus capax, non tamen ematur, vel emi poſſit niſi jus temporale, ut in fideicommiſſis, legatis ad tempus perpetuo fundo impo-

Hoc non legale, ſed naturale jus fuit.

Temporalis cenſus pretio perpetui cenſus non æſtimandus.

ſtis, quorum jus uſufructuarium cenſui idoneum temporale, ad tempus vendi ab uſufructuario, vel legatario poteſt; tum ejuſmodi cenſus, uti temporalis, pretio perpetui juris emendus non eſt: idemque accidet, ſi venditoris voluntate, aut venditionis ratione ſolum temporale jus ematur, & in contractum cadat. Equidem quemadmodum hoc jus temporale non eſt perpetuum; ita perpetui juris pretio æſtimari, & emi nequit. Cum enim in omni emtione emitur quod vere eſt, non autem quod non eſt, tum vero in temporali cenſu ſolum jus temporale, quod eſt, in emtionem cadere debet; non autem jus perpetuum, quod non eſt, nec venditur. Itaque ducati centum non ita ſolvendi ſunt pro temporali jure ducatorum quatuor, ac ſi eſſet perpetuum; emeretur enim quod non eſt. Sic in vitalitio, quo cenſuale jus ad vitam emitur, ſi quis jus perpetuum perpetui juris pretio emeret, is emere diceretur quod non eſt: & hac quidem de cauſſa in vitalitiis ſicut nemo jus perpetuum emit, aut emere poteſt; ſic nemo de temporali jure emendo perpetui juris pretio cogitavit.

Temporalis cenſus non ita redimibilis eſſe poteſt ac cenſus perpetuus.

93. Quod in temporali cenſu æſtimando homines fallit, illud eſt, quod ita redimibilem temporalem cenſum exiſtimant, ac cenſum perpetuum: ac proinde cum poſt exactum cenſus tempus, idem pretium repeti poſſe credant, eodem pretio hunc, & perpetuum cenſum emi poſſe non dubitant. Hallucinatio autem ex num. 87. detegetur. Cum enim ea ſit temporalis cenſus natura, ſeu proprietas, ut non ſemper poſſit redimi, quemadmodum ſemper poteſt redimi cenſus perpetuus; nec ubi redimi poteſt, ſemper eodem pretio, quo perpetuus, redimendus ſit, ut ibidem probavimus; poſt exactum cenſus tempus redemtioni locus non eſt, cum non ſit amplius quod redimatur: intra tempus vero eidem cenſus definitum, plus, vel minus redimi poteſt, quo plures, vel pauciores anni redimendi ad cenſus finem deſunt. Pretium quidem pro ſolo redemtionis modo, ac jure repeti poteſt. In omni enim vera emtione, quæ mutuam pretii, ac rei emtæ traditionem ſortita eſt, emtionis pretium nullo jure poteſt repeti, niſi retrovendatur redimenti quod emtum fuit, ac pro redemtionis quantitate. In perpetuo cenſu, cum idem perpetuum jus ſemper retrovendi queat, totum ſemper pretium repeti poteſt. At totum ſimiliter exigi nequit in temporali, ubi nihil, vel non totum jus retrovendendum ſupereſt; & ſi quidem totum pretium nihilominus exigatur, non veri cenſus emtio, ſed mutuum, & uſura proditur. Ubi enim ſine redemtione pretium rependendum ſit, quidquid rependitur, cum non ſit redemtio ejus, quod venditum fuit; mera reſtitutio eſt pecuniæ mutui propria, ac proinde emtio cenſus interpoſita merum mutui pallium agnoſcitur, & lucrum medii temporis uſura eſt. Palam ſcilicet fit hoc cam non veram initam fuiſſe cenſus redimibilis emtionem, quæ ſola redemtione reſcindenda eſſet, ſed emtionis nomine verum mutuum, in quo data pecunia etiam ſine redemtione reſtituenda eſt, & annua penſio pro uſura creditori cedit. Equidem ſi cui quinque ducati poſt annum ex prædio ſolvendi legati ſint, is autem pecunia egens ad annum, hoc jus cuipiam venderet ducatis centum, ſub pacto redemtionis, ſeu potius reſtitutionis poſt annum, cum jus illud jam extinctum retrovendi, ac redimi amplius nequit; mutuum, & uſuram emtionis cenſualis nomine velatam omnes proclamarent. Jus in ducatos quinque anno finiendum, centum ducatis non valet, ſed ſolum perpetuum jus: & ſi ducati centum pro eo jure darentur poſt annum reddendi; non

vera

Vide Euſebium Amort in Controv. Moral. obſerv. 1. pag. 810.

vera ejus juris emtio eſſet, quæ ſine retrovenditione ejuſdem juris poſt annum reddendi diſſolvi non poſſet; ſed merum eſſet mutuum ſub pacto uſurarii lucri interim percipiendi. In cenſu ergo temporali, ſi exacto cenſus tempore reſtituendum eſſet pretium, cum nullum jam ſupereſt jus, quod redimatur, mutuum implicitum, & uſura proderetur. Ita ſane apud Hebræos, quicunque ad certos annos pretium dederant ſuper agros, vel perſonas (quod ad realem, vel perſonalem cenſum nonnulli referunt) ita tamen, ut idem pretium ſemper reddendum eſſet, fructibus non computatis in ſortem, uſuræ nomine a Nehemia damnati fuerunt Eſdræ lib. 2. c. 5. Neque credendum, Nehemiam hoc loco damnaſſe temporalem cenſum, ſive realem, ſive perſonalem, qui in Levitico probatur; ſed potius agnoſcendum eſt, cenſum verum non fuiſſe habitum, nec habendum illum contractum, in quo cum ſuper agrorum, vel perſonarum redditus pecunia traditur ad tempus reſtituenda, mutuum cum uſurario lucro, ſub agrorum, vel perſonarum obligatione, ac pignore vere contrahitur, non temporalis cenſus cujus pretium extincto cenſu reſtituendum non eſt. Hinc jure Gallicanus Clerus in Comitiis an. 1700. uſuræ palliis accenſens prop. 58. his verbis expreſſam: *Tam licet ex alienatione per annos aliquot cenſum annuum exigere, quam licet exigere cenſum perpetuum ex alienatione perpetua*; cenſum temporalem, in quo pretium, vel pecunia non alienatur niſi ad tempus, cum reſtitutionis onere, & cenſus annuus, ſeu lucrum interim percipitur, mutuo, & uſuræ deputavit. Cum ergo non ita ſemper, nec æque redimibilis ſit verus temporalis cenſus, qui ex ſua natura in dies extinguitur, ac cenſus perpetuus, qui nunquam extinguitur redimi poteſt, vel ex hoc confirmatur, temporalem cenſum emi non poſſe perpetui cenſus pretio, quod in redemtionis eventum idem ſemper rependendum eſt.

Pretium temporalis cenſus pro æſtimatione fructuum computandum.

94. Cum itaque *jus temporalis cenſus emi, & æſtimari non poſſit pretio perpetui cenſualis juris, cujus capax non eſt, pro ſola æſtimatione fructuum, vel penſionis æſtimari poteſt*. Jus nimirum cenſuale, ſeu utile, quod fundo, vel ſubjecto per ſe fructifero inniti debet, duplici tantum ratione æſtimari poteſt, vel pro æſtimatione ipſius fundi, aut ſubjecti, ita ut tanti habeatur cenſuale jus, quanti eſt ipſe fundus fructifer, vel ſubjectum, ex quo cenſualium fructuum percipiendorum jus eſt; vel pro æſtimatione ipſorum fructuum, ſeu penſionum, ita ut tanti æſtimetur jus ipſum, quanti penſiones, aut fructus percipiendi æſtimantur. Jus enim cenſuale ex ſe incorporeum cum non valeat niſi uti fructiferum; æſtimatio ejus vel ſumenda eſt a fundo, ex quo uno habet ut fructiferum ſit (jus enim non per ſe, ſed ratione ſolius fundi fructificat) vel a fructibus ſumenda, in quos jus eſt. Omne quodcunque jus utile alterutro modo æſtimari poteſt, nec mediam aliquam æſtimandi viam invenire licebit. Jura, quæ fundo, vel ſubjecto fructifero carent, uti ſunt credita, non aliam, quam penſionum, ſeu crediti æſtimationem recipiunt. Quod autem jus fundo, aut ſubjecto fructifero adhæret, ſi una cum ipſo fundo, vel ſubjecto fructifero, quod venditur, in emtorem tranſeat; tum unum, idemque eſt pretium fundi, ac pretium juris. Id verum eſt, ſive de perpetuo, ſive de temporali jure ſermo ſit. Eodem pretio, quo prædium venditur, jus etiam perpetuum in fructus ejuſdem fundi ex ſe perpetui venditur; & ſi quidem vendantur oves fructiferæ, quæ temporales fructus pariunt; eodem pretio oves, & jus temporale in earum fructus acquiritur. At ſi

jus

Digitized by Google

jus ſeparatim a fundo vendendum ſit, ut in cenſu venditur, non ſemper ad pretium, & æſtimationem fundi venditur, aut vendendum eſt; ſed quandoque ad penſionum rationem pretium definitur. Cum jus cenſuale iiſdem fundi qualitatibus præditum eſt, ita ut pro fundo ipſo æſtimari queat, eodem, quo fundus pretio vendi poteſt: ſecus autem non poteſt. Cum jus cenſuale ex ſe perpetuum iiſdem qualitatibus utilibus fundi perpetui gaudeat, adeo ut jus illud venditum pro fundo utili habeatur, nihilque ex divendito fundo acquiſitum eſſet utilius; nihil mirum eſt, ſi pari æſtimatione fundi venire queat, ut de cenſibus perpetuis diximus. Hoc caſu ita centum ducati pro jure perpetuo in ducatos annuos quatuor pendi poſſunt, ut pro fundo quatuor ducatos annuos reddente juſte penderentur. Fundus pro redditu perpetuo tanti eſt, ac jus in eundem redditum eandem æſtimationem meretur. In utroque caſu cum redditus ex ſe perpetuus ſit; quocunque tempore fuerit perceptus, ſemper perpetuus ſupereſt, ita ut jus, ſeu fundus æque perpetuum fructum afferens, eodem centum ducatorum pretio æſtimetur, eodemque retrovendi, ac redimi poſſit: ſemper enim perpetuum quiddam venditur, quod eodem pretio æſtimandum eſt. At jus temporale cum perpetuum non ſit, nec fundi perpetui qualitates ferat; ſicut nequit æſtimari ad modum juris perpetui, ut ſuperius oſtendimus, ita neque eodem fundi perpetui pretio æſtimari juſte poteſt. Quod autem cenſuale jus fundi perpetui æſtimationem non recipit, pro ſola penſionum æſtimatione poteſt æſtimari, cum nulla media æſtimandi via in hiſce juribus pateat. Itaque jus temporale in ducatos quatuor per biennium, triennium &c. æſtimari non poteſt pretio ducatorum centum, ſed pro æſtimatione penſionum, quæ biennio, triennio &c. percipientur. Fac quidem Petro legati ſint decem ducati poſt annum ſolvendi. Jus percipiendi hujus legati ſi vendendum eſſet, per ſe (ſi emtoris aliunde nihil interſit, de quo mox dicetur) ducatis decem æſtimari, & emi deberet; ita ut ſi ob anticipatam ſolutionem emeretur minoris, uſura eſſet, quemadmodum de ſolutione anticipata Auctores tradunt. Eadem ratione, ſi cui legata ſit penſio ducatorum decem per biennium, triennium, vel decennium &c., hoc jus valeret ducatis viginti, triginta, centum &c., quanti æſtimatur ipſa penſio biennio, triennio, vel decennio ſolvenda. Ratio temporis, quo penſionum ſolutio differtur, vel in partes diſtrahitur, ſi nihil hoc ſpatio emtoris interſit, non magis confert in biennium, triennium, vel decennium, quam in annum ſimplicem; & ſi quidem minoris emere jus in penſionem unius anni uſuram induceret, etiam in biennii, triennii, vel decennii jus induceret. Si ſemel hæc via aperiatur emendi juris in penſionem biennalem, triennalem, decennalem &c. pretio minori, quam ſit ipſa penſio, qui uſuræ locus ſupererit? Omnes enim centum ducatis ex. gr. ementes jus in centum & quatuor poſt annum, vel in quinquaginta duos per biennium &c. ſeſe emere dicent jus in penſionem unius anni, biennii, triennii &c., quod jus minoris æſtimatur, quam ipſa penſio: id quod abſurdiſſimum, & apertum uſuræ pallium proditur. Itaque ne hoc dicamus, jus cenſuale tempore definitum, non ad æſtimationem perpetui juris, ac fundi, quam nullo modo ſuſcipit, ſed ad penſionum percipiendarum rationem, cujus eſt capax, æſtimandum eſt.

Quatenus jus temporale diuturnius valere poſſit ſupra perpetuum jus.

95. Unam hic difficultatem opponi poſſe video, nimirum hac ratione jus temporalis cenſus ex. gr. triennarii in ducatos annuos quatuor, qui pro penſionum ratione

eo

Digitized by Google

eo ſpatio coaleſcunt, & æſtimantur ducatis centum, & duodecim, pluris æſtimandum, quam jus perpetui cenſus in ducatos totidem, quod ſolis ducatis centum vendi ſolet. Hæc una difficultas nonnullos in aliam ſententiam abduxit; mihique primum efficaciſſima viſa eſt. At melius cogitanti, ac rem introſpicienti diligentius, ſophiſma, & hallucinatio detecta fuit. Quando enim certum eſt, jus temporalis cenſus, quod perpetui juris æſtimationem ferre nequit, non eſſe ita fixum, æquabile, & conſtans, ut jus perpetuum æquale ſemper, ac perpetuum eſt, ſed varium, & inæquale eſſe, pro temporis brevioris, aut longioris diſcrimine; tum variam æſtimationem recipiat, neceſſe eſt. Ita jus in cenſum ducatorum quatuor per biennium majoris habetur, quam ſi ad annum unicum extendatur; & jus in cenſum ducatorum totidem per triennium pluris eſt, quam jus biennii, & ſimiliter dicendum de reliquis. Creſcentibus itaque annis cenſus, juris temporalis æſtimatio ex hujus cenſus æſtimatione, ac natura ſemper debet augeri, ita ut tandem hujus juris temporalis æſtimatio ducatos centum excedat, quod juris perpetui pretium eſt. Id autem ſi ex naturæ temporalis juris eſt, quæ æſtimationem juris perpetui non ferens, penſionum pro tempore computandarum rationem, & calculum ſequitur, nemo mirari poteſt, niſi qui de temporalis juris natura miretur, quam aliam probare, & perſuadere nequit. Jus perpetuum cenſuale, cum ſemper quocunque tempore idem, & perpetuum ſit, ſemper æquali pretio vendi, & emi poteſt: temporale autem ex ſua natura varium, variam æſtimationem, ac pretium capit; quod cum ad æſtimationem conſtantem perpetui juris exigi nequeat, ſed ad penſionum quantitatem, ita varium eſſe debet, ut varia eſt ipſarum penſionum quantitas, & æſtimatio. Si ergo temporalis juris æſtimatio æſtimationi perpetui juris præſtare poteſt, idcirco accidit, quia non eadem eſt temporalis, ac perpetui juris æſtimandi ratio. Illud æſtimatum ad rationem fundi, cui inhæret, fixam quandam, & æqualem æſtimationem ipſius fundi habere debuit, ne ad rationem penſionum exactum infinitam æſtimationem recipiat, nulloque pretio emi poſſit (hac enim de cauſſa ipſe fundus, ne ex infinita penſionum, ac fructuum æſtimatione inemtus maneat, certum pretium ex conſenſu hominum recepit) illud autem ad penſionum calculos æſtimatum, aliam, atque aliam æſtimationem ſuſcipiat, neceſſe eſt. Sicuti porro penſionum æſtimatio curſu temporis ſuperare poteſt æſtimationem fundi, unde penſiones percipiuntur; ut nihil tamen homines mirentur, fundum emi ducatis centum, cujus fructus curſu annorum hanc æſtimationem excedunt: ita juris temporalis æſtimatio, quæ ad penſionum rationem exigitur, curſu temporis præſtare poteſt æſtimationi perpetui juris, quæ ad fundi ex ſe perpetui normam taxatur: nihilque abſurdi in hoc invenitur. In locationibus, quibus jus quoddam, ſeu dominium utile, ac veluti cenſuale ad tempus venditur, annorum decurſu pretium efficitur longe majus, quam quo ipſe fundus emtus fuit: & ſi quis anticipata ſolutione de locatione plurium annorum ex peculiari cauſſa ſibi cavere velit, nec ex ſolutione anticipata imminuto pretio uſuræ vitium ſpernat, majus ipſius fundi pretium ſolvet non injuſte. Quid ita? Nempe quia in locationibus, non fundi, ſed fructuum, ac penſionum ratio habetur. Cum ergo in jure temporalis cenſus æque ratio, & æſtimatio habenda ſit, non fundi, ad quem ſolum.

Digitized by Google

lum jus perpetui cenſus exigi poteſt, ſed penſionum: ſine ullo abſurdo jus temporale plurium annorum præ perpetuo jure æſtimari, & emi poteſt, ut ipſæ penſiones poſſunt. Ex his autem cum evidens ſit, temporalem cenſum pro penſionum ratione æſtimandum eſſe, tum vero naturale patet jus illud Levitico expreſſum de temporali Judæorum cenſu; non quod naturale ſit, Judæos non potuiſſe niſi temporalem cenſum ad Jubileum uſque vendere, & emere: ſed quod poſito hoc legali, ac politico jure, temporalem cenſum pro penſionum, ac fructuum æſtimatione vendere, & emere naturale fuit.

De variis adjunctis conſiderandis in æſtimando temporali cenſu.

Ratio quantitatis, ac temporis obſervanda.

Periculi ratio habenda.

66. Porro in hoc temporali cenſu ratio quantitatis penſionum, ac temporis habenda eſt: major enim penſio majus pretium meretur; in pari autem penſione, quæ breviori, vel longiori tempore duratura eſt, minus, vel majus pretium taxetur oportet. Periculi etiam, aut dubii ratio habenda, cum vel incerta eſt penſionis, aut fructuum quantitas, uti cum jus emitur in prædii redditus, qui, utpote incerti, certo minori pretio æſtimari debent, quemadmodum in locationibus accidit: ſive incertum ſit tempus, cui cenſus alligatur

De vitalitiis.

ex. gr. ad vitam. quæ, cum incerta ſit; ob dubium aleæ, pretium ita taxari debet, ut lucri, vel damni periculum æquale utrinque ſit; quemadmodum de aleæ, ludis, ac vitalitiis Auctores ſtatuunt. His in caſibus ab eventu incertorum fructuum, vel temporis pendet videre, lucrumne proveniat, ſi bene cedat res, an damnum, ſi male: ac proinde ex periculi probabilitate, vel pretium non injuſte minuitur, vel eodem pretio major cenſualis penſio exigitur. Hac eadem ratione cenſus vacabilis, quem medium appellavimus, etſi perpetuus eſſe poſſit, ſi opportune ſemper reſignetur; cum tamen, morte reſignationem præveniente, ceſſare queat, & ita de temporali etiam participet, ob hoc dubium aleæ minori pretio æſtimatur, ac venditur, quam ſi eſſet perpetuus; at majori, quam ſi temporalis certo eſſet futurus. Hinc loca Montium vacabilia eodem pretio ducatorum centum majorem redditum afferunt, quam non vacabilia, ex. gr. octo, novem, vel decem annuos in centum, cum non vacabilia quinque, ſex, vel ſeptem annuos pariant; & cum redditus Montium non vacabilium augetur, vel minuitur, data proportione augetur, vel minuitur redditus vacabilium, ut ex Romanorum Montium redditibus pro vario tempore varie definitis cognoſcere licet. Tandem, ut de temporalis cenſus pretio concludam, aliqua etiam lucri ceſſantis, ſi quod interſit, ratio haberi nonnunquam poteſt. Qui enim rogatus, ut temporalem cenſum certis annis definitum emat, pro æſtimatione mera penſionum æſtimandam citra dubium aleæ, & ſpem lucri; hac emtione impediatur a lucro, quod alias licite facturus erat; poteſt lucri ceſſantis æſtimationem, ac reſtaurationem aliquam pro modo damni exigere, & cenſum illum quantumvis certum minoris emere, quam penſionum æſtimatio eſt. Ubi plures autem ex his circumſtantiis concurrunt, eo minus cenſus temporalis æſtimandus eſt. Hinc ubi & redditus ſint incerti, & tempus incertum, & lucrum præterea ex hac emtione ceſſet ementi, cenſus æſtimatio pro ratione dubii redditũum, & temporis, ac pro compenſatione lucri ceſſantis minoris habetur, ita tamen ut ſi ſpes lucri in redditu, ac tempore incerto compenſationem lucri ceſſantis ſatis æquam afferat, lucri ceſſantis nomine non liceat ulterius quidpiam exigere, quod ſupra æquam compenſationem exactum, injuſte quæreretur. Audivi cenſum temporalem ſuper

De æſtimatione Montium vacabilium.

Habenda ratio ejus, quod intereſt.

Nonnunquã plura adjuncta conſideranda.

ſuper redditibus unius prædii ſcutis triginta millibus ita emtum, ut duodecim annis poſt venditoris mortem ceſſaret. Incerti primo erant reddit us ex prædio proventuri, omnibus temporum viciſſitudinibus obnoxii. Dein, etſi anni duodecim poſt mortem certi erant, incertum tamen erat vitæ tempus, num pluribus, an paucioribus annis vitæ prædio fruendum eſſet. Tandem qui hunc cenſum emit, negotiator fuit, qui ob hanc emtionem a negotiatione pecuniam ſubduxit, quod lucri ceſſantis eſt. Hæc omnia cenſus pretium vilius reddebant. Ex his autem quiſque intelligit, ex temporali cenſu lucrum dupliciter provenire poſſe. Primum ſi certo cenſuali tempore jus in incertos fructus quadam conductionis ſpecie ematur; & hac via olim Hebræi ad cenſum Jubilei tempus cenſualem quendam uſumfructum ementes lucrari potuere. Dein ſi certi fructus emantur ad tempus incertum, ut in vitalitiis. In certo autem & redditu, & tempore, nihil ſupra æſtimationem redditus, citra uſuram, vel injuſtitiam, exigi poteſt, niſi forte lucrum ceſſans, aut damnum emergens intercedat. Hæc adæquata eſt temporalis cenſus æſtimandi, ac in eo lucrandi ratio.

De perſonali cenſu ex conſtitutis definitur.

97. Nunc, ut ad perſonalem cenſum redeamus, cum ſingulares perſonæ non ſint perpetuæ, nec perpetui cenſus ferendi capaces, perſonalis cenſus temporalis ad certum, vel incertum tempus inſtitui tantummodo poteſt ex num. 89. & 90. Et ſi quidem cenſus ejuſmodi certi temporis ſit, pro penſionum æſtimatione pretium ejus taxandum eſt, ut nihil ulterius ob anticipatam ſolutionem exigatur lucri, niſi forte titulo ejus, quod intereſt, quidpiam exigi poſſit. Si vero ad vitam, aut incertam temporis conditionem ematur; cum pro ratione dubii, ac probabilitate annorum æſtimandum ſit, ita poteſt conſtitui, ut par lucri, & damni periculum immineat. In hoc autem perſonali, ac temporali cenſu cum redimi nequeat quod amplius non eſt, ex num. 93.; poſt exactum cenſus tempus, ſeu poſt vitam, nihil eſt repetendum pretii, cum nihil ſuperſit, quod redimatur: ante exactum vero tempus id tantum pretii repeti poteſt, quo æque redimatur jus ejus temporis, quod reliquum eſt; non autem ejus, quod præteriit, & redimi nequit; quo caſu ſi totum adhuc exigatur, pretium, non redemtionis, ſed mutui nomine exigetur, ac proinde mutuum, & uſura cenſus perſonalis nomine lateret; unde hunc perſonalem cenſum tanquam ex ſe illicitum, & uſurarium Romana Rota conſtanter declaravit. Vide Rotam coram Manzanedo 25. Feb. 1622. poſt Addition. Cencii Deciſ. 42. alias Deciſ. 365., ubi aliæ Rotæ allegantur.

Cautio in perſonali, ac temporali cenſu adhibita eſſet uſuræ pallium.

98. Erunt fortaſſis, qui cautionem huic cenſui perſonali appoſitam dicent, vi cujus, etiam poſt perſonę mortem, pretium rependendum ſit. Ridicula hæc, & plane fictitia cautio ad mutuum tegendum. Quicunque enim de contractu aliquo cavent, de eo contractu cavent, qui vere initur, vel de ſubjecto, quod in contractum cadit. Itaque in emtione temporalis cenſus ad certos annos, vel ad vitam, cum ſolius vitæ, vel tot annorum cenſus contrahatur, de ſolo vitæ, vel certorum annorum tempore, ac de jure ejuſdem temporis, quod contractui ſubjicitur, caveri poteſt. Si qui vero poſt hoc tempus cavere cogantur, vel de cenſu, qui ex contractu ſolutus eſt, vel de cenſus pretio, quod ſine redemtione repeti nequit ex num. 93., ii non de cenſu, qui initus, & impletus fuit, ſed de mutuo cavebunt, quod cenſus nomine tegitur. Ita quidem in vitalitio cenſu ſi quis emto certo redditu ad vitam alicujus, cautum ſibi velit, ut poſt mortem illius fiat reſtitutio pretii, iniquum, & fœneratitium Auctores affirmant a-

Digitized by Google

pud Leotardum de Uſuris c. 49. n. 7. & 40. Idem eſt de quovis temporali cenſu, ſive certo, ſive incerto; quodvis enim temporale jus ſua natura finiendum, cautionem perpetui juris non ſuſcipit. Nemo quidem ſimilem cautionem de jure temporali præſtaret, nemoque caveret de periculis ejus perſonæ, quæ certo moritura eſt, niſi qui ſub cenſus nomine pecunia indigens, pecuniæ reſtitutionem pollicetur: unde ad mutuum verius, quam ad emtionem cenſus hunc contractum referendum confirmatur. In ipſis etiam Gentibus hæc cautio non apponebatur, ubi quædam perſonalis cenſus ſpecies aderat. Quidam, cum pecunia egerènt, ſua opera, & induſtriam aliis pro pecunia obligabant, ſive vendebant cum redemtionis pacto, quod nimirum ſe redimerent. Hi homines ſua opera hac ratione vendentes, quandam ſervitutem inibant, in qua tamen, ob redemtionis ſpem, ut ab aliis ſervis abſque eo pacto venditis diſcernerentur, *nexi*, aut *addicti* vocabantur, uti fuſe probat Salmaſius de modo Uſurarum c. 18. & 19. Jus hoc in opera, & induſtriam iſtorum ſervorum erat jus perſonali cenſui ſimile; quod tamen emtorum periculo vel apud ipſas Gentes fuiſſe certiſſimum eſt, ita ut nemo de ejuſmodi ſervorum periculo caverit: ſed ſi ante redemtionem illi perirent, ementibus peribant, nec pretii reſtitutionem poterant aliunde repetere. Id eo ſolum caſu factum fuiſſe legitur, quo non emtio vera, ſed pignoris ſtipulatio, & verum mutuum inibatur, ut ex nonnullis legibus agnoſci poteſt. Mutuum ergo, & pignus fœneratitium intervenit, ubi hçc cautio in perſonali cenſu exigitur.

Cenſus mixtus quam perperam in perſonalis cenſus definitionem afferatur.

99. Repones fortaſſis, cenſum hunc nunquam mere perſonalem conſtitui, ſed mixtum, qui omnibus venditoris bonis innititur. At quçſo, num mixtum intelligas cenſum, quatenus perſonæ ſimul, ac ceteris venditoris bonis impoſitum velis, & eatenus perpetuus ſit; an vero quatenus inhæreat partim perſonæ, partim ceteris bonis? Si partim perſonæ, partim bonis ceteris; ea pars cenſus, quæ perſonæ innititur, perpetua eſſe nequit, ſicut perſona, cui adhæret, perpetua non eſt. Quod autem ceteris bonis impoſitum eſt, videndum num hæc bona fructifera, ac immobilia ſint, nec ne. Si ejuſmodi ſunt, ea ſola pars cenſus, quæ his bonis incumbit, poteſt eſſe perpetua; at eatenus cenſus realis, non perſonalis eſt. Si vero non ſunt immobilia; cum perpetua non ſint, perpetuum cenſum non recipiunt: immo nullum recipiunt, ſi fructifera non ſunt ex num. 80. Advertendum porro eſt, quod ſi cenſus pars, quæ perſonæ, & pars, quæ bonis immobilibus, ac fructiferis imponitur, determinata non ſit, cenſus nec perſonalis ex parte, nec realis eſſe poteſt: emtio enim, quæ determinatum ſubjectum non deſignat, veluti ſuſpenſa, & incerta, nulla eſt, ut alibi vidimus. Eadem de cauſſa nullus eſt cenſus, qui ſimul bonis immobilibus, ac perſonæ imponitur. Cum enim ex parte perſonæ temporalis eſſe debeat, ut conſtare poſſit; ex parte autem bonorum, ſi immobilia, ac fructifera ſint, perpetuus eſſe queat: qui univerſim cenſum velit ſuper utriſque, nec partem temporalis cenſus, cujus perſona capax eſt, nec partem perpetui ſuper immobilia, ac fructifera bona deſignet, incertam emtionem vult, quç quamdiu non determinetur, ſuſpenſa, & irrita manet. Confer num. 41. & 43.

Obligatio perſonæ expungitur.

100. Neque perſonalem cenſum affirmes, qui tamen poſt perſonæ mortem ex obligatione ejus in bona cetera transferatur, vel in filios, & ita perpetuus fiat. Nam ſi perſonalis eſt ejuſmodi cenſus certæ perſonæ alligatus, temporalis eſſe debet,

bet, qui perſona mortua extinctus, nec in bona cetera, nec in filios tranſeat. Si quæ in hoc obligatio imponatur, mera cautio eſt, quam in hoc cenſu non cenſum verum, ſed mutuum, & uſuram præſtare num. 98. oſtendi. Adde, quod vel huic perſonæ bona immobilia, & fructifera perpetuo cenſui idonea ſuppetebant, cum cenſus initus fuit, vel non. Si ſuppetebant, cur de reali cenſu vere perpetuo potius, quam de perſonali actum non eſt? Si vero nulla fuerunt ejuſmodi bona, quomodo agi poterat, ut in bona cenſum non ferentia cenſus poſt perſonæ mortem transferretur? In filios autem, qui pluribus ex capitibus deeſſe poſſunt, & perpetui ex ſe non ſunt, nequit cenſus ex ſe perpetuus transferri: cum præſertim perſonalis cenſus obligatio ſit perſonalis, quæ talis perſonæ operibus, ac induſtriæ obligata, una cum perſona extinguitur, nec traduci in alium poteſt, niſi conſentiat. Hinc nec in heredes quoslibet poteſt tranſire: jus enim in perſonæ opera perſonæ alligatum hereditatem non ſequitur, niſi ex cautione aliqua, quæ in vero perſonali cenſu citra uſuram locum habere non poteſt. Nihil itaque reſtat unde perſonalem cenſum perpetuum defendas cum obligatione redimendi poſt certum, vel incertum tempus; ac propterea temporalis eſſe debet hic cenſus, qui pro penſionum æſtimatione, vel pro periculi ratione æſtimatus, & emtus, præſtituto tempore finiatur, nec redimendum ſit, niſi ante præfinitum tempus, proportione, qua ſupereſt, redimatur.

Antiquitas noſtræ ſententiæ, & contrariæ novitas.

101. Neque novam, ac ſingularem hanc ſententiam quis ſuſpicetur. Nam præterquamquod graviſſimi recentiores Theologi eandem propugnant, ut P. Ludovicus Molina, Jo. Medina, Gabriel Sotus, & alii: antiquis certe inauditum fuit, perſonalem cenſum, qui temporalis neceſſario eſt, perpetui cenſus pretio, quod poſt cenſus finem reddatur, poſſe æſtimari. Hinc Conradus Summenbart, qui ſub finem ſeculi XV. omnium latiſſime hanc materiem pertractans quæſt. 80. antiquiorum ſententias refert, cum indubium præſumit, poſt exactum cenſuale tempus nihil eſſe reſtituendum ex pretio, & idcirco mutuo, & uſuræ locum in hoc cenſu non eſſe ait, quia in hoc contractu *dans pecuniam non dat eam obligando recipientem ad reſtituendum ſibi poſt tempus*, tum vero certum ſtatuit, non alia ratione licere emere cenſum ejuſmodi, niſi emtio *fiat pretio adæquato redditui*; ſolamque in eo controverſiam apud nonnullos fuiſſe innuit, num ejuſmodi pretium æquale, ac juſtum haberi poſſit, ſi minus ſit pretium, quam redditus per partes ſolvendi futuri ſunt, veluti ſi florenis centum ematur redditus florenorum XXII. per annos quinque, ubi tota redditunm ſumma quinquennio proventura decem florenis excedit. *De rigore* autem *ſcholaſtico* juſtum id pretium cum nonnullis ea ratione propugnans, qua præſens pretium pluris habetur, quam ſolutio per partes, in hoc ſuadendum lectores remittit ad quæſt. 59., ubi id verum pronunciat, ſi ex præſentis pretii privatione lucrum ceſſans, aut alius juſtus titulus interveniat. Id nemo negaverit juſtum, nec nos negavimus. At hoc caſu præciſo, ſicut per ſe verum univerſim non eſt pretium præſens pluris eſſe, quam futurum (unde ab Innocentio XI. damnata fuit propoſitio 41., quæ huc pertinet) ita vel ex benigniorum antiquorum ſententia ſtare debet, perſonalis, ac temporalis cenſus pretium pro reddituum æſtimatione eſſe taxandum. Hinc laudatus Conradus, etſi de *ſcholaſtico*, ut ait, *rigore* mutuum, & uſuram non viderit in hoc contractu, quia pretii reſtitutio eſſentialis mutuo

Concluſ. 4.

nequaquam exigitur, ſed meram viderit anticipatam futurorum redditum emtionem; ſi tamen laudatis titulis deficientibus minus pretium ſolvatur, quam redditus æſtimentur, injuſtam hujuſmodi emtionem profeſſus, concludit: *Quidquid ſit de hac ſubtilitate, an ſit emtio, vel mutuatio, cum datur pecunia pro redditu prædicto modo temporali; tamen conſtat, quod ille eſt iniquus contractus, & mortalis. Ideo quantum ad ſalutem hominis pertinet, ſufficit ſcire eum eſſe iniquum.* Ita benignior apud antiquos ſententia, quibus nondum in mentem venerat, redditum perſonalem, ac ex ſua natura temporalem, pretio quandocunque reſtituendo emi citra implicitum mutuum, & uſuram poſſe. Solum cum benignior opinandi ratio in Theologiam irrepſit; ut practici quidam caſus, qui de medio tolli per malitiam hominum fœnori inhiantium non poſſunt, ab uſura purgarentur; cenſus ejuſmodi perſonales utrinque etiam poſt exactum tempus cenſus redimibiles cum obligatione omnium bonorum induci, ac defendi cœpere; & ne quid præterea ad facilitatem deeſſet, implicite eoſdem iniri, ubi nihil de cenſu emendo cogitatur, quidam docere non dubitarunt, de quo plura Opuſculo III. Hoc novum poſteriorum temporum inventum vel ex ipſa novitate perſuaderi nemini poterit. Quibus ſi addas, hunc perſonalem cenſum ad perpetui rationem inſtitutum, cum reſtitutionis, aut redemtionis obligatione in perpetuum, & ratione efficaciſſima, & Pii V. Conſtitutione, & Romanæ Rotæ judicio, quod contrariam quamvis opinationem uti pravam corruptelam repellit, conſtanter damnari, nulloque Eccleſiaſtico documento probari poſſe; haud video quid requiratur amplius, ne Deum timentes illum in praxim recipiant.

Vide Rotam poſt Cencii Addition. Deciſ. 42. a. lias 365.

102. Illud tandem, antequam finem de perſonali cenſu faciam, omittere nequeo, quod etſi æquum ſit, perſonæ, quæ pecunia egeat, opera, & induſtriam identidem, & aliquandiu pretio obligare, & emere; iniquum tamen erit, jus quoddam diuturnius, vel ad vitam, in magnam præſertim operum, ac induſtriæ penſionem emere, ut perſonali cenſu fit, vel fieri poteſt. Perſonalis enim ejuſmodi cenſus ab iis fere vendetur, qui bonis immobilibus fructiferis reali cenſui aptis carentes, ſola induſtria pecuniam ſibi quærere poſſunt. Id autem prætérquamquod non meri mercenarii ad tempus opera locantis, ſed ſervi proprium, homini libero neutiquam convenit, unde Imperatori Leoni interdicendum viſum eſt Novel. 59., iniquius multo cognoſcitur in cenſu, quam in ſervitute. Qui enim ſervum emens, diuturnum, aut vitalitium jus in ejus opera, & induſtriam emit, alendi ſuis ſumtibus ſervi obligationem ſuſcipit; ex quo ſervorum emtio contra naturam non eſt. At in cenſu perſonali, ſui, ac ſuorum, ſi qui ſunt, alendorum obligatio vendenti relinquitur, qui cum induſtriæ, & operum jus vendiderit, venditioniſque pretium in præſentes neceſſitates conſumſerit, illud amplius in alimoniam ſui, atque ſuorum convertere nequit: fierique nonnunquam poteſt, ut in aliquot neceſſitates tantum vendiderit perſonalis cenſus, ut nihil, aut non ſatis ad neceſſariam alimoniam ſibi ſuperſit: quo nihil repugnantius naturali juri excogitari poteſt. Neque dicas, iis ſolum in perſonis perſonalem cenſum licere, quæ tantum opere, ac induſtria lucrentur, quantum & ad cenſum, & ad alimoniam neceſſariam opus ſit. Nam in praxi hoc diſcernere difficile eſt, frequentiuſque evenire ſolet, ut qui opere, ac induſtria tantum valent, iis caſibus pecunia indigeant, quibus operum, & induſtriæ pretium ad alimoniam, ac neceſſitates non ſufficit:

Obſervatio in emendo perſonali cenſu.

Digitized by Google

ficit: tantum abeſt, ut minus ſufficientium laborum partem cenſus nomine vendere queant. In neceſſitatibus ideo fundi immobiles, aut reales cenſus licite veneunt, quia etſi nihil fundorum, aut redditum ex fundis cuipiam reliquum ſit; libera tamen reſtat operum, & induſtriæ collocatio, qua neceſſarium victum comparare quiſque poteſt. At ubi in neceſſitate jus quoque in opera, & induſtriam ſit venditum, cum nihil aliunde ad victum, ſaltem congruum, atque ſufficiens ſuperſit, nihil ea emtione iniquius eſſe videtur. Quanquam his quoque in circumſtantiis, ſi cenſus perſonalis ad tempus, pro juſta penſionum, & operum æſtimatione, ematur ſine reſtitutionis onere; etſi contra charitatem eſſe poterit, ſi ex neceſſitate pauperis opera, & penſio exigantur; contra juſtitiam tamen non erit, nec uſura in hoc cenſu admittetur, ſicut & uſura, & injuſtitia fieret, ſi in aliam æſtimationem hic cenſus emeretur, uti præſenti paragrapho fuſe probavimus.

CAP. V.

De licita interuſurii ſolutione Montibus Pietatis permiſſa, cum pecunia indigerent. Interuſurii nomen non ſemper uſuram ſignificat. De iis, quibus interuſurium ſolvitur.

103. Ex his, quæ occaſione diſſerendi de Montibus Pietatis hactenus diximus, plures modi ſuppetunt, quibus honeſto cum lucro, citra uſuræ vitium, ſubveniri hominum neceſſitatibus poteſt. Primo per mutuum, ubi ex mutuo lucrum ceſſans, aut damnum emergens intercedat: dein, ubi hi tituli deſint; per emtionem fundi cum pacto retrovendendi, vel per emtionem cenſus perpetui in venditoris gratiam redimibilis, immo & per emtionem cenſus temporalis, ſive realis, ſive perſonalis, aut vitalitii, dum legitimæ horum conditiones ſerventur, nec reſtitutio pretii in his exigatur; quod cum in Montibus Pietatis fieri nequeat, ubi pretium reſtituendum eſt, idcirco hi temporales cenſus locum in Montibus non habuerunt. Semper aliqui ex his contractibus peragendi ſunt, cum honeſtum ex pecunia lucrum quæritur: ac propterea aliquam ex his viis ineundam Apoſtolica Sedes ſemper præſumſit, cum pecuniam, nullo licet deſignato contractu, in neceſſitatibus quærendam iiſdem Montibus alias indulſit. Hinc ſane Alexander VII. pro Monte Mantuano rogatus, ut liceret *pecunias nomine dicti Montis ſub annuo interuſurio quinque pro centenario accipere*, id hac expreſſa conditione concedens, ut *ex contractu licito* fieret, aliquam ex iiſdem viis, atque contractibus indicare profecto voluit. Ipſum Breve diei 22. Octobris an. 1655. inter Monumenta edetur num. 7. Hinc porro intelligitur, quam in ſententiam interpretandum ſit (1) *interuſurii* nomen, quod non ſemper uſuram, ſed quandoque juſtum lucrum ſignificat: ac propterea nonnulla Decreta Sacræ Congregationis Concilii pro Pietatis Montibus edita, ubi pecunia ſub certo *interuſurio* accipi permittitur, in hanc Alexandri VII. interpretationem intelligenda ſunt, ut *ex contractu licito* pecunia quæratur. Vide Theſaurum Reſolutionum Congreg. Concil. t. 2. p. 29.

104. Quanquam ſi quo caſu contractus liciti occaſio, aut facultas non eſſet; in neceſſitate licere poſſet pecuniam ſub uſuris accipere,

(1) In literis Clementis X. pro Monte Ferrarienſi inter Monumenta deſcribendis n. 7. *interuſurium* dicitur, quidquid pro indemnitate ipſius Montis a pauperibus erat ſolvendum.

Digitized by Google

L. II. de Jure naturali, & divino circa uſuram cap. 10. §. 3.

re, etſi non liceret eandem dare ſub fœnore, ut alibi fuſius probavimus: & idcirco ſi Montes Pietatis in neceſſitatem publicam nummos etiam ſub uſuris cogerentur accipere, ubi juſta alia via non pateret; non peccarent, neque cum illas fœneratoribus ſolverent, neque cum illarum æſtimationem exigerent ab iis, qui pecuniam quærunt ſub pignore; dum id tantum exigerent, quod ad damnum mere compenſandum pertineat, nec in lucrum ullatenus redeat. Hinc Benedictus XIV. dum eſſet a Secretis Congregationis Concilii, in cauſſa *Caſalenſi Montis Pietatis* propoſita die 22. Mart. an. 1718., ex ea non minus Canonici, quam Theologici juris peritia, qua eundem maxime præſtare omnia ejus opera teſtantur, immunem ab uſura affirmavit eundem Montem, qui accepta quadam pecuniæ ſumma ſub annuo interuſurio trium ſcutorum in centum, quinque ſcuta exigebat, hac ratione allata, quia *duo ſunt pro miniſtrorum ſalariis, & reliqua tria ſolvuntur pro emendatione damni emergentis, cui Mons ſubjectus eſt ſummam recipiendo ad rationem trium pro centenario*. Itaque vides ex prohibitione uſuræ nullam neceſſitatibus hominum viam intercludi, ut quiſque citra vitium ſuccurrere propriæ neceſſitati poſſit, vel etiam ubi qui ſine ullo juſto titulo, vel contractu pecuniam credunt cum lucro, uſuram committant. Hinc etiam male quidam Pietatis Montes accuſant, quaſi uſurarii ſint, cum ad uſuram fortaſſis accipere nummos coacti, hujus compenſationem ſine proprio lucro a pauperibus exigunt. Totum crimen eſt eorum, qui pecuniam ſub fœnore credentes fœneratitium lucrum exigunt; non autem Montis, qui nihil lucratur, nihilque exigit lucri, ſed quod ad indemnitatem in eorundem pauperum bonum ſervandam neceſſe eſt. Neque minus perperam illi ratiocinantur, qui lucrum ex pecunia idcirco licitum putant, quod nonnullos ex pecunia Montibus credita, ſine ullo juſto titulo, vel contractu lucrari vident, ac ſi perinde probatum ſit hoc lucrum in iis, qui iſtud exigunt, ac in Montibus, qui ſolvunt, & ſolvendum ex pauperibus indemnitatis cauſſa petunt. Vide quæ in hanc rem pluribus diſſeruimus l. II. de Jure divino, & naturali circa Uſuram cap. 10. §. 4. Hæc tota de Montibus Pietatis diſputatio, quæ non tam hiſtoriam, ac praxim eorundem Montium, quam legitimos modos ſubveniendi publicis, & privatis neceſſitatibus profert, eos contractus ſuggerere, & expendere non potuit, qui negotiatorum proprii, commercii neceſſitati, ac utilitati conſulunt. De his tamen ſeparatim, ac ex propoſito agetur Opuſculo ſequenti.

T. 2. Theſaur. Reſolut. p. 29.

OPU-

Digitized by Google

OPUSCULUM SECUNDUM.

De pecunia in negotiationem tradenda, ac de licito, vel illicito ex eadem lucro. Ubi de trium contractuum pravitate, & de modis licitis providendi negotiationi, atque commercio citra uſuram; ac præſertim de cambiis realibus.

CAP. I.

Hujus Opuſculi ratio, & argumentum.

1. Cum in tota humana vita, ad ſocietatem, & vitam hominum conſervandam, providendumque humanis neceſſitatibus, nihil utilius, ac neceſſarium magis ſit, quam commercium, & negotiatio, quibus quod uni deeſt, ab aliis aliunde providetur; ii tanquam humanæ ſocietatis inimici habiti ſunt, qui negotiationem tollere, vel commercio impedimentum afferre; nulli e contrario magis laudati, atque probati, quam qui eiſdem, quaqua ratione poſſent, conſulere, favere, patrocinari niſi ſunt. Sanctos quidem Patres cum negotiatoribus acerbe nonnunquam egiſſe legimus; at id non adverſus ipſam negotiationem egerunt, ſed adverſus negotiatorum vitia, quæ ex humanis cupiditatibus eo in exercitio implicita fere inveniuntur. Hinc alii ſancti viri, atque Theologi negotiationem ipſam ita probarunt, ut a negotiatorum tamen vitiis cavendum monuerint. Cum itaque in negotiationem magna pecuniæ copia neceſſaria ſit, negotiationis quidem, & commercii ſtudioſi commendandi maxime ſunt, ſi pecuniæ utiliter in negotiationem conferendæ vias faciliores excogitent, & patefaciant; dummodo non eas aperiant, quæ avaritia, non ratione manuducente apertæ, negotiatorum potius vitiis, quam negotiationi faveant. Has autem ſi quis apertas videns acriter reprehendat, & impugnet; is non negotiationem, cui nullum vitium neceſſarium eſt, nec eſſe debet; ſed negotiatorum vitia deſtruere connitens, non reprehenſioni ſubjiciendus, ſed commendandus eſt.

2. Deus quidem hominibus legem non dedit, ut commercium humanæ vitæ neceſſarium de medio tolleret; at ſimul non omnes commercii viæ defendendæ ſunt, vel quæ divinam legem tollant. Porro inter divinas leges illam eſſe, quæ omnem uſuram vetet, notum eſt omnibus. Hanc vero uſuram non extra negotiationis caſus tantum, ſed in negotiationem ipſam induci poſſe, teſtatur Pſalmiſta, qui hoc vitium in negotiatoribus ipſis reprehendit: *Non defecit de plateis ejus uſura, & dolus.* Nemo Catholicorum, opinor, regium hunc Pſaltem hujus negotiatorum vitii reprehenſorem, ſocietatis, & commercii hoſtem traducet. Ita pariter Theologis, & Canoniſtis ſanæ morum doctrinæ vindicibus vitio, ac rigori verti non debet, ſi uſurarios, qui inter negotiatores ipſos ſerpunt, & vigent, contractus, Sanctorum Patrum exemplo excitati, detegunt, & inſectantur. Quod nonnulli ſtudeant vias, & contractus licitos uſuræ vitandæ cauſſa invenire, & proponere, ne uſuræ metu pecunia a negotiatione ſubducta, ipſum commercium publico cum damno areſcat

areſcat ſenſim, & ſubducatur, reprehendi nequit, dum id jure, & ratione fiat, vereque tollatur uſura, non autem tegatur. At vereor, ne alii in negotiatione uſuram palam defendant, alii vero tegant potius, quam tollant. Plerique negotiatores fere non tantum æris proprii habent, ut pecunia aliena non egeant. Qui vero pecunioſi ſunt, ut negotiari tamen nolint; ii pecuniam in negotiationem ita tradere ſolent, ut lucri, quod negotiando redibit, partem acquirant. Id aliqua ratione, & citra uſuram fieri licite poſſe, dubitandum non eſt a Catholicis ipſis, qui omnem etiam negotiatorum uſuram damnant; non vero ſi cum uſura id fiat. Soli hæretici uſurarum patroni, qui mutuum lucrativum a ſubſidiario diſtinguentes, in ſolo ſubſidiario mutuo, quo neceſſitatibus pauperum ſubvenitur, uſuram damnant, eam, quæ ex mutuo lucrativo, ſeu in negotiationem, ac lucrum tradito percipitur, licitam defendunt, dum pro locorum conſuetudinibus, vel legibus moderata, immoderatum lucrum non afferat, ut ex Molinæo, aliiſque colligere licet. Nuper etiam in Belgio Janſeniſtæ quidam profugi, a fœderatis Provinciis recepti, eandem doctrinam tradidere, veriti, ne, ſi ſecus docerent, earundem Provinciarum, quæ uſuraria id genus commercia ex ſuorum doctrina excolunt, patrocinium demererentur, & ejicerentur. Catholicæ tamen aures circa uſuram dogmati aſſuetæ hoc audire non potuerunt, unde reprobata ſtatim ea doctrina a Catholicis fuit. Quin & Janſeniſtarum plerique hanc novitatem deteſtati, ſuis ipſis ſociis in eodem Belgio reſtiterunt vehementer: adeo hæc doctrina Catholico de uſuris dogmati palam adverſari agnita fuit.

3. At Catholici quidam uſuræ nomen vitantes, in ea ſententia ſunt, pecuniam, cum in negotiationem, ſeu, ut alii loquuntur, in mercaturam exercendam cuipiam vere negotianti traditur, etiam ſi capitali ſalvo tradatur, certum moderatum lucrum parere juſte poſſe, propterea quod hocce lucrum uſuram non eſſe opinentur. Et ex his Catholicis alii univerſim hoc lucrum licitum præferunt, ac ſi pecuniam in negotiationem, vel mercaturam tradere, quacunque conditione, etiam capitali ſalvo, tradatur, non ſit eam tradere mutuam, ſed negotiari per alium neſcio quem contractum, qui lucrum licitum pariat. Alii vero contractum a mutuo diverſum in ipſa negotiatione vere ineundum videntes, ut mutuum, & uſura vitetur, varios contractus præſcripſerunt loco mutui ſupponendos, quibus tamen lucrum, & capitale tutum præſtetur. Nec deſunt, qui ita alterutrum negotiationi neceſſarium ingerunt, ut has vias, uſuræ nomine, a negotiatione removere idem eſſe dicant, ac negotiationem ipſam deſtruere. Ego vero, qui negotiationi, quacunque ratione non injuſta licet, favendum ratus, nullum injuſtum præjudicium eidem inferri patior, huic graviſſimo errori, qui non minus divinæ, ac naturali legi, quam ipſi commercio pernicioſus eſt, obviam iturus, hoc in Opuſculo duo mihi præſtanda intelligo. Primo utramque memoratam ſententiam, uſuræ & uſurariis contractibus, a commercio ſubmovendis, patrocinantem oſtendam. Deinde, ne hinc negotiatio ſubvertenda credatur, indicabo alias licitas pecuniæ in negotiationem conferendæ vias, quibus omnibus negotiationis, & commercii neceſſitatibus æquiſſime proſpiciatur.

CAP.

Digitized by Google

CAP. II.

Pecunia in negotiationem tradita, ſi a periculis omnibus tuta ſit, mutua eſt, & lucrum eſt uſurarium. Nullum jus in lucrum capitalis nomine competit, niſi ex periculis negotiationis. Hinc pecunia etiam aliena lucrum illi cedit, qui eam ſuo periculo negotiationi expoſuit, non autem cedit domino pecuniæ. Aliquot exemplis id confirmatur ex Jure Civili, & ex omnium Theologorum conſenſu. Mandatum domini nihil ipſi ad lucrum prodeſt, ſi negotiationis pericula non ſubeat.

Capitale mutuum reſtituendum cum lucro, mutuum implicitum, & uſuram præſtat.

4. UBi pecunia citra periculum negotiationi traditur, quocunque contractu a mutuo diverſo tradita dicatur, vere traditur mutua, vel alterius cujuſcunque contractus nomine ibidem mutuum tegitur, quod ad illicitum lucrum uſuræ deputandum ſatis eſt. Certe ubi pecunia hac cautione traditur, perinde tuta reſtituenda eſt poſt certum tempus, ut in mutuo expreſſo fieret. Nihil quidem hìc mutatum eſſet, niſi ſolum nomen; re autem omnia mutui ſubſtantialia concurrent, ut in eo cujuſcunque contractus nomine, mutui, & uſuræ pallium negari non poſſit. In aliis omnibus contractibus, qui mutuum, & uſuram pallio tegere dicuntur, nihil diſſimile accidit: nam inductis ſolis aliorum contractuum nominibus, omnium iſtorum complexus ad mutui ſubſtantialia tandem redit, ut ſcilicet capitale, quod variis contractuum nominibus datur, tutum cum lucro reſtituendum ſit. Conſidera contractum moathra, & alia id genus palliata uſurarum commercia, et rem manifeſtiſſimam cognoſces.

Nihil peculiare ex negotiatione habetur.

5. Neque quiſpiam excipiat, ſermonem hìc eſſe de capitali in negotiationem, hoc eſt in lucrativam artem tradito, quod mutui proprium non eſt; ex lucrativa autem arte, capitali licet tuto, lucrum exigi juſte poſſe. Hoc ratiocinium illud eſt, quod vel hæreticis uſuram ex lucrativo mutuo defendentibus fucum fecit: ita ut ſi pro Catholicis alium in hoc contractum præferentibus, vel potius commiſcentibus, valeat, non videam ut pro hæreticis, mutuum ſincere fatentibus, æque valere non poſſit. Hoc quidem ſyſtema univerſæ Patrum Traditioni, & Romanorum Pontificum Decretis palam opponitur. Patres nimirum pecuniæ meminerunt & negotiatoribus, & in negotiationem traditæ; & nihilominus lucrum inde perceptum univerſim uſuræ damnarunt: nec deſunt Concilia, Epiſcopi, Pontifices, qui idipſum definierunt. Teſtimonia huc pertinentia fuſe deſcripta invenies lib. IV. de Jure divino circa Uſuram c. 4. & 5. Hos ergo omnes Epiſcopos, Concilia, Pontifices, & Patres repudiet opus eſt, qui ex pecunia in negotiationem tradita, capitali tamen (æque ac in mutuo fieri mos eſt) ſalvo, lucrum citra uſuram percipi poſſe arbitratur.

Secus dicere fuerit hæreticis uſurarum patronis.

Adverſatur Traditioni & doctrinæ Eccleſiæ.

6. Sed ut a ratione ipſa hujus ſyſtematis fucum detegam; & ratiocinium omne adverſariorum a fundamentis convellam, lucrandi jura negotiationis propria explicanda ſunt. Duo autem tantum aſſignari queunt, alterum ex parte capitalis, quod in negotiationem collatum eſt, alterum ex parte induſtriæ ejus, qui capitale negotiatur. Cum negotiatoris induſtria, ſine qua immenſum capitale nihil proficeret, opus ſit Reipublicæ utile, ac neceſſarium, eodem jure debetur illi lucrum, quo cuilibet operanti operum ſtipendium debetur. Hoc autem lucrandi jus ex parte induſtriæ tam apertum eſt, ut pluribus non indigeat. Ex parte

Et rationi.

Digitized by Google

Totum jus in lucrum ex parte capitalis negotiationis proprium ſunt pericula.

vero capitalis, ſi ab induſtria ſeparatum conſideretur, nullum lucrandi jus negotiationis proprium exiſtit, niſi ratio periculorum, quibus capitale ipſum negotiando exponitur. Hæc ratio contra uſuram in mutuo etiam negotiatoribus præſtito exactam a nobis fuſe propoſita fuit Prælect. II. in part. II. S. Antonini, & fuſius lib. V. de jure naturali circa Uſuram c. 5.

Idem valet in pecunia etiam cujus dominium non transfertur.

7. Sed ne forte ea propria unius mutui credatur, propterea quod in mutuo capitalis dominium in negotiatorem transfertur, eique propterea ex capitali jam ſuo lucrum provenire intelligitur: ne, inquam, hæc ratio mutui propria credatur, conſiderare juvat omnes alios contractus, vel caſus, in quibus dominium in negotiatorem non transfertur. Et ſi non ex meo, ſed ex omnium Theologorum, atque Canoniſtarum, immo Romanorum etiam Juriſconſultorum ſenſu conſtabit, iis quoque in caſibus, in quibus dominio in negotiatorem non translato, pecunia negotiationi exponitur, ſolius periculi cauſſa lucri jus oriri ex parte capitalis, adeo ut lucrum illi adjudicandum ſit, cujus periculo capitale negotiationi expoſitum fuit; nihil, opinor, erit, quod reponi queat. Aliena pecunia penes procuratorem rerum alienarum, non in procuratoris, ſed in proprietarii dominio eſt. Si tamen eam procurator ſuo periculo negotietur, & nihil aliunde proprietarium interſit; lucrum, quod ex ea, licet aliena, pecunia rediret, non ad proprietarium, ſed ad procuratorem ſpectare, ipſi Romani Juriſconſulti ſanxerunt, propterea quod negotiationis periculum ad iſtum, non vero ad illum pertinuit, ut ex Labeonis teſtimonio colligitur, qui ab Ulpiano recitatur, & probatur L. 10. §. 6. D. *Mandati*. Eadem ratione ſi quis communem pecuniam, quæ ſcilicet partim quidem ſua, & partim aliena eſt, *ſuo nomine* utiliter collocet, idem cenſendum Paullus reſpondit L. 68. §. 62. D. *Pro Socio*, ubi fructum non tam ſuæ, quam alienę pecuniæ illi ob eam cauſſam vindicat, *quoniam ſortis periculum ad eum pertinuerit*. Similiter in depoſito proprie dicto non transfertur dominium; & nihilominus ſi depoſitarius præter depoſiti fidem eam ſuo periculo negotietur; niſi leges in pœnam aliter decernant, lucrum ratione periculi ipſi cedit; quemadmodum cedit etiam miniſtro, qui mutuam, quam accepit, pecuniam domini nomine, ſuo periculo negotiatus eſt, ut S. Bernardinus Senenſis teſtatur. Nihil ergo juvat ad negotiationis lucrum jure pariendum quod pecunia ſit mea, ſi meum item periculum non ſit.

Nihil ad lucrum refert pecuniam eſſe meam, ſi periculum meum non ſit.

8. Hoc totum in pecunia per furtum, & rapinam ſublata manifeſtius fiet. Conſtat inter omnes, per furtum, vel rapinam in furem, vel raptorem dominium nequaquam transferri. Si tamen fur, vel raptor pecuniam ſublatam negotietur, cui negotiationis lucrum competit? Domino ne, cujus eſt pecuniæ negotiationi expoſitæ dominium, an raptori? Omnes vel benigniores Caſuiſtæ in hoc conveniunt, quod ſi dominus ex privatione pecuniæ nihil damni ceperit, ſive ex lucro ceſſante, ſive ex damno emergente; ſatis ſit furem, raptoremve ad capitalis reſtitutionem obligare, ut ne ad lucri abs ſe percepti reſtitutionem adigatur. Quod ſi dominus aliquid damni ſubierit, ad reſtaurationem item damni furem, vel raptorem obligari ajunt, non quod lucratus ſit, ſed ex injuſta illati damni cauſſa, ita ut ad eandem reſtaurationem teneretur, etiamſi nihil lucratus, vel negotiatus fuiſſet.

Inſigne exemplum ex re furto ſublata, & omnium Theologorum conſenſus.

Ratio a priori, ut vocant.

9. Si vero ratio quæratur, cur ex hac conſtanti omnium doctrina lucrum pecuniæ per furtum, vel rapinam ſublatæ, cujus dominium in furem, vel raptorem non tranſit, non ſit domini, cujus eſt ipſa pe-

cunia,

Digitized by Google

cunia, ſed furis, vel raptoris, qui eandem pecuniam negotiatus eſt; omnes uno ore reſpondere audiemus, quia (1) pecuniæ fructus non eſt *naturalis*, qui ipſius pecuniæ fœnus ſit, ac proinde domino debeatur; ſed eſt *induſtrialis*, ut vocant, qui tamen a ſorte plurimum pendens, non tam induſtriæ, quam ſortis fructus eſt, nec jure debetur niſi illis, qui induſtriæ opera, vel ſortis pericula ſubeunt. Quod ut planius intelligatur, obſervandum eſt, lucrum in negotiatione non aliunde provenire, niſi ſi merces viliori emantur pretio, & cariori vendantur. In id autem, ut bene cedat, pecunia per ſe nihil confert, quæ etſi ad negotiandum, ac merces emendas prærequiratur, non tamen in hoc per ſe conducit, ut negotium bonum potius, quam malum ineatur. & conſummetur. Id induſtriæ partim, & partim etiam ſortis eſt; induſtriæ quidem, quæ negotiator videat quænam merces magis opportunæ futuræ ſint, quaque via meliori pretio, ac minoribus expenſis emantur, qua item divendendę facilius &c.; ſortis vero, ut induſtriæ, opinioni, & expectationi exitus reſpondeat, ne, ſi hic fallat, ut ſæpe fit, magna licet induſtria adhibita, nihil lucri, ac forte etiam capitalis ipſius damnum ex negotio redeat. Hinc quanquam negotiationis lucrum ſine pecunia non proveniret; non tamen *naturalis* pecuniæ fructus eſt, nec haberi poteſt, ſed *induſtrialis*, & (ut ego perſpicuitatis, & diſtinctionis cauſſa adderem) *fortuitus*, qui ſcilicet proprius induſtriæ, & ſortis fructus eſt; ac propterea inter eos eſt dividendus, qui induſtriam, vel ſortis periculum ineunt. Cumque ſortis periculum non tam afficiat induſtriam, ne forte inanis cedat, quam capitale, ne negotiando damnum capiat; hinc ſi lucrum ex negotiatione redeat, non tam induſtriæ, quam capitali debetur; & eatenus capitaliſtæ, qui nihil induſtriæ, & operæ in negotiationem confert, lucrum jure capitalis provenire poteſt, quatenus capitale negotiationi exponens, ſi non induſtriæ, & laborum, capitalis certe periculum ſubit. Qui neutrum ſubit, cum nullum eidem jus in negotiationis lucra, quæ induſtrialia, ac fortuita ſunt, aliunde ſuppetat, nullam ejus lucri partem exigere juſte poteſt. Hinc S. Antoninus part. 2. tit. 1. c. 7. §. 34. omne negotiationis lucrum abjudicavit ab iis, qui pecuniam quidem negotiatoribus tradunt, at nec induſtriam, nec periculum ſubeunt, hac ratione addita: *Nam lucrum induſtria fuit, non pecunia, & periculum ſubſtabat amiſſionis ejus, qui mutuum acceperat, cujus deponens nolebat eſſe particeps*. Hoc nimis durum, ac difficile videbitur nonnullis, qui capitali, ac pecuniæ jus præcipuum, & proprium in lucrum tribuunt. Sed ii, velim, conſiderent, non alia ratione fures, ac raptores ab omnibus Auctoribus eximi a reſtitutione lucri, ſi quod forte ex aliena pecunia negotiationi expoſita perceperunt, nec alia ipſi quoque, etſi maxime ſtudeant, eximere potuerunt, niſi quod id lucri genus non naturale pecunię eſt, quod capitali per ſe aliqua ex parte debeatur, ſed totum eſt induſtriæ, atque periculi, quorum neutrum cum pecuniæ dominus ſubeat, ſed utrum-

(1) Id ſumſerunt ex S. Thoma 2. 2. quæſt. 78. a. 3., ubi quæſtione propoſita, utrum *quidquid de pecunia uſuraria* (quę veluti rapta habetur) *quis lucratus fuerit, reddere teneatur*, reſpondet. non teneri reſtituere niſi pecuniam, quam accepit, *quia id, quod de tali re eſt acquiſitum, non eſt fructus hujuſmodi rei* (naturalis) *ſed humanæ induſtriæ*.

Digitized by Google

que ad furem, & raptorem pertineat, nihil lucri domino, totum autem raptori, ac furi vindicandum jure eſt.

10. Quod ſi ad pecuniæ, & capitalis jus aliquod aſſerendum in negotiationis lucra illud reponas, merces in negotiis ſuccedere loco pecuniæ, adeo ut lucrum ex divenditione mercium rediens, illi ex parte aliqua debeatur, cujus ſunt merces, duo reponam. Primo ſæpe merces in dominium ejus non tranſeunt, cujus eſt ipſa pecunia, ſed ejus, qui, aliena licet pecunia, illas emit, ſicut & pretium furtivæ rei, licet aliena re comparatum, in furis dominium tranſit, & *furtivum non eſſe* traditur L. 48. *Quinas* in fin. D. *de furtis*, ut fuſius probavimus adnot. 6. in cap. 8. tit. 1. par. 2. S. Antonini: ac propterea lucrum earum mercium ſi domino deberet cedere, non continuo deberetur pecuniæ domino, qui mercium dominus non eſt. Deinde quacunque ratione merces ſuccedant pecuniæ, non tamen per ſe ſuccedunt, niſi quantum pecunia valet; tantundem enim merces in emtione æſtimantur, ut ſerveturæqualitas, & tantidem etiam juſte ab emtore vendi poſſunt, uti quandoque etiam venduntur, & nonnunquam etiam minoris. Solum ſi pluris deinde vendantur, ut lucrum obveniat; hoc lucrum non jure pecuniæ, ſed induſtriæ, & ſortis erit; ut proinde lucrum ſolius induſtriæ, & periculi jure proveniens, illis ſolis debeatur, qui induſtriam, & periculum ſuſtinent, ſive propriam, ſive alienam pecuniam negotientur, ſive domini, ſive fures, ſive raptores ſint, ſive quilibet alii.

Urgetur idem argumentum.

11. Hoc autem ita quidem certum, & evidens in furto, & rapina eſt, ut illimetipſi, qui in noſtro caſu contendunt, negotiationi lucrum jure capitalis cedere debere domino, qui capitale a periculo tutum voluit, hanc ſententiam non ſequerentur, ſi ſibi agendum eſſet cum fure, vel raptore, quem ſane ex communi doctrina ad lucri reſtitutionem nequaquam compellerent. Num vero potior eſt conditio furis, atque raptoris, qui alienam pecuniam ſubripuit, & invito domino negotiatus eſt, quam negotiatoris, qui ſine culpa, & ex domini ipſius mandato, ſed ſuo ſolo periculo eſt negotiatus? Immo peſſima omnium, quoad reſtitutionis obligationem, eſt furis, ac raptoris conditio, quippe qui ex culpa ejuſmodi ad plura, quam reliqui, non vero ad pauciora obligatur: unde ex. gr. obligatur ad lucrum ceſſans, etiam ſine pacto, cum alii, qui abſque culpa pecunia alterius uſi ſint, ſine pacto non obligentur. Itaque vel injuſte abſolvuntur fures, & raptores a reſtitutione lucri, quod ex negotiatione alienæ pecuniæ proprio periculo perceperunt, ſi hoc juſte exigi poteſt ſolo negotiationis titulo, & abſque periculo etiam, ab eo, qui ſine ulla culpa pecuniam ex ipſius domini conſenſu negotiatus eſt: vel ſi injuſte gravarentur fures, atque raptores, impoſita ejus lucri reſtitutione; multo injuſtius hi quoque gravantur, qui minori nexu in pari licet negotiationis cauſſa obligantur.

Inanis ratio mandati ſine periculo.

12. Neque diſcriminis loco illud afferas, quod hoc in caſu pecunia ad negotiandum, & lucrandum data præſumitur, ita ut fraus fiat apertæ domini menti, ſi lucro fraudetur. Ubi in caſu rapinę, ac furti, quem poſuimus, fur, vel raptor ex ſuo, non autem ex domini mandato negotiatus eſt, ut nihil lucri ad dominum jure pertineat, hac ratione, ſi quid valeat, cum fur ſubreptum equum, quem dominus non locaſſet, ex ſuo, non autem ex domini mandato locarit; nihil lucri ejuſmodi deberet domino tradere: quod tamen nemo Theologorum dixerit. Quin omnes affirmant totum id genus lucrum debero

bere domino cedere ; quia licet mandatum deſit, fructus tamen hoc caſu, non mandati, ſed equi naturalis eſt, qui locatione ejuſdem percipitur: naturales autem cujuſque rei fructus domino competunt. Ita ſi quis animalia ad experiendum gràtuito accepta locet ſine mandato domini; fructus ejuſmodi, uti naturales, domino, deberi definitur etiam in civili Jure L. 13. D. *Commodati* §. 1. Non igitur mandatum, ſed fructus natura ſpectanda eſt, ut de fructus jure decidatur. Si fructus ſit naturalis, cujuſcunque mandatum ſit, nihil refert; ille enim domino debet cedere; nec mandanti, ſi non ſit dominus, mandatum prodeſt, uti furi ſane non proficit, cum alienum equum locavit. Si vero fructus non ſit naturalis, ſed induſtriæ, vel periculi, modo explicato; cujuslibet ſit mandatum, nihil operatur, fructuſque induſtriam, ac periculum ſuſcipienti debetur. Porro fructus pecuniæ negotiationi expoſitæ, non naturalis, ſed induſtrialis, ac fortuitus conceditur: & hac una ratione furi adjudicatur in rapina, & furto, ut ſuperius vidimus; nam ex ſolo mandato non deberetur, ut in locatione equi rapti non deberi diximus. Itaque etiamſi quis mandet ut ſua pecunia negotiationi, & lucro exponatur, cum tamen de lucro naturalis ſermo non ſit, ſed de induſtriali, & fortuito, quod unius induſtriæ, & periculi lucrum eſt; nihil ad juſtum lucri titulum confert negotiandi mens, atque mandatum, ſi nec induſtria, nec periculum ad mandantem ſpectet, ut in præſentiarum uſuvenit. Mandatum quidem negotiationis ex pecunia propria univerſim prodeſſe intelligitur, quatenus ille, cui mandatum eſt, mandantis (1) periculo pecuniam negotiari intelligitur; & ita mandanti juſtus lucri titulus eſt. At ſi a mandante periculum, & periculi titulus tollatur; ad jus in lucrum negotiationis mandatum nihil magis operatur, quam conſilium, quod ſine periculo, & titulo, jus in lucrum nullatenus parit. Immo ſicut mandatum, quo quis alium induſtriam in negotiationem conferre juberet, nihil juris per ſe tribueret, ut lucri, quod debetur alienæ induſtriæ particeps fieret; ita etiam mandatum, quo quis alii mandat ut ſuam pecuniam proprio ipſius accipientis periculo negotietur, nihil juris vindicat in lucrum, quod non pecuniæ, ſed ſolius periculi titulo provenit. Id genus mandati etſi cum pecunia, & capitali tradatur; cum tamen pecuniæ periculum, quod unum ex parte capitalis juſtus eſt titulus lucri, nequaquam ſubeat, ſed potius excludat; ad jus in lucrum nihil confert, ad quod ſine juſto titulo nec mandatum, nec pecunia proficere poteſt.

13. Impertinens porro ad rem præſentem eſt quod nonnulli minus appoſite regerere ſolent, ſatis periculi ſe ſubire, cum mercatoribus pecuniam ad negotiandum credunt: nam lucrandi jus negotiationis proprium ex ipſius negotii periculis, quę quis obeat, exoritur, non ex periculo negotiatoris, ne fallat: quo nomine, ſi juſtum lucrum pecuniæ domino deberetur, injuſte liberarentur a ſolvenda aliqua ſaltem lucri parte fur, & raptor, dum alie- *Periculum negotiatorum quam inutile ad pariendum lucrum.*

(1) Sic L. 48. D. *Mandati, vel contra*, mandanti lucrum ex periculo vindicatur, & hoc ſolum verum mandatum habetur: *Cum mando tibi, ut credendo pecuniam negotium mihi geras, mihique id nomen praſtes, meum in eo periculum, meum emolumentum ſit; puto mandatum poſſe conſiſtere.* Et L. 12. eodem tit. §. 13. verum mandatum hac forma exprimitur: *Periculo meo crede.*

alienam pecuniam negotiati ſunt, quorum ſane in manibus pecunia non modo idem, ſed majus etiam periculum ſubiit. Hic autem periculi titulus, non negotiationis proprius, inter lucrandi titulos etiam in mutuo a nonnullis refertur, qui tamen quam injuſtus ſit, ut vel in fure, & raptore habetur injuſtus, ſuſius demonſtravimus Prælect. 11. 12. 2. part. S. Antonini §. 26., & lib. VI. De jure divino, & naturali circa Uſuram c. 3., quod hoc loco omnino legendum erit.

Animadverſio pecuniæ de mutuo in negotiationem tradito.

14. Quod ſi ex hactenus conſtitutis illud manifeſte, ut opinor, ſequitur, negotiationis lucrum, qua ex parte merum capitaliſtam reſpicit, ſolo periculorum negotiationis jure provenire: non eam ob cauſſam lucrum mutui ad negotiandum traditi injuſtum eſt, quod pecuniæ dominium transferatur in mutuo, iniquum autem ſit ex aliena re aliquid lucri capere (nam etſi hoc verum eſt de lucro ex fructibus naturalibus, non tamen de induſtriali fructu, qui etiam ex pecunia aliena jure capitur, ut ex indicatis exemplis liquet) ſed etiamſi pecuniæ mutuæ non transferretur dominium, ut nonnullis perperam placuit, quos alibi confutavimus lib. I. de jure divino, & naturali circa Uſuram c. 3., adhuc tamen locari quidem cum lucro aliquo poſſet pecunia, ubi locationi locus eſt (id enim lucri rei locatæ naturalis fructus habetur, ut in pecunia data ad oſtenſionem, & pompam) at lucrari ex eadem negotiationi expoſita non liceret, ea proprie de cauſſa, quia negotiationis periculum, unde totum jus lucrandi capitaliſtæ ſuppetit, ad mutuantem non pertinet. Hæc autem ratio eſt evidentiſſima non tantum pro mutuo, ſed pro alio etiam quovis contractu, quo pecunia citra periculum capitalis in negotiationem & lucrum credatur. Hinc *depoſita* etiam apud mercatores, negotiationis, & lucri cauſſa, quæ eorundem mercatorum, non autem deponentium (1) periculo manent, uſuraria declarata fuerunt a Pio V., quod in alia ſententia falſo declaratum fuiſſet. Nihil hac definitione evidentius deſiderari poteſt, ut propoſitum hujus paragraphi ſtatuatur, & confirmetur: pecunia enim, quæ *depoſiti* nomine mercatoribus traditur lucri percipiendi cauſſa, in negotiationem exponenda traditur tuto capitali, & certo lucro; nec tamen id lucrum ab uſura purgare Apoſtolica Sedes potuit. Non merum *depoſiti* nomen offendit (neque enim meri nominis crimen uſura eſt) ſed res ipſa, cujuſcunque contractus appellatione nuncupetur; quatenus quocunque contractu pecunia negotiationi exponatur ſine periculo, legitimum lucrum afferre non poteſt. Hæc eadem depoſita jamdiu ante Pium V. uſuræ damnaverant omnes Theologi, & inter ceteros S. Antoninus pluribus in locis, ac præſertim part. 2. tit. 1. c. 6. §. 2., ubi ait: *Sunt nobiles, qui nolunt laborare, & ne pecunia eis deficiat paulatim conſumendo, tradunt eam mercatori, vel trapezita, intendentes principaliter aliquid annuatim recipere ad diſcretionem eorum, ſalvo tamen capitali: & quam-*

(1) Bull. *In cam* an. 1575.

Confer. c. 7. §. 34 & 36. c. 9. §. 13. p. 80 l. c. edit. Veron.

(1) Ejuſmodi enim ſunt depoſita, quæ Pius V. ita deſcribit, *cum pecunia, ſive depoſiti, ſive alio nomine ficti cambii traduntur, ut poſtea eodem in loco, vel alibi cum lucro reſtituantur*; ſine ullo ſcilicet deponentium periculo, quod negotiationis periculum ſit. In his tamen non comprehenduntur *depoſita* (uti a nonnullis appellantur) *in banchis* Campſorum collocata, ut in legitimis, ac realibus cambiis exerceantur: hæc enim cambiorum ſorti exponuntur, ut explicabimus cap. 4.

Digitized by Google

quamvis ipſi vocent hoc depoſitum, tamen clare uſura eſt. Animadvertit hunc contractum uſitatum fuiſſe Florentiæ *in platea Dominorum, & platea fori novi*, & alio loco *in partibus Tuſciæ*. Et obſervat etiam uſurarium, & illicitum habendum eſſe, etiam ſi depoſitarii multum *cum ipſa* (pecunia) *lucrati fuiſſent*. Adeo vero hoc ex omnium Catholicorum, ac ex ipſa Eccleſiæ doctrina certum habuit, ut eadem parte ſecunda tit. 3. c. 3. §. 11. non dubitaverit ſcribere, æque *pertinere ad hæreſim* ſi quis iſthæc depoſita ab uſuræ crimine purget, ac ſi quis fornicationem, aut alia ſimilia crimina a peccato vindicare nitatur: *Velle defendere*, inquit, *uſuram, quæ committitur ſub nomine depoſiti, vel diſcretionis, non eſſe peccatum, aut fornicationem ſimplicem, & hujuſmodi pertineret ad hæreſim.* Quod ſi hoc ante Pii V. decretum verum erat, quid cenſendum poſt definitionem ejus, quæ id genus depoſita expreſſe condemnans, lucrum ex pecunia negotiatione quidem expoſita, at ab omni periculo tuta, uſuræ maniſeſtiſſime damnat?

c. 9. §. 13.

c. 7. §. 34. p. 110.

p. 210. lit. 6. edit. Veron.

CAP. III.

De uſuraria trium contractuum pravitate.

§. I.

Trium contractuum ſyſtema exponitur, nec non contractus commiſſionis a Maignano defenſus, qui eodem recidit.

15. Quod ſi hactenus dicta vera ſunt de quocunque contractu, ubi pecunia certo cum lucro negotiationi exponitur ſine periculo; vera pariter erunt de contractu commiſſionis, & cautionis periculi, ſeu de contractu trium contractuum, quos nonnulli Auctores acriter propugnant. In his enim capitale negotiationi expoſitum, & a periculis tutum ſimiliter præfertur, ut proinde tota juſti lucri ratio ex dictis ſublata ſit. Sed cum hi contractus peculiaribus diſputationibus expoſiti, ac vindicati fuerint; peculiari quoque diſputatione expendendi ſunt, ut nihil præſidii ſuperſit, quo ex capitali ſalvo, juſtum, ac certum lucrum in negotiatione provenire poſſe credatur.

16. Cum quis pecuniam negotiationi exponit, ſi non ſua, aliena certe opera, quæ ad negotiandum neceſſaria eſt, uti debet. Aliena autem opera nunc certo annuo pretio, vel ſtipendio conducitur, ita ut quicunque negotiationis exitus fuerit, aliena opera certum ſemper, & tutum pretium conſequatur; & qui hac conditione opera in negotiationem confert, merus mercenarius miniſter habetur, hicque contractus locatio operum appellari ſolet. Nunc vero opera ponens, incerto contentus ſtipendio eſt, quod ſcilicet ex negotii lucro ſibi pro merito operis conſtitutum redibit; hicque contractus ſocietatis potius, quam locationis nomen ſortitur, quatenus opera æque ac capitale negotiationis ſorti expoſita ſunt, ut ex negotiationis exitu lucrum pendeat, vel damnum, quod inter miniſtrum, & capitaliſtam communicetur. Nunc tandem opera negotiationis certo quodam pretio annuo taxantur, & ſimul in pretii incerti partem, quatenus negotiationis lucra proſpere cedant, admittuntur, cum ſcilicet miniſtro præter certum pretium victus, quædam incerta lucri portio adſignatur; & tum ejuſmodi opera, partim certo pretio locata, partim collata in ſocietatem habentur. Porro cum quis pecuniam in negotiationem cuipiam mercatori induſtriam collaturo tradens, certum ab eodem lucrum, capitali a periculis tuto, exigit; cum

Digitized by Google

eum certe non habet uti verum miniſtrum, cujus opera nullo certo pretio conducit. Hinc ſocietatem cum eodem iniri prædicant, qui contractum trium contractuum defendunt; in qua tamen ſocietate, ne juſtitia violetur, de majori negotiationis lucro negotiatori remittendum aliquid ſtatuunt, ut is de certo lucro minori, & de capitali ipſo caveat. Hinc ſocietati duo pacta adjicienda tradunt; alterum, quo negotiator emat majus, uti ſperatur, ſed incertum negotiationis lucrum, quod capitaliſtæ debetur, pro minori quidem, ſed certo: alterum vero, quo idem capitaliſta de hoc minori certo lucro aliquid præterea remittat negotiatori, ut is capitale a periculis tutum præſtet. Hic autem eſt celebris contractus trium contractuum, quem ad uſuram vitandam nonnulli invexere, & licitum adhuc quidam propugnant. Ab hoc contractu re ipſa non diſcrepat contractus *Commiſſionis* a Maignano excogitatus, quo pecunia cuipiam committitur negotianda cum tertia ex. gr. lucri parte, remiſſa eidem alia tertia parte lucri pro aſſecuratione ſortis, ita ut capitaliſtæ tertia pars initio contractus taxanda, ex. gr. quatuor, vel quinque in centum, tuta, capitali tuto maneat; quę taxato lucri alias incerti ſine hujus virtuali emtione fieri non poteſt. Ut autem certum hoc lucrum ſit quatuor ex. gr. in centum pro annis ſingulis, univerſum negotiationis lucrum, quod capitaliſtæ deberetur, duodecim annis æſtimant, ex quibus quatuor pro taxatione, & cautione certi lucri octo ducatorum mercatori remittantur; & ex his deinde octo ducatis certis alia item quatuor remittantur pro cautione capitalis, ſicque ducati quatuor certi in centum capitali tuto capitaliſtæ ſuperſint. Hæc præciſe ex Navarro in Comment. de Uſuris n. 32., quem trium contractuum celebrem vindicem ceteri ſequuntur.

Vide librum Maignani *De uſu licito pecuniæ.*

Hunc autem contractum, quatenus cautionem duplicem capitalis, & lucri ſocietati ſuperaddit, multis ex capitibus a juſtitiæ regulis deficere ſequentibus paragraphis demonſtrabimus.

§. II.

Iniquitas hujus contractus a Romanis, a mercatura peritiſſimis, & ab ipſis uſurarum patronis declarata.

17. HÆc trium contractuum expoſitio ſatis æqua videtur, dum ſolius lucri hypotheſim oculis ſubjicit. At ſi damni caſus conſiderentur, nihil iniquius videri poterit. Societates negotiationum non ſolum lucrum, ſed etiam damnum identidem ſentiunt; & qui has ſocietates ineunt, ut æquitatem ſervent, & veri ſocii in omnibus ſint, non tam lucri, quam damni communionem facere debent. Qui ſolius lucri, non autem damni ſocius eſſe vult, iniquus ſocius eſt; & ſi præterea lucrum velit in ipſo damno, ubi lucrum non eſt, iniquiſſimus eſt ſocius, ſi modo ſocius ullo modo dici poteſt, qui ſolum lucrum percipit etiam in ſocii damno. In contractu autem trium contractuum utrumque fit. Qui enim pecuniam in negotiationem hoc contractu confert, non ſolum ſocius eſt in lucro, non in damno; verum etiam in damno ſocii lucrum percipit. Neque pretium cautionum damni, & lucri obtrudas; nam prępterquamquod hoc pretium quam commentitium, & inæquale ſit inferius dicemus: in damni certe caſu, quod ex univerſa ſocietate colligitur, nullum vere eſt hujuſmodi pretium, vel lucrum ex parte mercatoris (damnum enim capitalis eſſe nequit, ubi lucrum aliquod ſit) ſed ſolum damnum: lucrum autem ſolius pecunioſi eſt in damno, & ex damno ſocii mercatoris, qui ex ſuo

Ratio generica hujus iniquitatis proponitur.

Digitized by Google

ſuo damnum capitalis compenſare, ac lucrum illi ſolvere cogitur. Practici caſus propoſitio hanc iniquitatem melius patefaciet. Ponamus igitur mercatorem, qui pecuniam alienam triplici contractu negotiandam accepit, damnum ſuſtinuiſſe ſine ulla culpa, ita ut non ſolum nihil lucri ceperit, ſed damnum etiam aliquod capitalis ſubierit; quæro, quid capitaliſta hoc caſu faciet? Exiget ne totum capitale, & lucrum, ut triplicis contractus obligatio poſtulat? Si illud damnum ex culpa eveniſſet, juſta eſſet exactio, non tamen ex contractu triplici; damnum enim ex culpa quiſque præſtare etiam ſine triplici contractu debet. At ſi abſque culpa id acciderit, quicunque fuerit contractus, æquum ne videri poteſt, ſocium negotiatorem, qui induſtria uſus eſt, non ſolum nihil lucrari, & propriæ induſtrię damnum capere, ſed etiam damnum capitalis, & lucri, quod capitaliſtæ pendere cogitur?

Confirmatur ex Romanis legibus. L. 29. D. Pro ſocio.

18. Iniquum ipſæ Romanæ Ethnicorum leges hoc cenſuere, ſi in ſocietate *alter lucrum ſentiret, alter vero nullum lucrum, ſed damnum ſentiret: iniquiſſimum enim genus ſocietatis eſt, in qua quis damnum, non etiam lucrum ſperet.* Ad leoninam ſocietatem hoc pertinere affirmarunt, quatenus nimirum alia fera a leone in ſocietatem vocata ad prædam capiendam, ſi prædam non capiat, ipſa ex ſuo leoni prædæ loco ceſſura ſit. Neque repugnant quæ eadem Lege traduntur, *ita coiri ſocietatem poſſe, ut nullius partem damni alter ſentiat, lucrum vero commune ſit:* hęc enim accipienda intelliguntur ex contextu non de capitaliſta, ſed de eo, qui operam contulit, *quod ita demum valebit*, inquit eadem Lex, *ſi tanti ſit opera, quanti damnum eſt*; quatenus ſcilicet hoc caſu operam ponens, nihil de capitalis damno gravandus eſt, cui ſatis eſſe debet operis damnum, ut Panormitanus optime adnotavit in cap. *Naviganti, de Uſuris*, nec non Covaruvias lib. 3. Var. Reſol. cap. 2. n. 6., dum ſimilem Juſtiniani ſententiam huc mirifice conferentem ex lib. 3. Inſtitut. tit. 26. §. 2. exponunt. Id ergo per Romanas Leges certum manet, poſſe quidem illum, qui operas ponit, nullum capitalis damnum in ſocietate ſentire; ſi autem ſolus damnum capitalis ſentiat, & multo magis ſi lucrum in damno ſolvere cogatur, iniquiſſimum ſocietatis genus haberi.

Teſtimonium peritiſſimi in re mercatoria.

19. Iniquum id pariter profeſſi ſunt celebres viri, negotiationum, atque commercii peritiſſimi, inter quos ſatis ſit memorare Jacobum Savary, qui ob inſignem mercatoriæ rei peritiam totius Galliæ commercio tanquam oraculum præfuit, ejuſque opera hac ſuper re edita principem locum habent. Is autem triplicem contractum in deſcriptam fere formam expreſſe initum, de quo Pariſiis ſententiam tulit die 10. Jan. an. 1681., ab uſurariis inductum, & iniquum habuit, adeo ut eum in caſu damni ad ſocietatis terminos revocandum, lucrumque exinde perceptum reſtituendum, ac damnum pro rata ſubeundum cenſuerit. Æquiſſima profecto ſententia, ne ex contractu iniquo capitaliſta hoc beneficium conſequeretur, ut nihil damni ſentiret, qui lucrum appetivit; & ne creditores ex eo, qui ſocietatem fuerat ementitus, illud præjudicium caperent, quod Opuſculo III. explicabimus. Mirum ſi Theologi aliter, quam negotiator peritiſſimus, ſentiant.

Le perfait Negotiant tom. 2. par. ner. 21. pag. 170.

Teſtimonium patronorum uſuræ.

20. Quid, quod ipſi uſurarum patroni hanc iniquitatem noverunt? Duorum teſtimonia proponam, Molinæi, & Ameſii. Molinæus, qui uſuram eo caſu approbat, quo pecunia cuipiam non in neceſſitatem, ſed in lucrum creditur, propterea quod hoc caſu partem lucri percipere nec cha-

Molinæi.

charitati, nec juſtitię oppoſitum, immo potius maxime æquum putavit; in negotiatione tamen, ubi lucrum non proveniat, nihil lucri percipi poſſe, immo damnum in damno ſubeundum ſubindicat. Hoc enim lucrum in tract. de Uſuris num. 10. eatenus a mercatore exigi poſſe ait, *dummodo qui ſtipulatur* a mercatore lucrum, *nullam proximo fraudem mediterur, nec uſuram inique exigat, quinimmo nec recipiat quidem, ſi jacturam dando faciat debitor: ſed hoc tantum accipiat, & exigat, quod bona fide, & cum æquitate vellet a ſe accipi, & exigi, in eadem periſtaſi exiſtens, vel in ſimili neceſſitate deprehenſus.* Quibus poſtremis verbis etiam capitalis partem pro rata remittendum videtur innuere, ſi jactura pro lucro in negotiationem incidat; unde apertius n. 530. hunc locum allegans ſcribit: *Adhuc iterum verum eſt, quod ubi conſtat, pecuniam caſu fortuito omnino periiſſe debitori, non decet creditorem uſuram exigere, quin etiam nec ſortem quandoque, ut ſu-*
Ameſi. *pra num.* 10. Similiter Guillelmus Ameſius l. 5. de Conſcientia c. 44., quod de *Contractu uſurario* inſcribitur; poſtquam quæſt. 2. uſuram licitam poſuit, dum non exigatur ab eo, qui ex neceſſitate mutuum quærit, quæſtione 3. ponens caſum uſuræ, quæ ab eo, qui pecunia in lucrum uſus eſt, percipitur, rationemque inquirens, unde poſſit *æquitas* hujus lucri monſtrari, triplicem contractum proponit, & ex eo juſtitiam, & æquitatem ſtatuit, ac ſi lucrum hoc contractu perceptum, ſit vere lucrum ex mutuo, ac proinde uſura. Nihilo tamen minus in hoc contractu triplici ad æquitatem, & juſtitiam id omnino requirit: ne in damno citra culpam contingente lucrum quæratur. Poſtquam enim n. 18. quæſivit *quænam obſervanda ſint ad peccatum vitandum in pecunia exponenda*, reſpondet inter cetera num. 22. *Ratio ſemper habenda eſt illius, quorum res eſt, ut cum ejus commodo, non damno fructus pecuniæ redeat ad illum, qui mutuo dedit. Hinc ſummum jus non poteſt ſæpe ſine ſumma injuria urgeri, ex. gr. ſi quis abſque ſua culpa jacturam fecerit in negotiatione, quam facit ex pecunia mutuo accepta; inhumanum eſſet ab ipſo exigere pecuniæ proventum, ideſt lucrum percipere ex ejus damno. Hanc æquitatem etiam in locatione, & conductione naturalis conſcientia videtur dictare, ut ſi vel ſterilitas, vel calamitas superveniens tanta ſit, ut conductor damnum notabile patiatur ex re conducta; penſio illi ſit a locatore remittenda vel tota, vel ex damni facti proportione.* Si pręter lucri jacturam damni etiam proportionem capitaliſtæ impoſuiſſet, nihil ſerio æquius poſſet. Videant nunc ipſis uſurarum patronis deteriores, ac minus æqui eſſe velint Theologi noſtri, adeo ut nec capitalis, nec lucri damnum in triplici contractu ſubeundum affirment. Quod ſi ad hanc æquitatem ſervandam neceſſarium eſt, ut in fortuitis damni caſibus capitaliſtæ non lucrum, ſed damnum ſubeant; cum hac ratione capitale a fortuitis periculis tutum in ſocietate præſtari non poſſit, ac proinde non triplex contractus, nec mutuum, ſed vera ſocietas, lucro ad ſummum præſtituto, ineunda ſit: male illi quidem hac in hypotheſi uſuram viderunt, quæ vere non eſt; at qui hanc hypotheſim neceſſariam negant, ii ab ea æquitate, quam & Romani, & negotiatores, & ipſi uſurarum patroni præſtituerunt, turpiter recedunt.

§. III.

§. III.

Falſa hypotheſis Auctorum, qui triplicem contractum defendunt, circa lucrum ſocietatum; & de injuſtitia pretii, quod pro duplici cautione remittitur.

21. SEd ut a ratione hunc triplicem contractum diſtinctius expugnem, eum multis capitibus a juſtitiæ regulis deficere oſtendam. Primus defectus in eo eſt, quod juſtum illud, uti præfertur, duplicis ejus cautionis pretium vere non ſolvitur. Ejus nimirum calculi, qui æquus primo adſpectu videtur, computatio, re ipſa inanis univerſim eſt. Ut enim nummi duodecim lucri annui in centum capitaliſtæ reſponderent, ex quibus duplicis cautionis pretio detracto, quatuor in centum eidem ſupereſſent; quindecim, & amplius in centum quotannis ex negotiatione deberent redire. Nam præter duodecim nummos capitaliſtæ contingentes, operæ item, & induſtriæ pretium remanere debet: quod etſi in aliquibus negotiis æquale, vel etiam majus eſſe poſſit, quam pretium capitaliſtæ, ut nonnullæ Romanæ quoque leges agnoſcunt; ut tamen minimam locupletiorum noſtratium negotiationum æſtimationem ſequamur, tertiam, vel quartam ad minus partem lucri pro induſtria exigit, & proinde tota ſumma lucri capitali, & induſtriæ reſpondens, in ea capitalis computatione quindecim, & eo amplius in centum omnino requirit. Ita ſcilicet apud magnos negotiatores lucrum in centum partes, quas Italice vocant *carati*, diſpertitur, ut ſexaginta, vel ſeptuaginta partes circiter capitaliſtis pro rata, reliquæ autem triginta, vel quadraginta operi, & induſtriæ vindicentur. Quæ autem negotia noſtris in regionibus ducatos quindecim, & amplius annui lucri in centum quotannis referunt? Præſtantiſſimæ omnium, ac feliciſſimæ negotiationes, ac ſocietates illæ habentur (ut ex pluribus accepi) quæ novem, vel decem ad ſummum lucri annui in centum pariunt. Ita ſi feliciſſimæ etiam præſumantur quævis ſocietates (quod tamen in contrahenda ſocietate univerſim præſumendum non eſt; præſumtio enim e frequentioribus ducitur) ex rectis, & uſitatis negotiorum partitionibns capitaliſtæ (1) non duodecim, ſed ſex, vel ad ſummum ſeptem in centum ſocietatis jure proveniunt: ex quibus ſi juſtum duplicis memoratæ cautionis pretium negotiatori remittatur, num quatuor adhuc certa pro capitaliſta ſupererunt? Quis duo, vel tria incerta in negotio, quod feliciſſimum ſæpius non erit, nec præſumi poterit, ſibi remiſſa, juſtum duplicis cautionis, certi lucri, & tuti capitalis pretium habeat? Cum de certo lucro libere cavendo agitur, video difficile eſſe, quod mercaturæ periti ducatos quatuor certos præſtare velint pro majori lucro incerto: quidam enim tres cum dimidio ad ſummum prſtare volunt. *Libere cavendo*, inquam; nam qui quatuor certos, vel amplius etiam ſolvunt capitaliſtæ, reliquis vero duobus, vel tribus incertis pro cautione non tam lucri, quam capitalis contenti ſunt; ii fere neceſſitate aliqua, vel metu ad id compelluntur, ut inferius oſtendam. Si

L. Si non fuerint. D. Pro ſocio.

(1) Hac in computatione, quæ falſa eſt, ſocietatum redditus ultra valorem ipſorum æſtimantur in triplici contractu, ac proinde injuſtus hic contractus eſt, ſicut injuſtæ a Paullo IV. definitæ fuerunt ſocietates officiorum, quæ *ultra valorem ipſorum officiorum* inſtituuntur. Vide Conſtitut. 11. *Inter ceteras curas*, Non. Octobris an. 1555.

Digitized by Google

porro in libera, & juſta cautione certi lucri pro incerto, certi ducati annui quatuor, vel etiam, ſi placeat, quinque, pretium ipſius lucri incerti juſtum ſunt; qui pro periculo capitalis cavendo aliquid certi lucri remittere vellet, ex his quatuor, vel quinque deberet remittere juſtum periculi pretium. Quod ſi ille non facit, qui quatuor, vel quinque tutos exigit; is profecto juſtum periculi pretium nequaquam ſolvere convincitur. Num duo illi, vel tres ducati incerti lucri, qui remittuntur pro certo lucro annuo, utriuſque cautionis juſtum pretium haberi poſſunt? Quis in ſocietate libera, hoc tam exiguo, & incerto pretio, de certo lucro, & de capitali ſimul cavebit?

22. Ad hujus pretii injuſtitiam apertius cognoſcendam illud præterea obſervandum eſt, aliud eſſe de aliquo determinato, & noto periculo cavere, aliud autem cavere de periculis omnibus etiam indeterminatis, quæ in negotiationem præter opinionem ſæpiſſime incidunt. De quibuſdam periculis determinatis, & notis, quæ æſtimari facile poſſunt, certo pretio nonnulli cavent, ut de periculis maris, itinerum &c. At de univerſis etiam indeterminatis, & poſſibilibus negotiationis periculis, quę ſicut pręconcipi, ita æſtimari non facile queunt, quis unquam ullo pretio cavit? Pro ſolo periculo maris mercium ex Anglia ex. gr. in Italiam tranſmittendarum qui cavent, exigere ſolent unum, vel duo in centum, & quandoque etiam quinque, ſi, ut hiſce temporibus accidit, mare a bellis liberum non ſit. Si porro unum periculum tanto pretio juſtum æſtimatur, quantum eſſe debebit pretium pro periculis omnibus, quæ quis in univerſa negotiatione tuta præſtet? Cavendum eſt non ſolum de itineribus, & mari, ſed etiam de mercium facili divenditione, de omnium, eorumque ignotorum, qui futuri erunt debitorum nominibus, ne fallant, & de aliis quamplurimis inexcogitatis ſæpe eventibus, ex quibus pendet, ne pro lucro damnum in ſocietatem redeat. Num pro his omnibus juſtum pretium in univerſis paſſim ſocietatibus habebuntur illa duo, vel tria incerta, quę pręter taxam certam capitaliſtæ aſſignatam, ex rata capitalis portione vix in feliciſſimis negotiis ſperari queunt? Quis præter negotiatorem ipſum hoc tam vili pretio juſtum ſibi tantæ cautionis pretium ſolutum credat? Nullus mercatorum, opinor, pro capitali in alia ſocietate apud alium poſito vellet forte ullo pretio de omnibus hiſce eventibus, atque periculis, præſertim debitorum, cavere; vel tribus ſaltem ducatis, iiſque incertis in centum nequaquam contentus, tantum cautionis pretium certo pendendum exigeret, ut totum lucrum capitali reſpondens abſorberet. Igitur illud tam exiguum pretium, & incertum, quod non ſolvitur, ſed remittitur, & pro unica certi minoris lucri cautione remitti ſolet, minus juſtum habendum eſt pro cautione duplici, & certi lucri, & omnium periculorum, ut in præſenti contractu trium contractuum uſuvenit.

23. Hoc idem argumentum ad trium contractuum injuſtitiam demonſtrandam brevi expoſuit negotiationum peritiſſimus Cardinalis de Luca parte 1. de Uſuris diſc. 1. n. 16., ubi poſtquam principium illud *omnium* etiam adverſariorum *ſenſu* certiſſimum poſuit, ad juſtitiam ejus contractus *requiri, quod lucrum veriſimiliter ſperatum a ſocio, ſeu mutuatario aſſecuratore, importet congruam, ſeu condignam mercedem utriuſque aſſecurationis, ſortis, & lucri, adeo ut a tertio non mutuatario, neque pecunia indigente* (id enim ad diſcernendam pretii juſtitiam, coactione omni ſublata, maxi-

me

Digitized by Google

me neceſſarium eſt) *eadem conditio de facili obtineretur*; hæc dein ad probandam *quinque ducatorum*, qui *certi* capitaliſtæ ſuperſint, injuſtitiam ſubdit: *Ad effectum, ut creditor, ſeu mutuator aſſecuratus tam de ſorte, quam de lucro obtineat quinque pro centenario, oporteret dare lucrum in plus, quam quadraginta* (forte legendum *triginta*, ego autem viginti, vel quindecim etiam ex noſtrorum locorum partitione contentus fui) *pro centenario; dum ex lucro detrahere prius oportet portionem quodammodo colonicam, debitam ipſi mutuatario, tanquam ſocio ponenti operas, pro iſtarum congrua, & proportionata remuneratione; deinde vero de eo, quod ſupereſſet ad commodum creditoris, tanquam ſpecies portionis dominicalis, detrahenda eſt magna, & notabilis quantitas, qua veriſimiliter ſit congrua mera dicta duplicis aſſecurationis etiam a quolibet tertio negotiatore facienda, quod videtur impracticabile*. Hactenus Cardinalis de Luca; qui ſi hac ratione injuſtum definivit lucrum quinque pro centenario in tribus contractibus ejus negotiationis, unde triginta annui lucri non redeant; quis purgare poſſit quinque, vel quatuor in ſocietatibus noſtræ regionis, quæ novem, vel decem lucri in centum vix pariunt? Detrahatur ex his induſtriæ pretium, ideſt pars tertia, vel quarta; & ex parte capitaliſtæ, quæ erit ſex circiter in centum, juſtum duplicis aſſecurationis pretium iterum detrahatur, cui *tertius* aliquis libenter acquieſceret: num ſupereſſe adhuc poterunt quatuor, vel quinque ducati, qui capitaliſtæ certi pendantur? Ut quatuor, vel quinque certi ſuperſint capitaliſtæ, ex illis ſex circiter in centum, qui capitale contingant, ex hac ipſius portione non remittuntur negotiatori niſi duo, vel tres incerti: hi autem duo, vel tres incerti, etſi pro ſola cautione lucri certi, vel (ſi interim placeat) pro ſola cautione capitalis juſtum forte pretium haberi a nonnemine poſſint; pro utraque tamen cautione non poſſunt, uti ſane juſtum utriuſque cautionis pretium nequaquam haberentur a *tertio*, qui hac propterea conditione duplicem cautionem capitalis, & lucri præſtare omnino nollet. Quæ ſi vera ſunt, ubi tertia, vel quarta pars lucri debetur induſtriæ, quid ubi media debeatur, ut in laborioſioribus, & minutis negotiationibus accidit? Num ex media incerti lucri parte ad capitaliſtam pertinente quatuor, vel quinque pro eodem ſepoſitis, utriuſque ſimul cautionis pretium ſupereſſe poteſt?

§. IV.

In triplici contractu vera ſocietas non ſubſiſtit, ſed verum mutuum. Pecunia hoc contractu tradita crediti naturam inducit quod a ſocietate alienum eſt. Demonſtratio evidens ex decoctionum facto. Paritas ex contractu Mohatra. Si ad duplicem contractum ſocietati adjiciendū mercator adigatur, iniquum id eſſe ipſi trium contractuum defenſores accuratiſſimi fatentur. Si vero mercator id petat, adhuc injuſtum eſt lucrum ſine juſto titulo perceptum, quo titulo deficiente, nihil prodeſſet ſocietas, ſi qua ſupereſſe crederetur.

24. AD hæc quiſpiam fortaſſe reponet, argumento hactenus allato probari quidem evidenter majus incertum pretium pro utraque hac cautione mercatori remittendum eſſe; & ſi huic non duo, vel tria remittantur, ſed quatuor, vel quinque, ita ut tria, vel duo tantum in centum capitaliſtæ quotannis ſolvenda ſint, illa quatuor, vel quinque, licet incerta, mer-

mercatori remiſſa, pretium utriuſque cautionis juſtum videri. Quando hæc quatuor, vel quinque, quę mercatori eatenus remittuntur, quatenus præter conſtitutum capitaliſtæ lucrum proventura ſint, non certa, ſed incerta ſunt, quæ quidem vix in fortunatiſſima negotiatione redibunt; vereor, ne quiſquam hoc cum incerto pretio duplicem certi lucri, & omnium periculorum cautionem ſubire cum aliis mercatoribus vellet. Sed hoc omiſſo, rationabilis hæc opinio videri nonnullis poterit ea in hypotheſi, quod ex pecunia adhuc a periculis negotiationis tuta lucrari liceat. Sed quid, ſi ſpecialia conſiderantes in hoc contractu, omne vel moderatum ejuſmodi lucrum per ſe injuſtum demonſtremus? Ut in hoc contractu lucrum eſſet juſtum, deberet provenire ex vera ſocietate, & titulo juſto. At in præſenti contractu veram ſocietatem cum juſto titulo non extare illud ſuadet, quod in illo verum latet mutuum; vel ſi ſocietas prætendatur, ea juſto lucri titulo caret. De utroque nonnulla.

Argumenta, quæ ſocietatem a triplici contractu excludunt.

25. In pluribus contractibus, qui aliorum contractuum formam præferunt, verum, ſed palliatum mutuum contineri conſentiunt omnes, qui uſuram aliis contractibus palliatam agnoſcunt. Porro in contractu trium contractuum, quo de lucri, & ſortis periculo cavetur, ſocietatis, & cautionis nomine mutuum velari mihi evidens eſt. Societas quidem negotiationis, qua plures aliquid proprium in negotiationem conferunt, ita per ſe negotiationis ſorti, ac periculis ea, quæ conferuntur, exponenda exigit, ut qua ex parte alter certum velit, alteri autem relinquatur incertum, deſtructa (1) ſocietas ſit. Si duobus operam, & induſtriam in negotiationem conferentibus, alter certum induſtriæ pretium velit; is merus miniſter habebitur, non autem ſocius; neque contractus ejus ſocietas, ſed operæ, & induſtriæ locatio eſt, & vulgo etiam habetur. Illi ſolum, qui ſuas operas, & induſtriam negotiationis aleæ exponunt, ſocii ſunt, & appellantur: & ſi quis partim certum velit ſtipendium, partim vero aleam negotiationis ſubeat; cum ex ea parte, qua certum aliquid vult, miniſter, & locator operum cenſetur, tum ex ea parte, qua aleam ſubit, ſocius haberi poteſt. Quod de operibus, & induſtria dictum eſt, idem & de capitali dicendum. Hoc eatenus in ſocietatem confertur, quatenus aleæ negotiationis exponitur. Subducta alea, nihil ſocietatis reliquum eſt. Enimvero (ut rem oculis ſubjiciam) fac ſocietatem negotiationis Petrus, & Frāciſcus ineant, in quam Petrus capitale, Franciſcus autem perſonam, & induſtriam conferat. Idcirco utrique negotiationis ſocietatem habent, quia utrique, quod conferunt, negotiationis aleæ exponunt. Sicut autem Franciſcus, ſi ſuam induſtriam, & operam negotiationis aleæ nolit expoſitam, ſed eam a Petro certo ſtipen-

(1) L. 13. D. *De præſcriptis verbis*, cum quis cuipiam rem vendendam dediſſet certo pretio, ita ut ſi pluris vendidiſſet, ille ſibi retineret, negat Ulpianus hoc in contractu ſocietatem, quia alter certum ſibi præſtituens, alterum incertum reliquit: *Societas non videtur contracta in eo, qui te non admiſit ſocium diſtractionis, ſed ſibi certum pretium excepit*. Neque tamen venditionis miniſtrum obligavit ad certum pretium, ſive venderet, ſive non venderet. Quo in caſu ſi ſocietas ſublata eſt quanto magis eo caſu auferetur, ubi qui rem vendendam accepit, de certo pretio ſolvendo caveat, ſive rem vendat, ſive non vendat, ſive etiam minoris vendere cogatur? Id in triplici contractu verum eſt.

pendio tutam præſtari velit, ſocius amplius non eſt, nec dici poteſt, ſed perſonæ, ac induſtriæ locator, atque miniſter; ita ſi Petrus capitale negotiationis aleæ expoſitum nolit, ſed certum lucrum a Franciſco quærat, ſocius ſimiliter non erit, nec dici poterit. Locator ad ſummum fiet pecuniæ, ut ille perſonæ, & induſtriæ; ſed hoc diſcrimine, quod locatio in perſonam optime cadens, omni jure probatur, locatio autem in pecuniam ad conſumtionis uſum traditam (ut in negotiatione evenit) haudquaquam cadens, fœnus pariat, ac omni jure improbetur, ut lib. V. de Jure divino, ac naturali circa uſuram vidimus cap. 5. §. 2. & ſeqq. Interim ergo certo agnoſcitur, ex cautione capitalis, & lucri in triplici contractu non ſubſiſtere amplius ſocietatem, qua una Auctores, quos nunc impugnamus, lucrum ab uſuræ labe excuſandum arbitrantur. Tota iſtorum hallucinatio a falſa ſocietatis notione dimanat. Societatem ſcilicet ii collocant in capitali, quod negotiationi neceſſarium eſt. At negotiationi eſt pariter neceſſaria perſonarum induſtria; nec tamen ſocietas perſonarum conſiſtit, ſi induſtria periculis non exponatur. Idem eſt de capitali; adeo ut non ex mero capitali, ſed ex periculis, quibus in negotiatione exponitur, ſocietas derivanda ſit. Id confirmabitur, immo evidens plane fiet furis exemplo. Si hic ſubreptam pecuniam negotiatori in commercii ſocietatem tradat, alienam utique, non ſuam pecuniam tradit. Quæro igitur, cujus ſocietas ſit, domini ne, cujus eſt pecunia, an furis? Ut de ſocietate decidatur, de lucro, quod ſocietatis jure capitale contingit, cognoſcendum eſt. Porro quidquid lucri capitalis titulo provenit, furi debetur, non domino, uti ex ante conſtitutis liquet. Si domini nihil interſit pecunia non caruiſſe; totum lucrum capitali reſpondens furi acquiritur, ut ne ad reſtituendum domino hoc lucrum, ſed ſolam pecuniam cogatur. Cum porro hoc lucrum jure ſocietatis proveniat, ſocietas igitur non domini, ſed furis eſt. Quid ita, ſi pecunia non eſt furis, ſed domini? Nempe quia fur dum pecuniam alienam negotiationi tradidit, ſuo, non autem domini periculo tradidit, ut ſuperius diximus. Societas ergo non ex pecunia, quæ furis non eſt, ſed ex ſolis pecuniæ periculis, quæ in aliena pecunia furi imminent, unice pendet, ac propterea nihil ad ſocietatem confert pecuniam negotiationi expoſitam meam eſſe, ſi pericula ad me non pertineant. Licet ergo ex triplici contractu poneretur pecuniam eſſe ejus, qui eam negotiationi tradit; cum tamen nullum negotiationis periculum ſubeat, nullam poteſt negotiationis ſocietatem prætendere, quæ ex ſola periculorum ſocietate, non ex pecuniæ conſiſtit, ut furis exemplo demonſtratum eſt.

Vid. ſup. n. 17. & ſeqq.

26. Porro cum duplex ſit negotiationis periculum, lucri, & capitalis, non negarim, eum, qui alterius tantum periculi cautionem exigit, ſatis ex altero ſocietatem aliquam tenere. Ita ſi quis, ſocietate cum mercatore inita, cautionem certi lucri petat pro majori incerto (qui quidem contractus eſt, & appellatur venditio lucri incerti pro certo, non autem lucri ſocietas, quæ ſine lucri alea non ſubſiſtit), ſocius tamen adhuc ille eſt ex periculis capitalis, quibus, vendito licet lucro, expoſitus eſt. Similiter ſi quis, ſocietate pariter inita cum mercatore, cautionem ſolius capitalis petat, & certum pro ea pretium ita ſolvat, ut lucri tamen incerti periculum ſubeat; ſocietas aliqua lucri incerti ex aſſumtis lucri periculis ſubſiſtit, licet capitalis ſocietas non ſubſiſtat. Hinc altera tantum cautione adhibita lucrum aliquod ſocietatis jure percipi poſſe inferius dicemus. Ubi

autem

Digitized by Google

Confer dicenda cap. 4. §. 3. autem utraque cautione contracta neque lucri, neque capitalis alea, ac periculum ſubitur; tum omnis periculi ſocietate, ſeu communione ſublata, nulla ſocietas ſupereſt, quæ ex ſola periculorum communicatione proficiſcitur.

Evidens practica confirmatio. 27. Id confirmare licet ex eo, quod in ejuſmodi contractu trium contractuum, qui pecuniam proinde negotiandam tradit, non uti capitaliſta, ſed uti creditor habetur æqualis creditoribus ceteris, qui ſocietatem nullam cum negotiatore inierunt; unde in negotii damnis, ac negotiatoris decoctionibus, eidem æque ac creditoribus ceteris pro rata ſolvitur, quod vere creditor, non ſocius habeatur. Veræ enim ſocietatis jure in decoctionibus non ante ſociis ſolvitur, quam creditoribus ſatisfactum ſit; & ſi non ex æquo ſatisfieri creditoribus poſſit, nihil ſociis capitaliſtis ſolvendum ſupereſt, ut pluribus explicabimus Opuſculo III. n. 22. Hoc præſertim argumentum ex ipſa praxi deductum veram (1) ſocietatem a triplici contractu evidenter excludit. Propoſui iſtud nonnullis magni ingenii defenſoribus, nec ſolvere potuerunt.

28. Si porro ſocietas vera in hoc contractu non eſt, quid ſub hoc pallio, niſi mutuum vere tegitur, & continetur? Mutuum quidem eſt traditio rei uſu conſumtibilis, cum pacto reſtitutionis (2) in omnem eventum. Ubicunque hæc mutui definitio deprehendatur, ibi mutuum reperiri negandum non eſt. Porro in ſocietate, qua de capitalis periculo cavetur, ea mutui definitio deprehenditur: pecunia enim ita traditur, ut in omnem eventum reſtituenda ſit. Igitur mutuum, ſocietatis, & cautionis nomine palliatum, ibi vere reperiri, ubi eſſentialia mutui de- Argumenta, quibus verum mutuum in triplici contractu inesse monſtratur.

---

(1) Jacobus Savary negotiationis callentiſſimus, & negotiationum controverſiis dirimendis præfectus, cujus ſuperiori paragrapho meminimus, ſocietatem id genus practicam nullam eſſe definivit. Neque opponatur, eundem auctorem poſt eam definitionem, illis, qui pecuniam apud mercatores collocant depoſiti nomine, lucrum quoddam permittere, quod nonnullæ humanæ leges in commercii bonum permittunt. Nam præterquamquod non continuo licet, quod humanis legibus in foro externo juſtis de cauſſis, hac præſertim in re, permitti nonnunquam poteſt, ut lib. V. de jure divino, & naturali circa Uſuram c. 3. oſtendimus: cum ille deceptus fuerit male intellectis quibuſdam documentis, quæ legitimum realium cambiorum lucrum, aut id, quod intereſt tantum approbantia, ad rem præſentem nihil conferunt; quis errantem ſequatur, cum præcipue hoc depoſitorum genus Romana Sedes damnarit? Quod autem ſocietatem in triplici contractu negat, & pernegat, ex ſocietatum conſultiſſimo veriſſimum habendum eſt, ut etiam ratio in textu propoſita ſuadet: turpeque eſſe Theologis debet, ſi quod verum eſt deſerant, ut quod falſo poſuit, citius arripiant. Falſum autem vel per ipſos adverſarios dicitur, licere lucrum negotiationis ex pecunia, ubi nulla ſocietas admitti poſſit: nullam vero in caſu, ſicut & in depoſitis ſocietatem eſſe Savary teſtatur.

(2) In emtione prædii cum pacto retrovenditionis, ſi modo liceret, in emtoris gratiam, de quo diximus Opuſculo I. num. 52., etſi tradatur pecunia res conſumtibilis, cum reſtitutionis, ſeu redemtionis pacto; non tamen *in omnem eventum*, etiamſi pereat, nec redimi poſſit, reſtituenda eſt, ut in mutuo accidit. Hinc mutuum proprium in ea emtione non contineri quidam defendunt.

Digitized by Google

deprehenduntur, negari non poteſt. Lucrum ergo quodcunque inde perceptum ex mutuo vere eſt, ac proinde uſurarium, & injuſtum fateri debemus.

Si mercator ad cautionem, ſeu duplicem contractum ſocietati addendum obligatur, ſocietas non ſubſiſtit, ſed mutuum fœnebre.

29. In quo ne cui hallucinatio, & fraus fiat, ſi cautio de capitali, & lucro in ipſo ſocietatis contractu impoſita, & exacta a pecuniæ domino præſumatur, ita ut aliter ſocietas non iniretur; palam eſt pecuniam ſocietatis nomine eadem ratione tradi, uti traderetur in mutuo, ut hæc ſocietas ſolo diſcrepans nomine, re ipſa a mutuo nihil diſcrepet. Quid ad palliatum mutuum deſiderari amplius poteſt? Explico id clarius paritate ducta a contractu *Mohatra*, quod mutuum palliatum, & uſurarium proinde lucrum continere ex propoſitione 40. per Innocentium XI. condemnata dubitari nequit. Quid ita? Nonne venditio mercis pretio ſupremo, ſed juſto, & retrovenditio pretio infimo, ſed juſto, quæ in eo contractu interveniunt, alii contractus ſunt a mutuo diverſi qui etiam ſeparatim fieri non injuſte poſſunt? Eſto. At hi duo contractus cum ſimul ita junguntur, ut alter ſine altero non fieret, & ſolum cum alterius obligatione fiunt, ex intentione lucri, ut ipſa damnata Propoſitio exprimit, mutuum uſurarium vere continent, venditionis, & redemtionis nominibus tectum, quippe quibus eſſentialia mutui conveniunt. Qui enim vere, & citra fraudem vendit mercem, quocunque etiam cariori pretio vendat, libere debet vendere, ita ut exinde ad retrovenditionem pretio viliori, ementem cogere nequeat. Qui autem eum ad hoc cogit, ſub venditionis, & retrovenditionis nomine, vere intendit minus pretium nunc tradere, cum pacto accipiendi poſt aliquod tempus pretium majus, ideſt reſtitutionem ſortis cum lucro, quod mutuum, & uſuram vere, & plane exhibet. Simile quidpiam in contractu trium contractuum evenit. Cum pecunia in negotiationis ſocietatem vere traditur, pecunia vi ejuſdem ſocietatis, & negotiationis in negotii pericula exponitur. Vi, & natura hujus ſocietatis quivis e ſociis ita pericula negotii ſubire debet, ut alter alterum ad cavendum de periculis ſocietatis jure cogere nequeat. Separatim forte de hoc agi poſſet, ſi juſtum cautionis pretium libere ſtatuatur: at in ipſa ſocietate contrahenda, hæc obligatio, quæ ſocietatis naturæ contraria eſt, imponi nequit, quin ipſa deſtruatur ſocietas. Cum enim velle negotiationis ſocietatem, idem ſit ac velle negotiationis pericula; qui ex obligatione ſocietatem vellet, ut de periculis tamen caveatur, is vellet ſimul, ac nollet ſocietatem. Quod cum repugnet, & potior voluntas cautionem periculorum exigat; ſocietas vera non contrahitur, ſed, ſocietatis nomine, certa capitalis reſtitutio, & lucrum, ideſt mutuum, & uſura vere intenditur. Quod ſi contractus Mohatra ab Apoſtolica Sede damnatus, a palliato, & uſurario mutuo purgari eatenus nequit, quatenus ſub venditionis nomine obligationem retrovenditionis imponens, pecuniam cum lucro reſtituendam cavet; quis contractum trium contractuum, quo trium contractuum nominibus idipſum præſtatur, a palliato, & uſurario mutuo excuſare ſe poſſe confidat?

Id vero fatentur plerique accurratiores trium contractuum patroni.

30. At enim hæc vera quiſpiam fatebitur, ſi ipſi ſocietatis contractui cautionis obligatio impoſita ab eo ſit, qui pecuniam tradit. Enimvero ipſi trium contractuum patroni, hac invictiſſima ratione victi, hoc iniquum, & palliatum noſcentes, eatenus tantum tres contractus probarunt, quatenus iidem *cum tertio* contraherentur: ideſt *dummodo*, ut explicat ex ipſis Cardinalis Toletus l. 5. c. 41. n. 3., capitaliſta *non obliget ſocium ad tales contractus, ſed liberum relinquat ſicut & alium tertium*. Hæc jam communior

eſt horum auctorum ſententia, ut videre licet ex Clericato Miſcellan. deciſ. 49. n. 7., Cajetano opuſc. 16. q 11., & nonnullis aliis. Ad quam coactionis ſuſpicionem vitandam, non pauci hoſce contractus ſeparatim unum poſt alium ineundos contendunt, ita ut inita ſocietate, liberum ſit ſocio ſubſequentes contractus acceptare, vel reſpuere. Alii vero, qui ſimul omnes iniri poſſe contendunt, non idcirco licere ſentiunt mercatori obligationem inferre, ut patet ex Navarro, qui etſi in Manuali c. 17. n. 154. ſimultaneam eorum contractuum ſtipulationem probarit, in Conſiliis tamen ſeſe declarans l. 5. Conſ. 16., libertatem adjiciendi ſocietati binas cautiones ſocio omnino remittendam efflagitat, ne ſi has forte præſtare nolit, ſocietas denegetur, quod coactionis ſpeciem præfert. Hinc propoſito caſu ſocietatis, *quam quis init cum pacto*, ideſt cum obligatione, *ut ipſe aſſecuret principale &c.*, hanc ſocietatem uſuræ palliatæ damnans: *Mihi*, inquit, *videtur, confuſionem quandam, & palliationem præferre. Quia licet poſſit contrahi ſocietas cum capitali, & lucro ſalvis per tres contractus, ut nos dicimus in Manuali Confeſſariorum; non tamen poteſt contrahi ſocietas juſta, ita ut ſocius obligetur ad prædictas aſſecurationes, quod ſatis invenitur fieri in prædicta forma contractus*; & deinde exigit, ut tres contractus ſeparatim ineantur, *ac ſi eſſet tertia perſona, quæ aſſecuraret*: quod citra obligationem ejuſdem profecto fieret, ita ut hac tertia perſona aſſecurationem detrectante, ſocietas proinde reſcindi non poſſet. Similiter etiam Cardinalis Toletus, quem excuſare diximus tres contractus, *dummodo* capitaliſta *non obliget ſocium ad tales contractus* (quod tamen ante Bullam Sixti V. poſterius memorandam ſcripſit) l. 4. c. 31. n. 4. uſuræ palam damnat eos, qui ſocietatem nonniſi *hac lege*, ſeu obligatione ineant cum aliquo negotiatore, *ut det aliquam lucri partem; tamen pecuniæ manent integræ ſolvendæ, nec periculum ſubire volunt. Iſta non eſt ſocietas, ſed mutuum, & uſura.*

Obſervatio de triplici contractu, quem quidam implicitum contendunt.

31. Ex his autem non video quomodo trium contractuum nomine univerſim purgentur, qui pecuniam apud mercatores tutam a periculo, & cum annuo lucro deponunt, ac ſi hoc ipſo tres contractus *implicite*, & licite initi fuerint. Nam præter non pauca fuſius de hoc ſyſtemate obſervanda Opuſculo III., hæc contractus forma obligationem aſſecurationis imponit, quod vel a Navarro ipſo in laudato textu, nec non ab æquis trium contractuum patronis injuſtitiæ, & uſuræ damnatur. *Et quidem fatuæ eſſent tot quæſtiones, de quibus hoc eodem titulo, ac illo de cambiis, ac etiam in aliis de dote, & de cenſibus ſuper juſtificatione acceſſionum ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis cum ſuis requiſitis &c.. ſi hac via mediante mutuator ex pecunia ita ſimpliciter* (mercatori) *data ſine periculo ſortis, de certo, & uniformi lucro ab initio taxato certus reddi poſſit*; per tres ſcilicet contractus, quos *implicite* initos cum mercatore quidam comminiſcuntur, inquit Cardinalis de Luca de Uſuris diſc. 1. n. 10. Immo fruſtra Pii V. Bulla de ipſorum mercatorum cambiis licitis diſcernendis ab illicitis; & ſimiliter Sixti V. Bulla *Deteſtabilis* de quibuſdam ſocietatibus etiam cum mercatore initis item eſſet fatua; per tres enim contractus *implicite* initos purgaretur moderatum lucrum a mercatoribus exactum, cambii, vel ſocietatis nomine, ſi ſatis eſſet *implicita*, uti explicatur, ejuſmodi voluntas, quæ ubique reperitur. Unde *hoc admiſſo*, inquit laudatus Auctor n. 4., *nunquam daretur locus uſuræ*. Cum vero illi Pontifices laudatis in Bullis uſuræ damnarint contractus quoſ-

dam

dam etiam cum mercatoribus initos, eoſque non raros, ſed frequenti uſu inductos, in quibus non deſunt utique illi tres contractus *impliciti*, uti a quibuſdam explicantur, ſeu potius præſumuntur; impliciti ejuſmodi contractus tres pro uſuræ pallio agnoſcendi ſunt, ut ne ad uſuram tollendam afferri poſſint. Quod ſi verum eſſet, etiamſi hi tres contractus ſincere facti eſſent per ſe liciti; quanto magis erit verum, ſi illiciti per ſe ſint, ut in præſentiarum oſtendimus? Hæc in nonnullorum gratiam dicta ſint, qui implicitam hanc trium contractuum voluntatem ſufficere volunt, quam ipſi trium contractuum defenſores ex allegata ratione uſuræ palliatæ condemnant.

Si duplex cautio ſocietati additur ex ipſius mercatoris voluntate, juſtum nullum lucrum ex pecunia percipi poteſt.

32. Si vero duplicis cautionis pactum, libertati mercatoris permiſſum, ipſo libere conſentiente addatur, nunquid triplex contractus juſtus, ac legitimus habendus erit? Non credam. De libero conſenſu in primis metuo. Nam video quidem cur negotiatores emtionem lucri majoris incerti, oblato pretio, vel cautione lucri certi minoris petere, vel etiam exigere poſſint: id enim in majus ſui lucrum ceſſurum credunt, & ſimul ſe a reddendarum rationum moleſtia liberant. At quo fine cautionem a periculis capitalis in ſui gratiam petere, vel exigere poſſint non video, cum præſertim idem fere lucrum pro ſolius periculi cautione iiſdem remittendum ſit, ac illud, quod pro utraque & lucri, & capitalis cautione nunc remitti ſolet. Itaque hæc capitalis cautio, tam vili præſertim pretio, metu exprimitur, ne ſi hanc pretio ejuſmodi non offerant, pecunia ipſis negetur. Deinde etiam ſi abſque ullo metu, ſed ſponte, & ex ſpe majoris lucri cautionem illi duplicem ſocietati adjiciendam capitaliſtæ offerant, vel etiam ſibi imponendam exigant, & eatenus ſocietas non omnino deſtructa credatur; cum tamen nullus hinc legitimus lucri titulus capitaliſtæ ſuppetat in negotiatione ipſa, nullum adhuc legitimum lucrum percipere poteſt. Induſtrialis nimirum, & fortuitus cum ſit univerſus negotiationis fructus, non autem naturalis pecuniæ; ſolius induſtriæ, vel (1) periculorum jure in negotiatione, & ſocietate provenit, ut ſæpius diximus; ſolo autem pecuniæ, aut capitalis etiam ſui nomine non item. Caſus depoſitarii, procuratoris, & furis, qui alienam pecuniam periculo proprio negotiati, ad lucrum proprietariis communicandum nequaquam coguntur, propterea quod nullus juſtus lucri titulus illis exinde ſuppetat, id totum confirmat. Conſule quæ in hanc rem ſcripſimus cap. 2. n. 7. & ſeqq.

Comparatio efficaciſſima ex ſocietatibus animalium, & earum diſcrimen a ſocietatibus pecuniæ.

Comparatio ſocietatis animalium hoc explicabit luculentius. Nonnulli ſocietates animalium, & pecuniæ ſimiles habent, ita ut idem de utriſque judicium ferendum arbitrentur. Sed non ita eſt. In ſocietatibus animalium agitur de fructibus naturalibus, qui ex ipſis animalibus prodeunt, uti opera, fetus, lac &c., unde hi fructus a fure reſtituendi eſſent. At in pecuniæ ſocietatibus nullus fructus naturalis eſt, ſed omnes induſtriæ, ac periculis debentur; unde, ſi nihil domini aliunde interſit, a fure reſtituendi non ſunt. Hinc citius in ſocietatibus animalium addi poſſet duplex cautio, ita ut ſi præter juſtum ſumtuum, in-

(1) Jacobus Savary, negotiationum, ac negotiatorii juris peritiſſimus, totum juſti lucri titulum in pecunia negotiationis ſocietati expoſita ex eo derivavit, quia capitaliſtæ pericula negotiationis propria ſubeunt. Ejus verba recitabimus num. 52.

duſtriæ, & cautionum pretium aliquid ex fructibus ſuperſit, domino jure vindicetur tanquam fructus rei ſuæ: quæ tamen hypotheſis, in praxi rariſſima, & periculi plena, ac in fortuitis, nec difficilibus animalium caſibus ruſticorum conditioni graviſſima, jure interdicta eſt. Idem tamen nulla hypotheſi ſtatui poteſt in ſocietatibus pecuniæ, in quibus cum nullus fructus ſit (1) naturalis, ſed omnes periculorum, & induſtriæ; capitaliſtæ, qui nec induſtriam, nec pericula ſubeat, nihil ſupereſſe naturalium fructuum poteſt, quod ex nudo capitali ſibi competat, ſine ullo induſtriæ, & periculorum jure; & ſi quidem fructum aliquem adhuc exigat, alienum fructum exiget, qui non naturalis pecuniæ ſuæ, ſed alienæ induſtriæ, & periculorum fructus eſt.

§. V.

Expungitur unicum adverſariorum effugium ductum a duplici contractu, ſeu cautione certi capitalis, ac lucri, quam cum duobus diſtinctis hominibus licite iniri poſſe præſumunt.

93. NOnnulli tamen hoc loco ingenium acuentes, ut aliquem titulum lucri etiam in eo, qui nullum periculum ſubit, inveniant, caſum præferunt ejus capitaliſtæ, qui ita cum duobus diſtinctis hominibus de cautione agat, (hinc lucri incerti pro minori certo, hinc capitalis,) ut detracto harum cautionum pretio quidpiam adhuc lucri ſibi ſuperſit. Quod autem cum duobus diſtinctis capitaliſta agere poteſt, cur, inquiunt, cum eodem ſocio negotiatore non poterit? Idem autem lucri titulus, qui in primo caſu juſtus eſt, etiam in ſecundo juſtus haberi debet. Hoc argumentum, quod maximam vim habet apud non paucos, mihi in rem præſentem omnino inefficax, & ineptum creditur. Primum de jure ejus lucri, quod ex duabus memoratis cautionibus, earumque pretio etiam inter perſonas diſtinctas ſuperſit, vehementer ambigendum eſt. Cum enim ex demonſtratis duplex tantum lucri jus in negotiatione ſit, alterum, quod induſtriæ, alterum, quod periculis capitalis debetur; quidquid lucri ex negotiatione provenit, inter eos, qui hinc induſtriam, hinc vero capitalis pericula ſubeunt, dividendum eſt. Sicuti vero ubi certum induſtriæ pretium taxetur, uti fit cum omnium miniſtrorum induſtria certo pretio conducitur; quidquid ſupereſt lucri, debetur illis, qui capitalis pericula ſuſtinent: ita ubi certum taxetur periculorum pretium, quidquid lucri ſupereſt, iis debetur, qui induſtriam in negotiatione collocant. Si negotiator, qui induſtriam, & capitale in negotiationem contulit, ſui capitalis cautionem ab omnibus periculis certo pretio emeret; quidquid exinde ſupereſſet lucri, induſtriæ jure ſibi retinere, & acquirere juſte poſſet. At ſi is, qui ſolam pecuniam ſine ulla induſtria in negotiationem confert, de om-

(1) Ex his colligi poteſt, nullam niſi meri nominis ſocietatem conſtare ex nudo capitali ſine ulla induſtria, atque periculo. Societas enim realis nulla eſt, niſi ubi ſocii activum aliquid, quod ex ſe, ſuaque vi fructum pariat, in commune lucrum conferant. Sine induſtria vero, & ſine periculis, quæ totum lucrum in ſocietatibus pecuniæ afferunt, nihil eſt in nudo capitali, quod naturalem fructum progignat, ac propterea nulla vera, & realis ſocietas eſt, ſed nudum ſocietatis nomen, quod in legitimum lucrum nihil confert.

Digitized by Google

omnium periculorum cautione pariter agat; quidquid ex hoc pretio ſupereſt, nec induſtriæ, nec periculis debitum, ſibi nullo jure vindicare poſſe videtur. Cum in negotiatione duo ſint periculorum genera, pericula lucri, quod incertum eſt, & pericula capitalis; ſi is, qui ſolam pecuniam confert, alteram tantum cautionem velit, ſatis ex altero periculorum genere, cujus aleam ſubeat, reliquum lucrabitur. At ſi adhibita utraque cautione nullum periculum velit ſubire; quidquid ſupereſt a periculis, ſoli induſtriæ competit, quæ cum ipſius non ſit, nullo ſibi jure id arrogaret. Neque refert quod ſocius mercator, qui pecuniam accepit, quandam lucri quotam eidem capitaliſtæ aſſignarit, ex. gr. ſeptem annuos in centum: ex decem ſcilicet annuis in centum, qui per ſingulos annos ex negotiatione proventuri ſperantur, tres induſtriæ, quatuor capitali aſſignatos præſumimus; omnes tamen incertos, ut incertum eſt num decem, uti ſperantur, proventuri ſint. Nihil, inquam, hoc refert; ſeptem enim annuos, quos mercator aſſignavit capitali, pro ſolo periculorum jure aſſignavit: quæ pericula ſi capitaliſta in alios cautionem dantes rejiciat, vel totum lucrum, quod ſolo periculorum jure provenit, debet inter eos dividere; vel ſi minus ſolvens, quam quod pro eo periculorum jure aſſignatum fuit, aliquid decerpat, ac detrahat; ſi id non injuſte factum ſit, totum non ſibi, cui nullum jam lucri jus ſuppetit, ſed induſtriæ tribuendum eſt, cui totum debetur, quidquid e periculorum jure, ac pretio ſupereſt. Si Petrus mercator pecuniam, & operam in negotiationem, & ſocietatem conferens, aſſignata ſibi a ſociis lucri quota, de utraque cautione cum quibuſdam ageret; quidquid ex ea quota ſoluto utriuſque cautionis pretio reſervaret, id ſibi ex ſola induſtria, & nullo alio jure vindicare omnes dicerent. Num ſi induſtria ejuſdem Petri nulla, ſed ſociorum tota eſſet, non addiceretur ſociis, quod ad ſolam induſtriam agnoſcitur pertinere?

34. Erunt forte qui reponent, hoc induſtriæ loco habendum, quod quis ex incerti lucri quota pro capitalis periculis aſſignata, utramque illam cautionem eo pretio obtinuerit, ut lucrum ſibi aliquod ſuperſit. Id autem, quod ſupereſt, ei jure provenit, qui peculiari induſtria uſus, in ſtipulando cautionum pretio meliorem conditionem invenit. Qui enim aſſignatam ſibi ex parte capitalis incerti lucri quota, quæ ſeptem, ut diximus, ducatis futura ſperetur, cuipiam vendat ex. gr. ducatis ſex potius, quam paucioribus; induſtriæ id eſt, quæ tam bonum venditionis pretium invenit. Etſi mihi ducati ſex pro pecuniæ, aut capitalis periculis jure proveniant; induſtriæ tamen fuerit horum periculorum cautionem meliori conditione ab alio obtinere, qui duobus ducatis contentus ſit. Ita vero ille quatuor ducatos ab omni periculo tutos, ac certos ex peculiari induſtria acquiret, ut fieri ſolet ab iis, qui operas quaſdam ex. gr. in ædificandas ædes certo pretio ſtipulati, eaſdem aliis mercenariis viliori pretio imponunt, & nullo opere proprio, ex ſola induſtria lucrantur. Similiter quidam nonnulla officia, quæ magnum lucrum afferunt, a publico ſuſcepta, aliis minori pretio locant, nec quod ipſis ſupereſt lucri, injuſtum habetur. Immo in ipſo negotiationis caſu ſi quis a capitaliſta emiſſet lucrum capitalis quinque ducatis in ſingulos centum, nonne poſſet illud alii vendere ducatis ſex, ſi emtorem inveniret? Si quis vero eidem capitaliſtæ de periculis capitalis caviſſet ducatis tribus, vel quatuor, nonne poſſet cautionem in alium, ſi quem reperiret, minori pretio rejicere? Utrobi- Objectio.

bique autem lucrum ſine ullo periculo proveniens, non utique ex ſocietate capitalis, quod neutrius (ſponſoris, & emtoris) ſed capitaliſtæ eſt, ſed ex mera induſtria rediret; non quidem ex induſtria negotiandi, quam neuter ſuſtinet, ſed ex induſtria inveniendi conditionem meliorem, qua nimirum alter venderet carius fructum incertum, quod vilius emit, alter autem cariori pretio ſuſcepit periculum capitalis, quod in alium minori pretio rejecit. Hoc cum meræ induſtriæ ſit, lucrum utrinque proveniens meræ debetur induſtriæ, qualis ab iis adhibetur mercatoribus, qui *cociones* appellati, carius vendunt, quod vilius emerunt. Quidni igitur par induſtria, quam duabus diſtinctis perſonis cum duabus aliis adhibere liceret, ipſi capitaliſtæ cum duobus; aut cum ſocio negotiatore adhibere non liceat? Eſto autem quod lucrum exinde rediens, capitalis, & ſocietatis nomine vere non proveniat, ſed ob induſtriam peculiarem; dum tamen aliqua via percipi licite queat, ad praxim, & cupiditatem hominum ſufficit.

Refellitur. 35. At ſi hoc daretur, corrueret in primis adverſariorum ſyſtema, qui cum in triplici contractu ſocietatem ſubſiſtere defendunt, lucrum, quod ex duplici cautione ſupereſt, ſocietatis juri ita vindicant, ut ſi ſocietas non ſubſiſtat, vel ſocietatis (1) jure illud non proveniat, illicitum fateantur. De induſtriæ quidem peculiaris jure, quod argumento allato præfertur, nemo cogitavit, nec ex ea, ſed ex ſocietate id lucrum percipere intendunt, quicunque contractum triplicem ſtipulantur. Injuſta igitur hæc ſtipulatio eſt, quam ſine vero ſocietatis jure fieri, argumenta prædicta demonſtrant. Si vero mutetur conſilium, & ex induſtria percipi, quidquid ſupereſt, intendatur; poſſem reponere, hoc lucrum cocionatorium, quod vel ab ipſis Gentibus turpe, ac Reipublicæ pernicioſum habitum fuit, a Theologis Catholicis probandum non eſſe, in iis præſertim, qui nulla neceſſitate propria, nulloque labore, aut opere, ut vulgares cociones faciunt, ſed ſola cupiditate lucri, ut in caſu evenit, in ejuſmodi negotiationem incumbunt. Vide Salmaſium de Uſuris c. 18 pag. 536. 555.

36. Sed etiamſi demus, hoc cocionatorium, & induſtriale lucrum aliquo forte caſu, citra errorem, vel metum, ex contractu duplicis cautionis cum duobus diſtinctis hominibus poſſe percipi non injuſte; ex eodem tamen ſocio negotiatore, qui pecuniam accipit, non ſine aliquo errore, vel metu percipi poteſt. Primo in pleriſque negotiationibus ſi cum duobus de duplici illa capitalis, & lucri cautione agatur, haud dubito quin inveniantur facile, qui de utroque caveant, niſi forte eo pretio, quod totum fere lucrum abſorbeat, vel etiam aliquid ex capitali ipſo decerpat: ubi nihil profecto lucri quavis induſtria ſupererit. In his noſtrarum regionum negotiationibus, qui de certo lucro cavebunt, quatuor, vel quinque ducatos annuos in centum ad ſummum præſtabunt: his autem quatuor, vel quinque fere non erunt contenti, qui non de uno, vel altero, ſed de omnibus capitalis periculis cavere libere velint, niſi forte de capitali res ſit, quod quibuſdam, paucis admodum, caute negotiantibus traditum fuerit. Id autem ad omnes negotiationes, ac negotiatores transferendum non eſt. Quod autem in omni

(1) Induſtriale quidem lucrum, de quo hìc agitur, ſocietatis jure non provenire ex eo liquet, quia hæc induſtria non ſocialis eſt, qua commune ſociorum lucrum quæratur, ſed privata, qua cum ſocio tanquam cum tertio negotium geritur, & ex eodem lucrum captatur.

omni negotiatione, & de omnibus negotiatoribus non obtineretur a duabus perſonis diſtinctis, in contractu trium contractuum ab eodem mercatore, & cum majori etiam lucro, obtineri poteſt ex metu, ne citra has conditiones pecunia privatus, propriæ ſimul induſtriæ lucro privetur, ut ſuperius monuimus. Hæc prima reſponſio.

37. Nunc aliam invictam, ut mihi videtur, afferam, quæ hoc lucrum cocionatorium, quod ex contractu cum perſonis diſtinctis aliquo forte caſu percipi poteſt, ab eodem ſocio negotiatore nullo caſu, negotiatione nulla, vel feliciſſima, poſſe percipi demonſtrabit. Ad hoc enim cocionatorium lucrum emtio viliori pretio, & venditio cariori neceſſariæ ſunt. Porro cum diſtinctis hominibus fieri poteſt, ut quod ab uno viliori pretio emtum eſt, alteri carius vendatur. Cum eodem autem utrumque fieri nequit, niſi ex errore aliquo, vel metu: nemo enim tam ſtultus eſt, ut viliori pretio cuipiam vendat, quod ſtatim ab eodem libere emat pretio cariore, vel (quod eòdem recidit) carius a quopiam emat, quod mox eidem vilius vendat. Sola neceſſitas ex. gr. pecunię inveniendę, quę alias non inveniretur, id a ſciente, & prudente extorquere poteſt; ut in contractu quidem Mohatra evenit, in quo ad emendum carius, quod vilius ſtatim eidem venditur, ſola neceſſitas inducit. In caſu autem noſtro, ut memoratum cocionatorium lucrum ab eodem ſocio negotiatore capitaliſta percipiat, negotiator primum aſſignans capitaliſtæ eam lucri quotam, vulgo *carati*, quæ ſeptem ducatorum in centum futura ſperatur, vel ut (*) ſeptem ducatos incertos ipſi capitaliſtę aſſignat pro periculis capitalis ab eodem ſuſceptis (hoc enim uno periculorum jure capitalis lucrum provenire oſtendimus) & eadem mox pericula in ſe recipit tribus ducatis incertis, ita ut quatuor ducati a periculis tuti capitaliſtę ſuperſint. Quis autem ducatos ſeptem incertos pro mero periculorum pretio libere aſſignet, ut pro eorundem periculorum pretio tres ſolum ducatos pariter incertos recipiat, ſeu potius ſibi reſervet, idque ipſum cum obligatione ſolvendi ducatos certos quatuor ex iiſdem ſeptem incertis, ſive tres illos incertos percipiat, ſive non percipiat? Si mercator ageret de ſuo capitali, nunquam hac conditione pericula ejus in alium rejiceret ducatis ſeptem incertis, ut poſtea eadem in ſe ſuſciperet tribus pariter incertis, & cum obligatione ſolvendi quatuor certos. Id ſi agit in alieno capitali, non ex præcipuo alieni capitalis jure evenit, quod æque ſolo periculorum jure lucrum affert, ſed ex metu, ne ſi hoc lucrum non tradat, pecunia privetur. Quod ſi quidam mercatores jure capitalis, & pecuniæ hoc lucrum debitum putent, & hoc conſilio tradunt; id ex vulgari errore proficiſcitur, quo aliquod lucrandi jus in ſocietate capitali tribuunt, etiam præciſis periculis, ex quibus totum capitalis jus pendere demonſtraſſe nobis videmur: error autem non minus, quam metus, liberum conſenſum contractibus neceſſarium excludit. Stet igitur nullo juſto titulo hoc lucrum in triplici contractu capitaliſtæ poſſe vindicari, cum nullum periculum ſubeat.

Mercatores conſentiunt ex metu.

Vel ex errore.

* Vide ſup. n. 33.

38. Atqui, inquient hoc loco aliqui, ergone mercatoribus lucrari licebit ex noſtra pecunia, nobis vero dominis non licebit? Hoc ſi quid valeret, multo magis valeret in caſu furis, qui alienam pecuniam negotiatus eſt; nec tamen ex communi ſententia quidquam valet. Licet cuique capitalis domino negotiationis lucrum petere, ſi pericula negotiationis ſubire velit, quæ ſola juſtum lucri titulum ex parte capitalis afferre poſſunt. Si vero hæc pericula, quæ totum lucri titulum

Objectio ex mercatorum lucro.

Digitized by Google

tulum in ſocietate continent, ille nolit; mirandum non eſt, ſi nihil lucri eidem cedere queat; ſecus alienum ſine ullo juſto titulo lucrum exiget. Id autem quatenus in uſuram vergat apertiſſime liquet. Ille enim quicunque ex mutuo lucrum exigit, uſuram velle intelligitur, quatenus lucrum ex pecunia per ſe ſterili ſine ullo juſto titulo vult, ut ex demonſtratis contra ſectarios in ſtatuendo Catholico circa uſuram dogmate ſuppono. Cum porro in ſocietate juſtus lucri titulus ſit ſolum periculum, cui pecunia in negotiatione exponitur; qui duplicem in ſocietate cautionem vult, nullum vult periculum, & proinde lucrum ſine ullo proprio ſocietatis titulo ex ſola pecunia ſterili vult, quæ eſt ipſamet uſuræ malitia. Igitur uſuram vult, vel eandem vult malitiam, quæ in uſura reperitur: & eatenus triplex contractus inter pallia uſurarum, jure accenſetur. Quid nimirum refert, utrum per circuitum trium contractuum, an per mutuum ſimplex exigatur a mercatore lucrum certum ſine periculo, dum utrobique exigatur lucrum ex pecunia, & negotiatione, ſine titulo juſto, quod re ipſa illicitum eſt? Hæc eadem ratio etiam atque etiam confirmat quod ſtatuimus adverſus voluntatem trium contractuum implicitam, quam nonnulli pro excuſanda uſura comminiſcuntur in omnibus, qui pecuniam mercatoribus tradunt. Ii enim multo apertius lucrum non ex ſocietate, quam non intendunt, nec, ſi etiam aliquatenus intenderent, ex ullo juſto, & proprio ſocietatis jure, quod ex ſolis ſocietatis periculis conſiſtit, ſed vere ex ſola pecunia ſine ullo titulo exigunt, quod ad uſuræ malitiam, & injuſtitiam ſatis eſt.

Uſura in contractu trino demonſtratur.

30. Ex hactenus porro dictis quis contractum triplicem tot ex capitibus injuſtum vindicare poſſit? Contractum, inquam, triplicem, in quo nec pretium cautionis periculorum juſtum ſolvitur, nec, ſi etiam ſolvatur, ullum adhuc vel modicum lucrum capitaliſtæ jure poſſit provenire; ſive quod hic contractus ſocietas non eſt, ſed mutuum, ex quo nihil lucri percipi poteſt; ſive quod, ſocietate etiam admiſſa, nullus juſtus lucrandi titulus capitaliſtæ reliquus eſt. Quæcunque ab aliis magno conatu opponuntur, principiis hactenus poſitis, ſi bene intelligantur, faciliime evaneſcent.

Epilogus rationum contra tres contractus.

§. VI.

Auctoritate Eccleſiæ tota hæc controverſia deciditur.

40. Quoniam vero humanę mentis vis tam varia cuique eſt ut quod uni certum creditur, alii imbecille judicatur; non defuturos prævideo quoſdam, qui rationibus, licet meo judicio evidentiſſimis, nihilum acquiſcentes, alia, & alia multa a ratione obtrudent, eaque Scriptorum huic contractui patrocinantium auctoritate fulciantur, quibus ſi alios magni nominis Scriptores pro noſtra ſententia acriter dimicantes opponas, acrior pugna excitabitur, nihilque conficies. Quid ergo? In tanta contentione ab ingenuis lectoribus, ſi forte hæreant, minus poſtulare non poſſum, quam ne mihi, vel illis credatur. Utriſque autem interim ſepoſitis, Eccleſiæ judicium quæramus, ut in omnibus controverſiis fieri expediret. Id autem in hac præſertim materie, quæ ad uſuram pertinet, effici debet. In uſuræ enim quæſtionibus, facilis a ratione, & auctoritate hominum deceptio ſuboriri vel acutis hominibus poteſt: unde uſura ipſa a ratione aliquo in caſu non omnino injuſta viſa eſt nonnullis, qui tamen ſolius Eccleſiæ, & Scripturarum auctoritati cedentes, injuſtam profitendam docuere. Simili plane modo in præſenti controverſia, a ratione, & ratiociniis Auctorum

Hæc auctoritas quam neceſſaria in controverſiis præſertim de uſura.

Ao-

ctorum implicatiſſima, Eccleſiæ ſenſus, & doctrina conſulenda eſt; eaque ſi injuſtum, & uſurarium hunc contractum pronunciet, quidquid contra a ratione, & Auctoribus videri poterit, abjiciendum erit penitus, nec repugnare niſi pertinaciter licebit.

In quibus documentis auctoritas Eccleſiæ ſit.

41. Cum autem de Eccleſia definiente, docente, ac vitæ regulas, & inſtitutiones tradente agitur, Eccleſiæ nomine non quivis privatus Auctor intelligitur, neque Scriptores multi privati, ſed Romanus Pontifex, & Epiſcopi, quos Deus poſuit regere Eccleſiam ſuam, quique Apoſtolorum legitimi ſucceſſores, & judices, doctoreſque in Eccleſia, jure divino, ſoli Eccleſiaſticum judicium ferunt, non minus collecti in Conciliis, quam in ſuis Sedibus diſperſi, ſi quidem non privatis commentationibus, ſed Pontificiis, vel Epiſcopalibus literis, inſtructionibus, Decretis aliquid doceant, præcipiant, definiant. Hi quidem Eccleſiæ Paſtores in Nicæna Synodo uſuram damnantes, uſuræ etiam *adinventiones* omnes, quibus idem vitium tegi poſſet can. 17. ſuſtulerunt. Inter has vero *adinventiones*, ſeu pallia uſurarum, hanc antiquis quoque temporibus fuiſſe, ut non mutuum, ſed *ſocietas* cum certo lucro, & ſine ſortis periculo inita præferretur, teſtes ſunt Zonaras, & Balſamon, qui in eum Canonem commentaria ſcripſere. Zonaras ex editione Beneregii ſic: *Æquum cenſuit S. Synodus, ut ſi quis poſt ea, quæ nunc ſtatuuntur, inventus fuerit uſuras ex tractatione, hoc eſt quaſi inſtar negotiationis, fœnerationem ſibi tractandam ſuſcipiens, aut alia quæcunque exigens (fœneratorii enim nominis infamiam aliqui declinantes, pecuniam ita dant mutuam, ut ſibi lucri partem ex ea paciſcantur, nec ſe fœneratores, ſed ſocios dicunt, ac emolumentorum tantummodo participes, nullum interea jacturæ periculum ſubeunt)* &c. Theodorus autem Balſamon Patriarcha Antiochenus in *Expoſitione ſacrorum divinorum Canonum* in memoratum Canonem Nicænum ſic: *Quidam Sacerdotes Canonem intelligentes, & ipſum circumſcribentes, verba quidem ſervant, mentem autem negligunt; dant enim nonnullis pecuniam, & tantam ex lucro partem ſe capturos paciſcuntur, periculum autem agnituros, qui eam accipiunt; & cum ſint revera fœneratores, verbo tamen ſocietatem prætexunt.* De pecunia certe mercatoribus in negotiationem, ex qua *lucri pars* exigi poteſt, tradita agitur, & in hoc *ſocietas* cum certa *lucri parte*, periculo negotiationis in mercatorem conjecto, præferebatur. En ipſa trium contractuum ſubſtantia, quam inter antiquiſſimas *adinventiones*, ſeu pallia uſurarum, a Nicænis Patribus reprobatam laudati commentatores teſtantur. Hanc autem genuinam eſſe Nicæni Canonis interpretationem, ne quis forte in dubium vocare audeat, addere libet auctoritatem Salmaſii, qui, etſi uſurarum patronus, hunc tamen contractum a Nicænis Patribus tanquam uſurarum fraudem damnatum inficiari non potuit. Hic ergo in libro de Modo Uſurarum pag. 326. eorundem Patrum mentem his verbis expoſuit: *Dant alicui pecuniam ad merces emendas, ea conditione, ut lucrum inde venturum participent, cum periculi pars nulla ad ipſos ſit perventura. Non exigunt quidem uſuras data mutuo pecunia, quoniam verbis Synodi id ne faciant cavetur; ſed quia partem lucri paciſcuntur ex pecunia mutua ſine ſuo periculo, contra Synodi mentem veniunt, licet ſocii velint dici mercatorum, non fœneratores.*

Tres contractus veteris uſuræ pallium in Nicæno damnati.

42. Hæc autem *adinventio*, qua verum mutuum, & vera uſura ſocietatis nomine tegitur, etſi olim in praxi a nonnullis recepta, & forte etiam defenſa fuit; neminem tamen Scriptorum, & Doctorum, qui per ea tempora, quandiu ſacrorum Canonum auctoritas omnem morum diſciplinam direxit, eam vel

vel indicio aliquo propugnarit invenire licebit. Cum vero ad regendos mores ratiocinationi aditus patere cœpit, non defuere qui eam adinventionem, quæ haud expreſſis ipſius Nicæni verbis prohibetur, vindicare conati ſunt. Occaſionem huic doctrinæ inducendæ dediſſe videtur Innocentii III. Can. *Per verba* cap.7. *de donationibus inter virum*, in quo cum ageretur de dote, quam marito ad inopiam vergenti, maximo diſcrimini expoſitam, ſine cautione fidendam non eſſe uxor apud Magiſtratum inſtabat, Pontifex conſultus reſpondit, alterutrum curandum, vel ut dos marito, ſub idonea, quam præſtare poſſit, cautione adſignetur, *vel ſaltem alicui mercatori committatur, ut de parte honeſti lucri dictus vir poſſit onera matrimonii ſuſtentare*. Nihil quidem hoc in Canone elucet, unde dotem a periculis tutam per mercatorem præſtari Pontifex juſſerit. Immo ſi totus Canon, & finis ejus conſideretur; non cautionem pecuniæ, ſed animæ ſalutem Pontificis reſponſio proſpexit, *ne* ſcilicet, inquit, *occaſione dotis detenta uxor a viro dimiſſa, ſeu vir, qui dimiſit uxorem, adulteris reatum incurrat*. Huic ergo animarum potius, quam dotis periculo proſpecturus, cautionem aliquam dotis, quam maritus poſſet, præſtari primum voluit, eaque, etſi non omnino tuta, uxorem debere eſſe contentam; *ſatis enim poteſt modicum credi dotis, cui creditum eſt corpus uxoris*. Quod ſi maritus nullam cautionem inopiæ cauſa poſſet invenire; tum juſſit, dotem idonea ejuſmodi cautione privatam, *ſaltem* deponi apud mercatorem, apud quem ſcilicet etſi non omnino a fortuitis periculis tuta, tamen multo futura erat tutior, quam apud maritum, qui, cum inopia premeretur, eam facillime conſumſiſſet. Nonne hac in hypotheſi dos apud mercatorem præſertim cautum tutiſſima eſt? Nonne hoc quoque tempore, quo commercium eſt difficilius, majoribuſque objectum periculis, pecunia cauſſis quibuſdam negotiatoribus in legitimam negotiationem tradita ſatis tuta habetur? Quidni tuta pariter, immo multo magis, haberi poterat Innocentii III. tempore, cum ob rariorem pecuniam pleræque negotiationes cum extraneis præſenti commutatione, vel pretio tranſigebantur, cautiorque negotiandi methodus obtinebat? Nihil ergo eſt, cur ſocietatem cum cautione capitalis, & lucri ex hac Decretali colligamus. Ipſa particula *ſaltem* indicat dotem non pariter tutam futuram apud mercatorem, quam ſi maritus ab alio quopiam dotis cautionem invenire potuiſſet. Igitur ſocietatem ſine mercatoris cautione ineundam Pontifex præſumſit. Enimvero particula *ſaltem* indicat dotem apud mercatorem non pariter tutam futuram, ac ſi maritus cautionem præſtitiſſet. Igitur ſocietatem ſine emtione dotis ineundam Pontifex præſumſit, ex qua quidem una *lucri*, ut Pontifex voluit, *honeſti partem percipere* licet. Conjugum enim ſaluti potius, quam dotis cautioni providere Pontificis conſilium fuit. Vide Gloſſam in verba *honeſti lucri*, Panormitanum, Silveſtrum, & præcipue Barboſam in Collectaneis in iſtum Canonem.

Occaſio inducendæ defenſionis trium contractuum.

43. Nonnulli tamen hoc ex Canone non bene intellecto pecuniam ita apud mercatores deponi poſſe cenſuerunt, ut cum cautione ſortis pars honeſti lucri rediret. Horum ſatis meminit Panormitanus in eum Canonem, qui propterea excuſantes ſimilia viduarum depoſita, *ſolent*, inquit, *ad earum defenſionem allegare textum iſtum*. Inter hos num fuerit Albericus Juriſconſultus, quem allegat Cardinalis Hoſtienſis lib. 5. Summæ Rubric. de Uſuris §. *In aliis autem caſibus*, ignoro. Hoc unum ſcio, quod Hoſtienſis, etſi ſententiam ejus confirmare aliquibus ar-

Primi trium contractuum defenſores.

argumentis ſtudeat, in judicio tamen animæ eam *non eſſe omnino aquam* pronunciat, & in caſibus fortuitis ſortis damno capitaliſtam ſubeſſe oportere definit. Hac moderatione locutus eſt Hoſtienſis, qui ei ſententiæ favere videri poteſt; & Panormitanus ſimiliter in idem cap. *Per veſtras*, ubi nonnulla pro eadem ſententia affert, ſocietatem id genus *honeſtam*, *& licitam certe* non eſſe duobus teſtimoniis affirmat. Multo procliviorem ſeſe in eam ſententiam præfert Joannes Major in 4. ſentent. diſt. 15. q. 49., at ſimul in fine, velut dubius, aut de periculo metuens, eam a praxi ſubmovendam innuit. Licet vero reliqui omnes antiqui & Theologi, & Canoniſtæ hanc ſocietatem damnarint; hæc tamen paucorum, etſi non ſatis certa, teſtimonia deinceps arrepta fuerunt a pluribus in ipſa praxi; unde hujus contractus conſuetudo nonnullas Provincias pervagata eſt. Hanc ut defenderet Martinus Navarrus, prę omnibus vires intendit; cumque ſe non ſatis tutum ceteris contradicentibus videret, optavit *ut Epiſcopi. vel ſaltem Pontifex Maximus declararet prædictam conſuetudinem eſſe juſtam*.

Manual. c. 27. n. 157.

44. At contrarium prorſus & Romanus Pontifex, & Epiſcopi definierunt. Sixtus V. an. 1586., quo anno Navarrus vitam obiit, die 21. Octobris Bullam edidit, quæ incipit *Deteſtabilis*, ac in ea loquens ſane de ſocietate cum duplici cautione capitalis, & lucri conjuncta, quam *in quaſdam Provincias pervaſiſſe* commemorat; de ea ſocietate loqui patet, quam iiſdem cum cautionibus *in multis Galliæ locis*, *& in aliquot Italiæ partibus* conſuetudine receptam videns Martinus Navarrus, a Pontificibus *juſtam* declarari deſideravit: eamque ſocietatem *uſurariam* propterea, & *injuſtam* Sixtus V. definiens, ſocietatem trium contractuum, quæ a Navarro defenſa fuit, *uſurariam*, & *injuſtam* definivit. Enimvero ne cui exceptioni locus pateret, *damnare* ſe dixit Pontifex *omnes*, *& quoſcunque contractus*, quibus ſocietas, etiam cum *mercatoribus*, & per *pecuniam*, ita ineatur. ut certum lucrum, & capitale tutum prę ſtetur. Contractus trium contractuum, quo idipſum præſtatur, continetur utique in *omnibus*, & *quibuſcunque* id genus contractibus, ut a damnatione ſubtrahi nulla ratione poſſit, niſi ab *omnibus*, & *quibuſcunque* contractibus ſubducatur, quod plane eſt impoſſibile. Cumque inter *omnes* eoſdem contractus profecto ſit contractus trium; contractuum, ſive tres hi contractus ſimul, ſive ſeparatim, & diſtincte ineantur; nihil eſt, cur a damnatione ſubtrahi poſſint contractus tres ſeparatim initi, quos quidem tantum Navarrus in Conſiliis defendit l. 5. conſil. 16., & plerique ex antiquis.

Sixtus V. tres contractus damnavit.

45. Hac tam manifeſta definitione lis omnis de tribus famoſis contractibus finiri debuiſſet. Væ tamen a criminibus, quæ in conſuetudinem abiere? Difficilis enim remedii cum ſint, etiam poſt definitionem patronos, qui hominum cupiditatibus indulgentes, a damnatione illa eripere ſtudeant, facile inveniunt. Quatuor autem in medium afferunt, quæ contra tam explicatam declarationem, quam levia, & imbecilla ſint, quiſque prudens intelliget. Primo Sixtum ipſum a neſcio quibus de Bullæ ſenſu interrogatum reſpondiſſe quidam prodit, ſe eos contractus prohibuiſſe, quos Doctores condemnant; quod quid ad trium contractuum defenſionem faciat, non video. Nam prætérquamquod privata ejuſmodi reſponſa, de quibus legitime non conſtat (aliam inferius certiorem ejuſdem Pontificis reſponſionem afferemus ex Comitolo, quam male a nonnullis propoſitam, & confuſam in hac reſponſione ſuſpicamur) ejuſmodi, inquam,

Exceptiones ad Sixti damnationem declinandam refelluntur.

Primo.

quam, privata reſponſa deſtruere nequeunt quod expreſſis Bullæ verbis declaratum eſt, nec efficere, ut contractus trium inter *omnes, & quoſcunque* contractus, qui capitale tutum, & certum lucrum præſtant, ab eodem Pontifice univerſim damnatos minime comprehendatur. Nonne eoſdem contractus tres, quos Navarrus cum aliis forte paucis defendit, plerique etiam tum Auctores damnabant; adeo ut ipſe Carolus V. in Conſtitutione an. 1541. eoſdem, uti palam iniquos, & uſurarios, etiam in foro externo prohibuerit? Forte cum hac Bulla reprobarentur omnes contractus, quibus de capitali, ac lucro cavetur; dubium enatum fuit, num omnes etiam ſeparatæ cautiones, vel ſolius periculi capitalis, vel unius lucri certi pro incerto eadem Bulla interdictæ eſſent; ac in eo interrogatus Pontifex, perinde, uti præfertur, reſpondit, ut innueret, ſe non damnaſſe eas cautiones ſeparatas, ac *disjunctive*, ut ajunt, ſumtas; quæ ſi recte fiant, nec a jure, nec a Doctoribus condemnantur. Forte etiam dubium oriri potuit, num tres contractus cum diverſis perſonis initi ita certo reprobandi ſint, uti in Bulla certo reprobantur initi cum eadem perſona; de quo poſtremo ſi quis dubitet, is obvium Bullæ ſenſum vel non intelligat, vel violenter extorqueat neceſſe eſt. Enimvero hac de re nec dubium fuiſſe, nec dubitari poſſe diſerte teſtatur coævus Auctor Coſmas Philiarcus Piſtorienſis Canonicus, & Theologus Florentinus, ac teſtatur in opere *de Officio Sacerdotis* edito an. 1590., & (quod pluris eſt) nuncupato eidem Pontifici Sixto V. die 20. Martii anni ejuſdem, non multo poſt editam Conſtitutionem. Nam tom. 2. l. 5. c. 9. p. 59. editionis Florentinæ, deſcripta hoc ſuper themate lite, quæ inter Navarrum, & Sotum agitata fuerat, concludit pag. 50. *Sed hac controverſia jam ſublata eſt per Conſtitutionem* Deteſtabilis *Sixti V. in qua damnantur, ac reprobantur illæ ſocietates, in quibus fiunt cum ſocio illi duo contractus &c.* Hæc adeo fidenter non ſcripſiſſet, niſi decidendi conſilium habuiſſet omnino certum. Hinc ſaltem prima, & obvia, quæ de Pontificis mente, ac Bullæ ſenſu ſpargi cœpit, interpretatio dignoſcitur; quæ cum cohæreat ipſis generalibus Bullæ verbis, nonniſi per ſummam vim, & exilibus prorſus exceptionibus excludetur. Sic prima reſponſio plane disjecta eſt. Quod porro Bonacina diſp.

Secunda.

3. de Contractib. q. 3. punct. 11. reponit auctoritate Rotæ apud Farinacium Deciſ. 137., non damnari per hanc Bullam contractum jure communi licitum, ſolam alterutram cautionem vel capitalis, vel lucri reſpicit, non autem utramque, ut ex ejuſdem Rotæ ſenſu Cardinalis de Luca optime advertit part. 1. de Uſuris diſc. 1. n. 7. Alia ejuſdem Bonacinæ reſponſio, qua quæſt. 6.

Tertia.

puncto 3. eam Bullam accipiendam ait de ſocietate, quæ cautionem duplicem ſine juſto ambarum cautionum pretio exigit, non autem de ea, quæ juſtum pretium caventi ſolvit, placuit etiam P. Maignano, qui propterea periculum, pro quo juſtum pretium ſolvitur, penes illum, qui ſolvit, quodammodo remanere contendit.

De uſu licito pecuniæ part. 1. prop. 4. & part. 3. difficult. 8.

At in caſu veræ, & non ſimulatæ ſocietatis, qualis in præſentiarum ab ipſis contrariæ ſententiæ patronis exigitur, nemo periculorum cautionem unquam præſtitit, niſi aliquid de ſocietatis lucro remittatur, & eatenus pro cautione ſolvatur aliquid: & talis profecto erat *conſuetudo* ejuſmodi ſocietatum, quam & deſcribit Navarrus, & Sixtus V. damnavit. Qui ſolas ſocietates ſine tali pretio initas Sixtum V. proſcripſiſſe velit, ſocietatum *conſuetudinem*, quæ nuſpiam erat, non autem, quæ *in quaſdam Provincias* pervaſerat, proſcripſiſſe dicendus eſſet; quod contra ipſius

ipſius Sixtinæ Bullæ teſtimonium pugnat. Hinc etiam corruit Maignani explicatio, qui præterea, ut periculum a Sixto in legitimis ſocietatibus requiſitum ſatis ex ſolutione pretii ſuo contractui afferat, ſuadere nemini poterit, ſocietatis periculum ex ſolutione pretii retineri apud eum, qui pro eodem periculo a ſe removendo, & in alium

Quarta. rejiciendo pretium ſolvit. Poſtrema, & veriſimilior objectio ea videtur, qua ex Bullæ verbis ſocietates, & conventiones ejuſmodi *in poſterum*, vel *poſthac ineundas* damnantibus, ita ut *uſuraria*, & *illicita poſthac cenſeri debeant*, ac ſi *antea* tales non fuerint, nonnulli colligunt, mentem Pontificis fuiſſe novum jus poſitivum inducere, non vero jus naturale declarare, adeo ut nihil ad intrinſecam trium contractuum pravitatem definiendam hæc Bulla conferre poſſit. Sed hæc & apertis ipſius Bullæ ſententiis, & luculento duorum Cardinalium ipſius Bullæ Scriptorum teſtimonio disjiciuntur. Primum in proœmio Bullæ *malum in quaſdam Provincias* pervagatum agnoſcit Pontifex in ſocietatibus ejuſmodi, quas propterea *ab antiquo humani generis hoſte verſute, & callide per varios dolos, & fallacias* inductas prodit: ac dein harum ſocietatum, & duarum pactionum forma deſcripta, has *contra æquitatem, & ſocietatis juſtitiam* eſſe declarat. Num hæ formulæ merum poſitivum jus innuunt, an potius divinum, & naturale, quod per eas conventiones læſum ut reſtitueretur, hæc Bulla edita fuit? Cum porro huic juris naturalis declarationi ſpecialis prohibitio pœnalis pro foro externo adjecta fuerit; de hac pœnali prohibitione forum externum reſpiciente intelligendæ ſunt particulæ illæ *in poſterum*, & *poſthac*, ita ut adverſus has ſolas ſocietates, quæ *in poſterum* fient, in foro externo præſcriptis Bullæ pœnis agatur: quod ad jus naturale infirmandum perperam trahitur. Enimvero *Cardinalis Toletus, & Cardinalis S. Severina, quibus munus demandatum fuit a Sixto componendæ legis, affirmarunt Patri Stephano Tuccio Theologo Soc. Jeſu, ut is datis ad me literis teſtatus eſt*, inquit P. Comitolus l. 3. Reſolut. moral. quæſt. 12. n. 3. *noluiſſe Sixtum ſua lege probibere, niſi injuſtos ſocietatis contractus* (qui ſcilicet per ſe *injuſti* ſunt) *quare qui ante legem latam juſti erant, poſt legem quoque licere*. Injuſti igitur per ſe ante hanc Bullam fuiſſe, & adhuc etiam eſſe dicendi ſunt contractus tres quos Sixtus hac Bulla damnavit; ita ut mirum maxime ſit, inveniri potuiſſe homines, qui tam imbecillibus reſponſis commoti, adhuc poſt Bullam illos defenderint.

46. At ſi (1) privati quidam Aucto-

---

(1) Privatorum ſententiam tantum & Romæ, & in Italia a multis *in uſu præcipue* approbatam memorat Romana Rota coram Taja in cauſa Viterbienſi Tranſactionis 4. Junii 1663. part. 14. Recent. Dec. 74. n. 18. *Memorat* inquam, non autem probat. Agens enim de caſu pupillaris pecuniæ a patruis tutoribus non ſolutæ, & in negotiationem converſæ, pro qua annue fructus iidem patrui ſolverant, omnes, quæ ab advocatis pro hiſce fructibus ab uſura vindicandis allatæ fuerunt rationes, exacte exponit, inter quas hæc a triplici contractu ducta poſtremo loco refertur; nullæ tamen probantur expreſſe. Sed cum in his al æ eſſent ſatis æquæ ſumtæ a lucro ceſſante &c. judicium ſuſpenſum fuit a Rota, ſeu (ut Cardinalis de Luca in hac cauſſa conſultus diſc. 15. de Uſuris teſtatur n. 1.) *ob difficultates inſuper habitas nulla ca-*

pta

Tres contractus damnati ab Epiſcopis. ctores in hanc ſententiam potuerunt tranſire, non tamen Epiſcopi, qui triplicem illum contractum & a Sixto damnatum, & jure damnandum Epiſcopalibus Edictis ſanxerunt. Pauca particularium Edictorum monumenta legere, & conſulere licuit; ea enim in ſuarum cujuſque diœceſeon uſum edita, raro ad aliorum manus perveniunt. Ex iis tamen, quæ inſpicere licuit, quid ex ceteris propemodum infinitis afferri poſſet quiſque ſecum colliget. Aliquot Belgii, Galliæ, Hiſpaniæ, & Italiæ Epiſcopos proferam. In Belgio. In Belgio trium contractuum mos inoleverat, in pecuniis præſertim pupillaribus, quæ maxima cautione collocandę ſunt. Huic abuſui obſtiterunt plures Belgii Antiſtites, qui propterea has quoque pupillares pecunias triplici contractu apud mercatores deponendas vetuerunt in Synodis Mechlinienſi, Cameracenſi, Iprenſi, & Atrebatenſi, quibus addendum Directorium Octavii Francipani Epiſcopi Tricarienſis Nuncii Apoſtolici, ut videre licet apud Bernardum Loth tract. 10. a. 7., qui a P. Aurelio Piette allegatur.

47. In Gallia tres contractus non tam a facultate (1) Pariſienſi, quam In Gallia.

pta fuit reſolutio; & debitoribus ſolutionem accuſantibus *impoſitum onus probandi contractum fœneratitium*, ut ipſa Rota definivit n. 21. Male ergo hujus Rotæ auctoritas ingeritur a nonnullis, ac ſi triplicem contractum probarit, quem alias ſemper reprobaſſe laudatus Cardinalis teſtatur diſc. 1., quemque ſi hoc loco probaſſet, non ſuſpendiſſet ſententiam, ſed contractum abſolutæ licitum declaraſſet. Vide hac de Rota ejuſdem Cardinalis judicium diſc. 1. n. 7., ubi alia allegantur.

(1) Facultas Pariſienſis triplicem contractum reprobavit in cenſura adverſus librum Amadei Guimenii edita 3. Febr. 1665. Cum vero hanc cenſuram Alexander VII. in Decreto diei 25. Junii anni ejuſdem damnarit tanquam *præſumtuoſam*, in qua notatæ fuerunt non tam propoſitiones de Apoſtolicæ Sedis, & Epiſcoporum jure &c., quam aliæ nonnullæ, *quæ & graviſſimorum Scriptorum auctoritate & perpetuo Catholicorum uſu nituntur*; cenſuram propoſitionis ad triplicem contractum pertinentis his verbis indicatam, atque damnatam, & eatenus triplicem contractum ab Alexandro VII. ſatis probatum Nicolaus Broederſen pluribus locis inculcat in noviſſimo de Uſuris volumine. Verum cum ea cenſura damnarit & opiniones laxas, quæ deinde ipſi Apoſtolicæ Sedi cenſura dignæ judicatæ fuerunt, & alias nonnullas ſatis æquas, & veras; Alexander autem expreſſe caverit, ſe non idcirco approbare omnes, quæ in ea cenſura fuerunt condemnatæ; quis triplicem contractum a Sixto V. interdictum hoc Alexandri Decreto probatum affirmare audeat? Nonne ipſe Broederſen lib. 5. part. 3. c. 6. n. 6. mentionem faciens Apologiæ Caſuiſtarum ab eodem Alexandro VII. proſcriptæ, tres contractus ibidem ingeſtos non idcirco proſcriptos tradit, quia Decretum *nulla facta alicujus ſpecialis doctrinæ mentione latum eſt*; & ex condemnatione Provincialium Epiſtolarum *non recte concludi* ait, *omnes doctrinæ articulos in eis contentos, aut hunc, vel illum ſpecialem doctrinæ articulum reprobari?* Quo igitur jure contractum triplicem, cujus nulla ſpecialis ſit mentio, probatum dicet in Decreto contra Pariſienſis facultatis cenſuram? Quid potius non allegavit Decretum Congregationis Indicis ſub eodem Pontifice 5. Aprilis 1666., & aliud Congregationis

Digitized by Google

quam ab Epiſcopis, immo ab ipſo Gallicano Clero damnatos produnt Curati Pariſienſes in memoriali Vicariis Generalibus exhibito an. 1658. Eoſdem tres contractus rurſum ab eiſdem Gallicanis damnatos an. 1667. reſponderunt Doctores Sorbonici anno 1672. die 16. Maii, qui illos a Sixto V. prædamnatos monentes, Gallicanos Romanam auctoritatem ſecutos inſinuant. Tres itaque contractus cum in Gallia defendere amplius non liceret, P. Emanuel Maignanus ſub annum 1674. diſſertationem edidit primum Gallice, dein Latine *de uſu licito pecuniæ*, in qua eundem contractum trium aperte defendere non auſus, quendam *commiſſionis* contractum veluti diverſum pro ſuis mercatoribus inducere, & vindicare ſtuduit; quatenus ſcilicet mercatori pecunia committatur cum mandato, ut illam negotiationi exponat; ex negotiationis autem lucro pars eidem tertia pro opere, tertia autem pro cautione ſortis remittatur; ita ut pars tertia certa, ex. gr. quatuor, vel quinque capitaliſtę maneant, quę certa lucri determinatio non niſi certo, & tuto pariter lucro taxari poteſt. Itaque cum triplicem in contractum hic commiſſionis contractus a Maignano ibidem defenſus recidat, id ubi prodiit in lucem, *virorum alioquin*, ut ipſe Maignanus fatetur, *doctrina, & pietate inſignium animos offendit*, qui ſub ſpecioſo commiſſionis nomine tres contractus jamdiu damnatos, & uſuram pallliantes, clanculum vindicari indigne ferebant. Editi igitur Toloſę adverſus eandem diſſertationem non tam *Doctorum*, ſeu *Conſultorum*, uti appellat, libelli, quam quinque Epiſcoporum cenſuræ, quibus ille contractus uſuræ damnatur. Quæ Gallorum Epiſcoporum condemnatio quam juſta habenda ſit, inde confirmari poteſt, quod eundem Maignani librum Roma deinde proſcripſit.

Ad censur. 5. Epiſcoporum n. 18. & 51. ad 5.

In Procemio ad part. 2.

In cenſuras Epiſcoporum n. 44.

48. Ex Hiſpaniæ Epiſcopis ſatis erit commemorare illos, qui anno 1717. ad Clementem XI. ſupplicem libellum miſere, cujus ego exemplar ab Epiſcopo Benedicti XIII. intimo acceptum exſcribendum curavi. Hi autem inter ſententias, quas, uti uſurarum pallia, proſcriptione dignas proponunt, hanc ibidem referunt prop. 158. *Ex contractu trino aliquid ultra ſortem in pactum deducere non eſt lethale.*

In Hiſpania.

40. Tandem ex Italis quatuor tantum Epiſcopos, qui contractum trium noviſſimis etiam temporibus expreſſo nomine damnant, recenſere ſufficiat: qui enim ſocietates univerſim improbant, initas adjectis pactis, ut ſalvum ſit capitale, & certum lucrum percipiatur (quæ trium contractuum natura eſt) infiniti promemodum ſunt. Itaque Cardinalis Denhoff Epiſcopus Cæſenas in Epiſtola paſtorali Italice edita, ac data die 14. Auguſti anno 1604. *Circa le uſure, e gl' intereſſi*, hæc de tribus contractibus luculenter ſcripſit num. 26. pag. 30. *Alcuni Dottori moderni ſono dell' opinione del Navarro, che la ſocietà de' tre contratti uniti inſieme ſia lecita*

In Italia.

---

tionis S. Officii ſub Clemente X. 12. Septemb. 1675., ac tandem Decretum Innocentii XI. 16. Sept. 1680., quibus Amadei Guimenii liber, ob laxas, & pernitioſas doctrinas ter damnatus, igniquе etiam addictus fuit? Si ego ex his colligerem, propoſitionem triplicis contractus in eo libro traditam, fuiſſe damnatam; conſentirent adverſarii? Quid ergo in priori Decreto Alexandri probatum contendent? Hęc ad refundendam Broederſen objectionem neceſſaria fuerunt, ne cui forte minus cauto fucum faceret. Nunc autem ego non facultatis Pariſienſis, ſed Epiſcoporum, & Romanæ Sedis auctoritate utor.

cita... Nondimeno la più vera ſentenza è quella, che tiene eſſere proibita, ed uſuraria la ſocietà de' tre contratti. Imperocchè il ſecondo contratto diſtrugge il primo, e lo riſolve in un nudo contratto di mutuo: eſſendo, come abbiamo moſtrato colla dottrina di S. Tommaſo, d' eſſenza del contratto di ſocietà, che chi ſomminiſtra il capitale, l' eſponga al pericolo; ſiccome gli altri compagni eſpongono al riſico le loro fatiche, ed induſtrie; di modo che ſe ceſſa il pericolo, perde ognuno di loro il diritto di partecipare del lucro comune; perchè non contribuiſcono più niente del ſuo: e ritrovandoſi già diſtrutto il primo contratto della ſocietà col ſecondo dell' aſſicuramento, il terzo della vendita, che ſuppone ſuſſiſtere ancora il primo, non ha più luogo; poſciachè con eſſo ſi venderebbero i frutti incerti per certi, non d' un capitale di ſocietà, ma d' un capitale di mutuo, divenuto tale per mezzo dell' aſſicuramento.... Domenico Soto, contemporaneo di Martino Navarro, ſoſteneva fortemente queſta ſentenza contro il medeſimo, perlocchè queſti, aſſunto che fu al Pontificato Siſto V., da cui era ſingolarmente ſtimato, volle vederne la deciſione, e di fatto ſeguì poco dopo la ſua morte; ma il Papa condannò colla ſua Bolla Deteſtabilis avaritiæ ingluvies la ſocietà de' tre contratti come uſuraria, e proibì che in avvenire non ſi faceſſe. Le parole della Bolla ſono le ſeguenti: Damnamus, & reprobamus &c. Et paullo poſt: Peſati perciò dalla felice memoria di Siſto V. i pericoloſi palliamenti d' uſure, che ſi autorizzavano coll' opinione, che propugnava la ſocietà de' tre contratti, con ſomma ragione la condannò non ſolo nel foro eſterno, ma anche nell' interno; il che denotano le parole diſtricte interdicimus, colla minaccia dell' indignazione di Dio. Latine ſic. Quidam Doctores recentes cum Navarro cenſent, ſocietatem trium contractuum ſimul junctorum licere...

Nihilominus verior ſententia eſt illa, quæ trium contractuum ſocietatem vetitam, atque uſurariam propugnat. Nam ſecundus contractus (cautionis capitalis) deſtruit primum, ac reſolvit in nudum contractum mutui; quippe quia, ut oſtendimus ex S. Thomæ doctrina, eſſentia contractus ſocietatis requirit, ut is, qui capitale tradit, ita exponat illud periculo, ut ceteri ſocii periculo exponunt labores, & induſtriam, adeo ut ſi ceſſet periculum, quiſque illorum amittat jus participandi lucri communis; propterea quod nihil confert ſuum. Cum autem ſocietatis contractus ſit deſtructus a contractu ſecundo cautionis, tertius venditionis contractus, qui primum adhuc ſubſiſtentem præſumit, locum amplius non habet: per ipſum enim venderentur fructus incerti pro certis, non ex capitali ſocietatis, ſed ex capitali mutui, quod tale propter cautionem efficitur.... Dominicus Sotus Martini Navarri contemporaneus, hanc ſententiam contra ipſum acriter defendebat; quare iſte (nimirum Navarrus) aſſumto ad Pontificatum Sixto V., a quo maximi fiebat, deciſionem deſideravit, eaque ſane paullo poſt ejus mortem edita fuit. At Pontifex Bulla Deteſtabilis avaritiæ ingluvies, ſocietatem trium contractuum damnavit uti fœneratitiam, & ne deinceps fieret interdixit. Verba Bullæ ſunt hæc: Damnamus, & reprobamus &c. Et poſt pauca: Expenſis itaque a felicis memoriæ Sixto V. periculoſis uſurarum palliis, quæ auctoritatem acquirebant ex opinione, quæ ſocietatem trium contractuum defendebat, hanc jure damnavit non ſolum in externo foro, ſed etiam in interno, ut indicant verba diſtricte interdicimus, divina indignationis comminatione adjecta. Hactenus Cardinalis Denhoff. Lucas Trapanus Epiſcopus Iſclanenſis in Synodo habita an. 1716. part. 1. c. 6. §. 4. n. 3., uſurariis contractibus illum accenſet, qui famoſus contractus trium contractuum nominatur

Digitized by Google

tur. Similiter Onuphrius e Marchionibus Eliſei Urbeventanus Epiſcopus in Edicto Italico, quod probatum in Synodo an. 1726. ſeſſ. 2. c. 6. Appendici inſertum legitur, cum mandato, ut ſecunda Dominica Februarii, & Julii, a Parochis infra Miſſarum Solemnia quotannis publicetur, uſurarios contractus vitandos enumerat, & inter hos §. 2. n. 6. p. 75. refert contractum triplicem, his verbis: *Chi fa le compagnie, o ſocietà di tre contratti*. Poſtremus ſit Franciſcus Maria Loyerius Epiſcopus Umbriaticenſis, qui in Synodo celebrata an. 1727., & Romæ edita 1720., hæc ſanxit tit. 9. p. 63. *Contractus trium contractuum (quamvis raro, vel nunquam in noſtra Diœceſi iniri contingat) ſocietatis ſcilicet, aſſecurationis, & venditionis lucri majoris incerti pro lucro minori certo, tanquam uſurarios, & proſcriptos eſſe Apoſtolica Conſtitutione* (in margine autem Sixti V. Conſtitutionem allegat) *noſtris Diœceſanis volumus innoteſcere, ut ab illis, caſu occurrente, valeant abſtinere*.

Quantum propoſito hactenus Eccleſiæ judicio deferendum ſit.

50. In his autem & Belgii, & Galliæ, & Hiſpaniæ, & Italiæ Epiſcopis cum Sixti V. Bulla concinentibus in trino contractu damnando, quis non agnoſcat Eccleſiæ vocem, atque ſententiam, quæ omnem hac in quæſtione, ſi a ratione anceps videretur, litem ſatis dirimat, atque definiat? Scio nonnullos ea inconſiderantia (ne quid dicam gravius) efferri, ut Epiſcoporum Decreta, & Diœceſanas eorum Synodos parvi faciant, quod infallibiles illi non ſint; eorumque Decreta non ligent niſi illos, qui ipſorum juriſdictioni ſubiecti ſunt. Itaque ſi privatos Auctores contraria docere inveniant, ab eorum ſententiis diſcedere nihil dubitant. At quam hæc contra inſtitutam a Chriſto Epiſcoporum auctoritatem pugnent, contrariaque ſint omnium ſeculorum erga Epiſcopos obſervantiæ, Novi Teſtamenti, & antiquitatis peritus facile intelliget. Licet enim Epiſcopi ſingillatim infallibiles non ſint in ſuis Decretis, num propterea non colenda, nec ſuſcipienda ſunt? Num infallibiles ſolum Epiſcopos audiri Chriſtus juſſit, quos Eccleſiæ regendos præpoſuit, *ut non ſimus fluctuantes omni vento doctrinæ*? Quæ exceptio adeo nova, & inepta eſt, ut nullus quoque hæreticorum hactenus oppoſuerit, ſe idcirco particularium Synodorum ſententiæ nolle parere, quod particulares illi Epiſcopi infallibilis auctoritatis non ſint? Quod ſi Chriſto præcipiente Eccleſia audienda eſt, ne qui illam non audit, inter ethnicos, & publicanos adſciſcendus ſit; num Eccleſia tum ſolum loquitur, ubi infallibili judicio generale Epiſcoporum Concilium, vel Eccleſiæ Caput Romanus Pontifex loquitur? Quod ſi per Epiſcopos ſingulos, qui non in Conciliis ſolum, ſed in ſuis quoque ſedibus ad inſtituendos commiſſos ſibi populos divini juris auctoritatem habent, ſatis loquitur Eccleſia; hos, cum aliquid docent, ſi quis audire nolit, Eccleſiam non audire convincitur. Quod eo fortius valere debet, ſi, ut in caſu præſenti accidit, non unus, vel pauci, ſed plures, & ex pluribus quidem Provinciis, eandem doctrinam cum Romano etiam Pontifice doceant, ut nihil paris auctoritatis Eccleſiaſticæ opponi poſſit. Ita Eccleſiam non audire, & velut hæretici habiti ſemper fuerunt plures, qui doctrinam a ſolis particularibus Epiſcopis in particularibus Synodis, ceteris non reclamantibus, damnatam defendere auſi ſunt. Memoratorum Epiſcoporum doctrinæ tres contractus proſcribenti nulli alii Epiſcopi ſuis in De-

Digitized by Google

Decretis, vel (1) Synodis ſeſe oppoſuere, nulli reclamarunt. Soli privati Auctores, qui contrarium defendunt, cum nulla Eccleſiaſtica auctoritate præditi ſint, nihil præ illis habendi ſunt, adeo ut Eccleſia adhuc in memoratis tantum Epiſcopis ſententiam dixerit. Huic ergo Eccleſiæ ſententię obaudire, & parere Catholici debemus, eamque inter pugnantes Auctorum diſſidentium ſententias, ſi a ratione ancipites videantur, pro legitimo, & Eccleſiaſtico judicio revereri, quod præſenti de contractu trium contractuum controverſiæ finem imponet. Saltem, quoad nihil exploratius ex ipſa Eccleſia habeamus, magni periculi fuerit, hoc Eccleſiæ judicium deſerere, inexcuſabiliſque apud Deum erit, qui contra tantam auctoritatem tres contractus proſcribentem, atque damnantem, eoſdem contractus propugnare, & ſuadere auſus fuerit.

CAP. IV.

De modis ſubveniendi neceſſitatibus negotiationis, atque commercii cum honeſto lucro citra uſuram.

51\. ERunt fortaſſe, qui triplicem contractum a negotiatione ſubductum audientes, mercatores hac ratione maximis pecuniæ anguſtiis premendos, ac ita pecunia a ditioribus ſubtracta, commercium magna capturum detrimenta, ac ſenſim extremum exitium ſubiturum declamitent. Hac vero objectione, quæ multos movere ſolet, meticuloſi homines umbras creare, & ſpargere mihi videntur. Qui uſuram moderatam propugnant, ſimilem objectionem promovere ſolent, ita ut ſi quid in præſentiarum valeat, pro moderata uſura vindicanda valere peræque poſſit. Quidquid autem adverſus illos Sectarios in Catholici dogmatis defenſionem lib. VI. de jure divino, & naturali c. 1. §. 3. fuſius repoſuimus, parem hoc loco vim habebit,

---

(1) Neque opponatur fortaſſis Concilium Provinciale Beneventanum XIII. an. 1656. in Synodico Beneventano editum, quod tit. 58. de Uſuris n. 22. p. 511. triplicem contractum mutuo additum damnans, *Nos*, inquit, *preſenti Decreto ſtatuimus, ac declaramus nullo pacto licere ſub pratextu triplicis illius contractus additi contractus mutui, aliquid vel minimum accipere ultra ſortem, nedum duodecim in centum ex mutuo dato, niſi vera ſocietas intercedat &c.* Cum enim prioribus verbis fœneratitium mutuum triplicis contractus nomine tectum damnat; tum his poſtremis ſolam ſocietatem, non autem triplicem contractum probat. Enimvero ſi hæc verba ita accipiantur, ut quod non probatur in mutuo, in ſocietate probetur, non minus triplex contractus in ſocietate probatus dici deberet, quam lucrum duodecim in centum (utrumque enim in mutuo reprobatum fuit) quod tamen nemo dixerit. Solum num. 20. duplex contractus, non triplex probatur, quod quatenus licere poſſit dicemus cap. ſequenti §. 1. Cumque num. 30. in ſolis ſocietatibus animalium quædam triplicis contractus ſpecies probetur, in quam tamen rem vide quæ monuimus n. 32.; id a ſocietate pecuniæ alienum præſumitur, in qua nihil tale poſitum fuit. Certe Concilium Provinciale XII. ejuſdem loci tit. 39. vetuit ſocietatem cum cautione capitalis, & lucri; uti & aliæ omnes Synodi cum Romanis Pontificibus vetant.

Digitized by Google

bit, ſi præſertim triplicem contractum uſura non vacare perſuaſum ex dictis ſit. Ne vero omnes honeſti lucri viæ ſubveniendi commercio intercluſæ credantur ſi hic contractus non liceat; alias ego æquas,& legitimas monſtrabo. Duplex alienæ pecuniæ neceſſitas in negotiationem incidere poteſt. Altera ad negotiationem inſtituendam, vel augendam, cum mercatori in id ſatis ex proprio ære non ſuppetit; altera ad diſſolvenda debita negotiando contracta, quibus identidem propria mercatoris pecunia præſto non eſt. Utriſque opportunas, & licitas pecuniæ utiliter collocandæ vias indicemus.

§. I.

Neceſſitati inſtituendæ, vel augendæ negotiationis, ex pecunia aliena per ſocietatem legitimam licito cum lucro ſuccurri poteſt. Occurritur difficultatibus liberæ ſocietatis, & fraudum remedia indicantur. Quæ cautio capitalis in ſocietate liceat. De licita venditione incerti lucri ex ſocietate percipiendi pretio minori certo. Duplex contractus licet, non triplex.

De ſocietate ſimplici ineunda.

52. SI prima neceſſitas ſpectetur, quæ diuturniorem pecuniæ uſum in negotiationem ipſam efflagitat; poſſunt mercatores a divitibus pecuniam negotiandam accipere legitimo ſocietatis contractu, quo negotiationis lucrum, vel damnum, ſicut illis pro induſtriæ, ita ſibi pro capitalis portione communicetur. Jacobus Savary univerſæ negotiationis inſtructiſſimus, hanc pecuniæ utiliter conferendæ viam commercio, & publicæ rei apprime utilem pluribus ſtatuit, ac præſertim quod juſta, & a fœnore aliena eſt: *Il n' y a rien de ſi utile a l' Etat, & au public, que les ſocietez en commandite pour cinq raiſons. La premiere, parceque toutes ſortes de perſonnes, quoy qu' ils ne ſoient point de profeſſion mercantille, peuvent ſe ſervir de ce moyen pour fair valoir leur argent avec juſtice, ſans qu' il y ait aucune uſure. La raiſon en eſt, qu' ils ſe demettent de la proprieté de leur argent entre les mains d' un autre pendant le temps de la ſocieté, pour l' employer dans le Commerce, dont ils courent tous les riſques qui accompagnent cette profeſſion: de ſorte qu' il n' y a point de bien mieux acquis que celui-la.* Latine. *Nihil ſtatui, & publicæ rei utilius eſt, quam ſocietates, in quas ſola pecunia confertur, quinque rationibus. Primum quia cujuſque generis homines, tametſi a mercatura exercenda alieni, hac via poſſunt juſte exercere pecuniam, ut ne in uſuræ crimen impingant. Ratio eſt, quia pecunia ſocietatis tempore ſe privant, & apud aliquem collocant, ut illam occupet in commercio, cujus pericula omnia ipſi ſubeunt: unde nihil hoc lucro honeſtius acquiſitum eſt.* Viden hujus lucri juſtitiam ex periculis derivari? Hac autem ſocietate adeo licita, & honeſta nonne negotiationem quamlibet licet inſtituere, vel augere ex aliena pecunia, ut ne triplex contractus neceſſarius ſit? Quot negotia hac via tranſiguntur?

Le Parfait Negotiaur Part 2. lib. 1. pag. 13.

Difficultate ſimplici ſocietati objecta.

53. Duplicem vero difficultatem objici poſſe video, alteram ex mercatorum parte, qui liberam ſocietatem nonnunquam nolunt, ſive ne is qui confert pecuniam nimium importune exigat ratiocinia; ſive quod ſolius induſtriæ lucro non contenti, inhiant in partem ejus lucri, quod capitali ſocietatis jure contingit; alteram vero ex parte pecunioſorum hominum, qui vel ratiociniorum, & negotiationum mo-

Digitized by Google

modum ignorant, aut ſolicitudinem nolunt, vel negotiatorum fidei non ſatis credunt, temeritati multo minus: quidam enim alienam pecuniam alieno periculo negotiantes, majori lucro propoſito, illam temere fidunt, quod non facerent, ſi de proprio periculo ageretur. Hæc omnia non levia, nec contemnenda profiteor. At ſingulis citra triplicem contractum remedium afferri juſtum poteſt.

Refelluntur.

54. Primum quoad temeritatem mercatoris (quæ juſtiſſima omnium eſt oppoſitio) in ipſis liberis ſocietatibus inter eoſdem ſocios negotiatores caveri poteſt, ne quis temere merces credat iis, qui de decoctione ſuſpecti ſunt; vel ne alios temerarios contractus privatim ineat &c., ſecus periculo ejus omne damnum computabitur. Hæc cautio quidem juſtiſſima eſt, quippe quæ non de fortuitis, ſed de temerariis periculis cavet: ſola enim pericula fortuita, quæ præter prudentem opinionem in negotiatione contingunt, ſortis, & negotiationis pericula ſunt, & ad negotiationis ſocios jure pertinent; non autem temeraria pericula, quę cum ex temeritate, atque culpa proveniant, voluntaria ſunt, illique jure tribuuntur, qui temeritate & culpa propria præter ſocietatis pactum uſus eſt. Si hæc una cautio a periculis culpabilibus, & prudenter timendis in triplici contractu exigeretur, liceret, modo cetera pericula vere inculpata, & fortuita ſocius capitaliſta ſubeat, ut Cardinalis de Luca optime monuit.

De Uſuris diſc. 1. n. 20.

55. Sed hæc, inquies, litium, & contentionum inextricabilium erit origo: ſemper enim in damni caſibus quæſtio erit, num ex temeritate, atque culpa damnum evenerit: harum autem quæſtionum, quæ in facto, non autem in jure conſiſtunt, quis finis ſperari poteſt? Idem in damno lucri æque locum habet, cum a fide hominum pendeat. Juſtam expoſtulationem fateor; quæ tamen cum non unius mercaturæ propria, ſed ceteris omnibus humanæ ſocietatis commerciis communis ſit, auferri aliter nequit, niſi ipſam humanam ſocietatem auferamus. Quis enim miniſtris, ſervis, procuratoribus, tutoribus, hoc metu fidere unquam poterit? Num ſemper cautiones exiguntur, aut, ſi exigantur, obtineri ſemper poterunt? Sicut porro in hiſce neceſſitatibus alia via non eſt, niſi eos eligere, qui honeſtiores ſunt, ac fide digni; ita etiam in mercaturæ ſocietate, immo multo magis, cum in hac, ſi omnium cautio periculorum exigatur, nullus lucri titulus ex demonſtratis ſuperſit. Si ſervis, procuratoribus, tutoribus fiditur, ubi de lucro non agitur; quanto magis in negotiatione, ubi ſine fide, & periculo de lucro agi non poteſt?

56. Dum tamen periculum aliquod negotiationis proprium ſubeatur, cautionem aliquam de aliquo periculo, quod forte magis timeatur, permitti poſſe concedam. Duplex negotiationis periculum diximus, capitalis, & lucri. Si de aliquo capitalis periculo quiſpiam magis ſolicitus ſit, poterit cautionem de hoc periculo quærere, & ſi pretium ejus juſtum ſolvat, ex aliis periculis, ac ex periculo lucri ſatis juſte lucrabitur. Hac ratione qui de maris, vel itinerum periculis cautiones pretio emunt, & nihilominus negotiando lucrantur, juſtum lucrum capiunt. Capitaliſta timens de temeritate, aut fide mercatoris, ne forte merces malis debitoribus credat, qui fidem fallant, & capitale perdant; (1) cautionem fortaſſis

Quatenus cautio alicujus periculi capitalis permitti poſſit.

(1) Hæc cautio in ſocietatibus intelligitur, ſi ex malis debitoribus damnum capitalis redeat.

Digitized by Google

ſis de debitoribus quærere, & juſto pretio emere poterit, & nihilominus ſi quid lucri adhuc ex negotiatione ſuperſit, poterit honeſte lucrari. Ita honeſte pariter lucratur negotiator, qui vel credito nunquam vendit, vel ſine idoneo fidejuſſore quibuſdam nihil fidit. Non ſolum ex induſtria, ſed ex aliis etiam negotiationis periculis, quæ ſubit, juſtum lucrum percipit. Qui pecuniam ſuper cambia realia campſoribus negotianda tradunt, præſtita ab his cautione de nominibus debitorum, quod Italice dicitur *ſtar dal credere*, a Pio V. non improbatum in Bulla de Bononienſium cambiis edita die 25. Novembris an. 1560. (*non improbatum* inquam; licet enim omnia capitula probarit, in quibus eſt illud *del ſtar dal credere*; *licita tamen*, *& honeſta* probans, non omnino expreſſe hoc, vel illud licitum definivit) juſtum percipiunt lucrum ex aliis ipſorum cambiorum periculis, ex quibus etſi ſæpius lucrum cedat, poteſt tamen aliquando damnum redire, vel certe nihil lucri, ut multi obſervant.

57. Horum autem periculorum cauſſa non ſolum legitimum ejuſmodi lucrum probavit Rota Romana coram Lancelloto (1) in cauſſa Mediolanenſi cambiorum 25. Junii an. 1610., verum etiam periculorum genus, de quibus caveri poteſt circumſcribens intra ea pericula, quæ a negotiatione quaſi extrinſeca, *ex accidenti, ac præter naturam negotii* contingere queunt, rationem ſuggerit ſatis aptam unde id lucrum, hac cautione nihil impediente, ratum, ac legitimum haberi debeat: ejuſmodi enim cautio intacta relinquit pericula intrinſeca, ex quibus a capitaliſta ſuſceptis legitimum adhuc lucrum provenire intelligitur. Quatenus vero ejuſmodi pericula, ex.gr. debitorum ne fallant, a cambiorum realium negotiatione extrinſeca vere ſint, ac dici queant inde cognoſcitur, quia periculum cambiorum intrinſecum in eo ſitum eſt (ut eadem Rota notavit n. 5.) quod *capitale poſſit augeri, & minui, quia cambia non ſunt uniformia, cum modo plus, modo minus, quandoque nihil lucri, & quandoque damnum afferunt, ut fuit conſideratum in cauſſa Mediolanenſi cambiorum 20. Januarii 1569. coram felic. recordat. Clemente VIII.* Idem eſt de intrinſeco

(1) Deciſ. 304. Part. 2. Recent. n. 7. contractum cambii cum cautione capitalis eatenus licitum defendit, quatenus verba cautionis *intelliguntur, & verificantur in periculo amiſſionis capitalis ex accidenti, & præter naturam negotii, velut per decoctionem mercatorum, quibus dantur pecunia ad cambium, cum ſimilibus; quia cum periculum capitalis tam de jure, quam ex vi negotiationis, quam ex natura cambiorum, quam ex communi ſtilo mercatorum negotiantium pecunias alienas ſpectet ad Principalem,* (pecuniæ dominum) *pactum illud de aſſecuratione capitalis intelligitur de alio periculo, quam proveniente ex natura negotii, nempe* del ſtar dal credere, *qua aſſecuratio licita eſt, & permiſſa, data aliqua competenti mercede, juxta conſilium Decii 7., ne propter negligentiam, culpam, aut dolum eorum, qui pecunias alienas cambiant, fiant cambia cum perſonis minus idoneis, aut fraudes in hoc committantur.* Notandum vero eſt, in hoc contractu campſorem, qui cautionem nominum dat, & pecuniam in cambiis exercet, non ſocii, ſed miniſtri perſonam agere, cui certum & induſtriæ, et cautionis pretium ſolvi ſolet. In ceteris autem negotiationibus ſermo eſt de ſocio, cui cum nullum certum neque induſtriæ, neque cautionis pretium adſignetur; injuſtitia, et mutuum facilius ſubrepet.

Digitized by Google

ſeco aliarum negotiationum periculo, qno venalium rerum pretium augeri, vel minui, & ita lucrum, vel damnum percipi variis de cauſſis ab eventu pendentibus poteſt. Hęc pericula, quæ negotiationi intrinſeca ſunt, cum lucri periculo præſertim conjuncta, ſatis legitimum lucri titulum afferunt; etſi forte de ceteris extrinſecis periculis cautio quæratur, quæ ſane cautio ad præcipuam fraudem, ac temeritatem mercatorum in ſocietatibus præcavendam ſatis eſt.

58. Hìc autem videndum primo, ne hujuſmodi cautio ab invito mercatore exigatur, id enim ſocietatis libertati repugnat; quod in cambiis non habet locum, ubi cum campſor, cui pecunia exercenda in legitimis cambiis traditur, ex pręſtituta certa ſuæ induſtriæ quantitate, non ſocius, ſed merus inſtitor, ſeu miniſter habeatur; exacta cautione nominum, ſocietati, quæ non eſt, præjudicium inferri nequit. Deinde æquum cautionis hujuſmodi pretium eidem mercatori ſolvendum eſt, ſive lucrum ex negotiatione redeat, ſive non redeat, ſive pro lucro damnum ex aliis periculis contingat. In ceteris cautionibus periculorum, ex. gr. maris, bellorum &c., quas mercatores aliquando certo pretio emunt, hæc ratio ſervatur. Quidni par ratio habebitur pretii cautionis a periculis nominum, quæ mercator in ſe recipiat? Si quæ tamen incerti lucri, quod ad capitaliſtæ quotam, ſeu, ut appellant, *caratos* ſpectet, portio mercatori pretii loco remittatur, quæ ſi venderetur certo pretio, juſtum ejus cautionis pretium redderet; & hanc fortaſſis incertam portionem mercatori relictam, ac ſuæ quotæ, ſeu *caratis* induſtriæ additam, majus ſibi lucrum allaturam idem mercator ſperet, quam ſi certum cautionis pretium acciperet; repugnare non auferim. Prior tamen certi pretii ſolvendi ratio a fraudum, ac deceptionum, aut metus periculis magis remota præferenda videtur. Neque vero metuendum eſt, ne ſi pretium cautionis certum aſſignetur, mercatores minus ſoliciti lucrum procurent, quod capitaliſtis ceſſurum eſt. Juſtus enim eſſet hic metus, ſi de ſolo lucro capitaliſtarum ageretur. At ſi nihil, vel parum lucri capitaliſtis contingat; nonne ſimul nihil, vel parum mercatorum induſtria lucrabitur? Itaque illi ſi non capitaliſtarum, ſua certe cauſſa omni ſtudio in lucrum connitentur.

59. Quod ſi quis * ratiocinia, & computationes lucri faſtidiens, vel frau- De venditione lucri inceni pro minori certo.

(*) Quidam mercator, ut expeditiora eſſent ratiocinia, indicavit poſſe ſumi pecuniam in ſocietatem particularis mercis, ex. gr. olei, ſerici, pannorum alicujus peculiaris ſpeciei, utilis, et facillimæ venditionis, in quorum emtionem pecunia conferatur. Ita ſeparata hujus negotiationis notatio fieri poterit, quæ quoties libuerit, facile computetur, ut ejuſmodi negotiationis ſtatus dignoſcatur. Huic ſocietati addi etiam poterit emtio, & venditio majoris lucri incerti minori lucro certo annuo, quod conferenti pecuniam aſſignetur, & pendatur annuatim in rationem 4., vel 5. ducatorum in centum, ut in textu explicatur. Evoluto autem ſocietatis termino, mercator, ſi ex ratiociniis capitale nihil detrimenti ceperit, & negotiationem ipſe per ſe proſequi velit; ſoluto capitali cum lucro convento, poterit reliquias, quæ ex data mercis ſpecie ſuperſint, ſibi ſui capitalis, aut lucri nomine retinere, eo pretio ęſtimatas, quo illas per ſe deberet emere. Idipſum, ſi libuerit, poterit facere de creditis, quæ ſane pretio æſtimabilia ſunt, ac ſi ea juſto pretio ſoluto emiſ-

Digitized by Google

fraudes in his metuens, citius cautionem lucri, quam capitalis deſideret; modum honeſtiſſimum innuam, quo uno omnes ſimul mercatorum difficultates, ac ſolicitudines evaneſcent. Si enim certum lucrum ſtatuere liceat, tum mercatores, lucri periculo in ſe recepto, aliquid ex ipſa capitalis portione lucrari poterunt præter portionem induſtriæ, nec ratiocinia, ac negotia cogentur oſtendere, niſi eo forte caſu, quo capitale fortuito perierit, aut detrimentum aliquod ceperit. Huic autem capitalis periculo cum capitaliſta adhuc expoſitus ſit, & ita vere ſit negotiationis ſocius; ſatis hoc nomine juſtum illud lucrum percipiet. Modus autem honeſtiſſimus cavendi de lucro hic eſt, ſi capitaliſta incertum lucrum, quod capitalis, ſeu periculorum jure ſibi debetur, mercatori libere conſentienti certo minori pretio vendat, ita ut ducati ſeptem ex. gr. incerti, qui ex centum proventuri ſperantur pro capitalis quota, quatuor, vel quinque certis ducatis vendantur. Hanc autem incerti lucri ad capitalis quotam pertinentis venditionem, & cautionem, ſi juſto pretio fiat, licere probat S. Bernardinus Senenſis, rationemque ſatis idoneam affert, *quia totum lucrum, quod perventurum aſtimetur probabiliter, aliquem valorem habet* (ſicut proxima vindemia, captura piſcium &c) *qui poteſt aliquo pretio juſto æſtimari, & per conſequens etiam juſte vendi*. Neque contradicit Bulla Sixti V., quæ hanc cautionem lucri cum omnimoda cautione capitalis conjunctam, non autem ſeparatam damnat; unde eandem ſeparatam probavit quoque Romana Rota, quæ ſane Bullis Pontificiis nequaquam opponitur. Vide Cardinalem de Luca de Uſuris Diſc. 1. n. 7. & 19., ubi aliquot Rotæ Deciſiones in eandem tantum ſententiam certum lucrum probantes pro futuro incerto commemorat. Idem præterea in tract. de Societatibus Officiorum n. 5. *Compendii* ſimiles incerti lucri venditiones pro minori certo, in iiſdem ſocietatibus uſu receptas, & approbatas teſtatur, liquetque ex Romana Rota coram Ubaldo in Cencii Additionibus Decis. 65. n. 13., ubi id inductum jure traditur *ad evitandum laborem computorum*; ſeu, ut Cardinalis de Luca addit, ad fraudes, & contentiones declinandas, quod juſtam difficultatem faceſſebat. Tom. 2. ſer. 19. a. 1. c. 1.

60. Solum ad juſti lucri taxationem conſiderandum in primis eſt, quid

miſſet. Id autem non ad libitum, ſed omnino faciendum erit de illis creditis, vel quæ temere, & imprudenter contracta cum malis nominibus, a mercatore ex culpa præſtanda ſunt; vel quæ, omiſſa diſtincta eorum notatione, ſeparatim non fuerunt deſcripta, ita ut non conſtet ea ad ejuſmodi ſocietatem pertinere. Hac enim libera omiſſione credita id genus, quæ in aliis totius negotii libris indiſtincte notare voluit mercator, velut omnino certa in ſe recepiſſe, aut de iiſdem caviſſe intelligitur. Formula autem hujus contractus hæc poteſt aſſignari. *Titius N. numeravit Caio mercatori ducatos* 500. *in emtionem ſerici, vel olei, vel talium pannorum talis loci, quos idem Cajus ſocietatis nomine diligenter vendet. Lucrum autem, quod ex hac negotiatione Titio capitalis nomine proventurum ſperatur, idem Cajus emit ad rationem ducatorum* 4., *vel* 5. *in centum; & hos ſe in annos ſingulos ſoluturum promittit, quoad ſocietate finita, capitale, ſi nihil detrimenti in ipſa ſorte contigerit, integrum reſtituatur*. Ceteræ conditiones, quæ cuique caſui proſpiciant, & ad æqualitatem juſtitiæ omnia redigant, ab ipſis mercatoribus pro negotiorum varietate peritorum conſilio apponentur.

Digitized by Google

quid induſtria mercatoris mereatur, ne forte capitaliſtæ portionem juſto majorem exigant; nam ut ex L. *Si non fuerit, D. Pro Socio*, ſuperius advertimus, nonnullis negotiationibus plus confert induſtria, quam capitale, & eatenus pars lucri potior mercatoris induſtriæ, quam capitali reſpondere debet. Tum vero ſtatuta juſta capitaliſtę portione videndum quo certo pretio hoc lucrum futurum, ſed incertum æſtimetur, quidque pro illo tertius quidam rectus æſtimator, vel ipſe mercator, alii tertio in alia ſocietate ſolveret: neque enim pręter ejuſmodi ęſtimationem juſtam nimium exigendum eſt a capitaliſta, quod mercator, ne pecunia privetur, invitus conſentiat. Minus potius ille a mercatore exigat, pręſertim paupere, qui ſi negotium pręcipue minutum, vel laborioſum exercet, induſtria ejus plus ſocietati conferet, quam capitale, ita ut majori lucro dignus ſit.

Objectiones rejectæ.

61. Atqui, inquies, ſi ita ſocietas ineatur, quatuor ad ſummum, vel quinque in centum mercator capitaliſtæ reſpondebit, perinde ac præſtita etiam capitalis cautione reſpondere ſolet. Nihilne amplius capitalis periculum pariet? Num mercatores juſti æſtimatores ſint, ſi ſolum quatuor, vel quinque in cautione ſolius lucri tradant, quæ æque tradere ſolent in triplici contractu, cum de lucro, & capitali ſimul cavent, neſcio. Hoc unum ſcio, quod ſi nihil amplius capitaliſtæ obtinere lucri poſſint; hoc certe maxime obtinent, ut lucrum illud ducatorum quatuor, vel quinque pro quolibet centenario, ob periculi aleam juſtum ſit, quod in triplici contractu ſine periculi titulo eſt injuſtum. Num leve hoc lucrum videri poteſt? In hoc enim caſu lucrum illud verum lucrum eſt, quod accipere, & retinere juſte poſſunt; in alio vero caſu, cum ſine legitimo titulo ſit injuſtum, nec accipi, nec retineri juſte poteſt, & ideo verum lucrum non eſt. At, repones, ſi de ſola cautione lucri agendum ſit, aliquid ſupra quatuor, vel quinque capitaliſta ſibi ſolvendum credit, cum alias capitalis periculo ſubſit: mercator autem, ne quid amplius ſolvat, in ipſius quoque capitalis cautionem citius conſentit. Ad hęc primum ego fateor, ignorare me, num tantum ſit lucrum capitali contingens, quod futurum ſperatur, ut quatuor ducati, vel quinque certi juſtum totius lucri pretium in negotiis noſtrarum partium haberi non poſſint. Hoc peritorum æſtimationi, & judicio pro negotiorum etiam conditione remittendum eſt. Si vero ea certi pretii taxa juſta ſit, ut juſtam fere eſſe ex pluribus accepi, mercator ad majus certum lucrum cogendus non eſt. Quod ſi illud incerti lucri pretium, nulla certe pręſcriptione definitum, ex ſpe ejuſdem augeri poteſt non injuſte; mercator autem, ne quid augeri cogatur, & ut ſic lucretur magis, in utramque capitalis, & lucri cautionem citius conſenſit; id cum non ex ratione juſta, ſed ex nimia mercatoris cupiditate ortum habeat; in eo mercatori aſſentiendum non eſt, ne capitaliſta, omni & lucri, & capitalis periculo expers, omni juſto lucri titulo privetur. Potius ipſe mercatori cedat minori lucro certo, at juſto contentus cum capitalis periculo, quam idem certum lucrum ſine ullo periculo, ac juſto titulo injuſte percipiat.

62. At, inquies, ſi mercator in id vere conſentiat, quippe qui ſe adhuc lucraturum confidit; num hoc capitaliſtæ lucrum injuſtitiæ notari poterit? Reſpondeo, injuſtum eſſe quodcunque lucrum ſine juſto titulo provenit, quantumvis alius quivis conſentiat. Titulum autem juſtum in negotiatione præter induſtriam ſolum eſſe periculum vidimus, ſive capitalis, ſive lucri. Qui alterius tantum periculi cau-

Digitized by Google

cautionem quærit, juſtum titulum reliquum habet ex altero, quod ſuo periculo manet. Qui autem de utroque periculo ſibi cautum vult, nullum ſibi juſtum retinet titulum, unde juſtum poſſit lucrum exigere. Sine juſto titulo ſola donatio vindicare lucrum poſſet: at mercatoris conſenſus, qui opponitur, donatio non eſt, cum vel injuſte, ne privetur pecunia, in hoc lucrum tradendum conſentiat, ſi nullum eſſe capitaliſtæ titulum animadvertit; vel conſentiat per ignorantiam, ſi communi errore juſtum alium titulum ſupereſſe credit: quorum alterum ad veram donationem excludendam ſatis eſſe pluribus docuimus l. VI. de Jure divino, & naturali circa Uſuram c. 4., ubi hanc eandem objectionem a Sectariis uſurarum patronis pro uſura ipſa vindicanda allatam fuſius exploſimus.

Epilogus paragraphi.

63. *Igitur* ſi intentione honeſti lucri pecunia in negotiationem traditur, periculo alicui exponenda eſt: ſatiſque Chriſtiano viro fuerit vel de lucri ſolius, vel de ſolius capitalis periculis, negotiationi tamen extrinſecis, cautionem in ſocietate quærere. Hinc duos contractus tantum ſocietatis, & unicæ cautionis, non autem tres licere Cardinalis de Luca ex Romanis Rotis monuit. Hinc etiam (quod in re præſenti potiſſimum haberi debet) difficultatibus, tam ex mercatorum, quam ex capitaliſtarum parte ſuperius propoſitis, & commercii neceſſitatibus diuturniorem pecuniæ uſum in negotiationem ipſam vel inſtituendam, vel augendam flagitantibus, ſatis æque providetur.

De Uſuris diſc. 1. n. 7.

§. II.

Quibus honeſtis viis proſpici poſſit neceſſitatibus negotiationis, cum pecunia in ſolutionem debitorum breviori tempore quæritur. De cambiis realibus, & unde legitimum in iiſdem lucrum proveniat. De cambiis ſiccis, & eorum iniquitate.

64. Quod ſi de iis mercatorum neceſſitatibus ſit ſermo, quibus illi non in negotiationem aliquam, & lucrum, ſed in æris alieni ſolutionem, & ad impediendum graviſſimum damnum, pecuniam, breviori præſertim tempore, quærunt; non video in primis quis trino contractui locus eſſe poſſit. Ubi enim de ære alieno mere ſolvendo, & de damno vitando agitur, quis lucri ſocietatem ſperet? Quæ incerti lucri venditio pro minori pretio poteſt contrahi, quæve capitalis cautio remiſſione lucri comparari, ut triplici contractu fieri opus eſt? Inutilis ergo hic contractus ad hanc neceſſitatem, quæ major, & propria neceſſitas eſt: ad negotiationem enim, & lucrum faciendum nulla neceſſitas cogit. Hanc itaque in neceſſitatem, cui tres contractus non opitulantur, aliæ viæ licitæ vel per adverſarios aperiendæ, ac indicandæ ſunt. Neque vero depoſita ingerantur apud mercatores frequentia, quæ cum a Pio V. uſuræ damnata fuerint, uti eadem nos quoque uſuraria hac diſputatione demonſtraſſe credimus; vel per adverſarios defendi nequeunt, nec ſi contractum triplicem in illis implicitum adſtruant, qui etſi pluribus tum argumentis, tum auctoritatibus non eſſet uſurarius, ad neceſſitatem, de qua nunc agitur, nihil conferre poteſt.

Duæ viæ ſuccurrendi temporariis mercatorum neceſſitatibus.

65. Duas (*) ergo honeſti lucri vias indicabo. Prima, ſi pecunia ab iis quæratur, qui legitimo ceſſantis lucri, aut damni emergentis titulo aliquid ſupra ſortem percipere queunt. Ita ſi pecunia ab iis mercatoribus petatur, qui hac de cauſſa impediuntur ab honeſto lucro; hujus intercepti lucri reſtaurationem ſine uſura illi poſſunt exigere, titulo *ejus, quod intereſt*, vulgo *intereſſe*: qui titulus facilius in mercatoribus, quam in aliis occurrere ſolet, dum tamen ab iiſdem conditiones ſerventur expoſitæ Opuſculo I. c. 3. §. 2. Altera via ſunt cambia realia, ſi iiſdem contrahendis occaſio ſuppetat. Horum cambiorum *legitimum uſum* non ſola *publica utilitas*, ſed *neceſſitas* etiam induxiſſe traditur a Pio V. Solum videndum, ne pro realibus cambiis ſicca ineantur, quæ idem Pontifex eadem Conſtitutione uſuræ damnavit. Quare quid inter realia, & ſicca cambia interſit, & quo jure in illis, non autem in his lucrum proveniat, cognoſcendum eſt: cum præſertim vulgaris in hoc error plurimos occupet, qui realium cambio-

Bulla *In eam* anno 1571.

(*) Poſtquam textum ſcripſeram, duas alias vias detegere licuit. Itaque tertia, & omnibus accomodatior via, a perito mercatore indicata, nec minus honeſta, ſi ex juſtitiæ legibus ineatur, eſt hæc; ſi nimirum pecunia ſumatur in ſocietatem quarundam particularium mercium, quas mercator pecunia indigens habet in apotheca, vel negotio, ut vocant, vel pro quibus exacto termino pretium ſolvendum eſt. Inſtituatur vero ejuſmodi ſocietas in eam fere rationem, quam indicavi notatione ſubjecta num. 58. Tum enim merces certarum ſpecierum, quæ ſunt in apotheca, ſeu negotio mercatoris, ac in ejus jure, accepta pecunia tranſeunt in jus illius, qui pecuniam tradit, illique communicantur, ita ut ejus nomine veneant, ac legitimum illi lucrum pariant; quod expeditiori ratione a mercatore emi, & taxari poteſt ad rationem 4., vel 5. ducatorum in centum, modo ibidem indicato. Quartam viam invenit, & innuit alius mercator, at peculiarem pro iis caſibus, in quibus pecunia invenienda ſit, ut certæ merces minori pretio emantur numerata pecunia, quæ ad creditum maiori pretio emerentur. Pone caſum, quo certæ merces, ex. gr. Lugdunenſes, vel Germanicæ, ad creditum menſium ſex emendæ ſint ducatis 104., pecuniæ autem præſenti obtineantur ducatis 100., utraque vero taxa, intra latitudinem juſti pretii poſita, juſta præſumatur. Itaque ex modo emendi pecunia numerata, atque præſenti, ſpatio ſex menſium lucrum quatuor ducatorum in centum provenit. In hanc ergo rem mercator pecuniam ſumebat a Titio, ejuſque veluti nomine, ac jure eas merces præſenti pecunia emebat ducatis 100. Tum eaſdem merces ab eodem Titio emebat ad creditum menſium ſex ſolis ducatis 102., quos eidem exacto termino prompte ſolvebat. Ita duos ducatos in centum ſex menſium ſpatio lucrabatur Titius, non mutui, ſed veræ emtionis, & venditionis nomine; & duos item ducatos mercator quodammodo lucrabatur, quippe qui in eam emtionem ad creditum ſolvere debuiſſet ducatos 104. Hæc ſi ſincere fiant, & nihil aliunde obſit, quod me lateat, reprehendi non poſſe videntur. Alii mercatores alias forte vias honeſte lucrandi pro negotiorum varietate excogitabunt, quæ peritorum judicio ſubjectæ, et ad juſtitiæ libram exactæ, a mutuo fœnebri aberunt. Velint ſincere homines hoc vitium effugere; & volentibus, ac meditantibus, honeſta remedia in quibuſvis negotiatorum neceſſitatibus minime deerunt.

Digitized by Google

biorum lucrum ab uſurario nihil differre arbitrantes niſi ſolo nomine, haud ſatis intelligunt, cur non liceat uſura, ſi cambiorum realium lucrum liceat.

Realis cambii definitio.

66. *Reale cambium ad certa loca, vel nundinas illud dicitur, quo pecunia unius loci cum pecunia alterius loci per literas commutatur.* Hoc cambii genus (1) antiquis inauditum, ea neceſſitate inductum traditur, qua Judæi e Gallia expulſi, ut pecuniam apud amicos depoſitam in Longobardiam tute traducerent, harum literarum ſubſidio uſi ſunt. Id autem cum maxime conducere deprehenſum eſſet ad vitandos ſumtus traducendæ pecuniæ, necnon pericula itinerum, præſertim maritima, vel bellica, & ſimul expeditior eſſet ſolutionum via, ita ut ſine traductione pecuniæ quamplurima credita, & debita inter mercatores diverſorum locorum faciliime commutentur, & extinguantur; harum literarum uſus a mercatoribus arreptus ſubinde, & propagatus fuit. Cum porro in nundinis frequentiores e multis regionibus concurrant mercatores, ubi quamplurima credita, & debita commutare facillimum ſit; præter platearum cambia fuerunt inducta etiam nundinalia, immo quædam etiam cambiorum nundinæ inſtitutæ, in quibus de ſolis cambiis ageretur. Licet autem hæc cambia lucrum fere alteri parti afferant; utrique tamen parti utilia ſunt. Qui enim pecuniam alicubi ex credito debet accipere, ſine harum literarum commodo eam inde ad ſe transferre deberet: qui autem pecuniam alicui abſenti debet ſolvere, eò illam deberet traducere. Cambii autem lucrum, quod alteri cedit, & ſolvitur, exiguum fere eſt, & (ſi monopolia, vel alias malas artes excipias) nunquam certe tantum, quantum in eos traductionis ſumtus conferendum eſſet. Hac præterea via multi mercatores temporariis pecuniæ neceſſitatibus promte, & facile conſulunt. Qui enim præſenti eget pecunia, ſi creditum alicubi habeat; poteſt per cambii literas ad eum locum, debitam ſibi pecuniæ ſolutionem alicui pecunioſo mercatori concedere, qui pecuniam huic credito reſpondentem enumeret.

Jacob. Savarii Le parfait negociant part. 1. l. 3. c. 3. p. 137.

67. Cum vero his, qui pecuniam præſentem pro abſenti tradunt, lucrum ſæpius cedat, de honeſtate hujus lucri dubitatum a nonnullis fuit. Dubitationem quidem ſuſtulit Romana Sedes, cum horum cambiorum uſum probavit. At cum ſimul cautiones quaſdam propoſuerit, ne hoc in contractu fœnoris detur occaſio; fœnus in hiſce cambiis poſſe nonnunquam deliteſcere ſimul oſtendit. Quando vero fœnus hoc in contractu involvatur, vel abſit ut cognoſcamus, & eadem via detegamus juſtam hujus lucri cauſſam, cautiones præſcriptas obſervare maxime juverit. Igitur Pius IV. Conſt. 154. damnans ſicca cambia, ſeu verius uſuraria mutua cambii nomine inita, lucrum quoddam congruum approbavit, quod *mercatoribus realibus, qui vera cambia realia, & non ſicca faciant, de jure, & ſtylo mercantili vere debetur.* Pius autem V. Conſt. *In eam pro noſtro* de cambiis expreſſe edita V. Kal. Februar. an. 1571., horum realium cambiorum rationem, ac legitimum modum præſcribens, primo exigit, ut cambii literæ ad certum locum, vel ad nundinas vere mittantur, ibidemque vere imple-

Conſtitutiones Pontificiæ circa cambia.

(1) Quædam tamen veſtigia hujus cambii per literas apparent L. 16. D. *De Senatuconſulto Macedon.*, ubi ſcribitur filiumfamilias ex mandato patris accepta pecunia *ad patrem literas miſiſſe, ut eam pecuniam in provincia ſolveret.*

antur, atque ſolvantur; ſecus enim fictum, & ſiccum, ac uſurarium cambium accuſat, & damnat. *Primum igitur damnamus ea omnia cambia, quæ ficta nominantur, & ita confinguntur, ut contrahentes ad certas nundinas, ſeu ad alia loca cambia celebrare ſimulent, ad quæ loca ii, qui pecuniam recipiunt, literas quidem ſuas cambii tradunt, ſed non mittuntur; vel ita mittuntur, ut tranſacto tempore unde proceſſerant inanes referantur; aut etiam nullis hujuſmodi literis traditis, pecunia ibi denique cum intereſſe repoſcitur, ubi contractus fuerat celebratus: nam inter dantes, & recipientes uſque a principio ita convenerat, vel certe talis intentio erat, nec quiſquam eſt, qui in nundinis, aut locis ſupradictis hujuſmodi literis receptis ſolutionem faciat.* Deinde in ipſis realibus cambiis certum intereſſe, vel lucrum ab initio, aut alias præſtitui vetans, mandat, ut ad primos terminos, ſi cambium ad certum locum ſit, vel ad primas nundinas, ſi pro nundinis, literæ cambii tradantur, ne ſi ad ſecundas, aut tertias nundinas, vel terminos prorogetur ſolutio lucri cauſſa, fœnus committatur. Hæc colligere licet ex verbis ſequentibus: *Sed & in ipſis cambiis, quæ realia appellantur, interdum (ut ad nos perfertur) campſores præſtitutum ſolutionis terminum, lucro ex tacita, vel expreſſa conventione recepto, ſeu etiam tantummodo promiſſo, differunt. Quæ omnia nos uſuraria eſſe declaramus, & ne fiant diſtrictius prohibemus. Porro ad tollendas quoque in cambiis, quantum cum Deo poſſumus, occaſiones peccandi, fraudeſque fœneratorum, ſtatuimus, ne deinceps quiſquam audeat, ſive a principio, ſive alias, certum, & determinatum intereſſe, etiam in caſum non ſolutionis, paciſci, neque realia cambia aliter, quam pro primis nundinis, ubi illæ celebrantur, ubi vero non celebrantur, pro primis terminis juxta receptum locorum uſum exercere, abuſu illo prorſus rejecto, cambia pro ſecundis, & deinceps nundinis, ſive terminis exercendi.* Tandem in ipſis terminis ſolutionum præfigendis non dilationem temporis, ſed locorum diſtantiam, aut vicinitatem ſpectandam monet: *Cavendum autem erit in terminis, ut ratio habeatur longinquitatis, & vicinitatis locorum, in quibus ſolutio deſtinatur, ne dum longiores præfiguntur, quam loca deſtinata ſolutionis deſiderant, fœnerandi detur occaſio.* Ex his autem omnibus tria maxime animadvertenda mihi videntur, quæ ad legitimum cambiorum lucrum ab illegitimo diſcernendum manuducent.

68. Cum in realibus cambiis pecunia præſens tradatur pro abſenti æſtimata pretio cambiorum currenti; abſens autem pecunia non ſtatim numeretur, ſed numeranda ſit ſive in platea, ſive in nundinis, cum uſitatum plateæ, vel nundinarum tempus adveniet; ad ſolutionem literarum cambii, & dilatum tempus, & locus diſtans ſpectari queunt. Primo igitur. *Temporis dilatio in cambiis nihili facienda eſt, & ſi quid eo nomine perciperetur lucri, uſura non vacaret.* Hoc palam innuit Pius V., cum uſuræ damnavit realia cambia, *ſi præſtitutus ſolutionis terminus, lucro ex tacita, vel expreſſa conventione recepto, ſeu etiam tantummodo promiſſo, differatur*; & cum ſimiliter *fœnerandi occaſionem dari* affirmarit, ſi, ut majus lucrum ex majori dilatione proveniat, literę pro ſecundis, aut tertiis nundinis, vel terminis tradantur, aut longiores præfigantur termini, quam deſtinata loca deſiderant: quibus ſane non illud per ſe vetitum eſt, ne induciæ, aut dilatio duarum, aut trium nundinarum, vel terminorum gratuito, ac liberaliter concedatur (hoc enim inſigne beneficium eſſet) ſed ne hoc dilationis nomine majus pretium cambii taxetur, quam quod primi

Duo in realibus cambiis obſervanda, tempus ſolutionis, & loci diſtantia.

Si a dilatione temporis pretium augeatur in cambiis realibus, uſura erit.

ter-

Digitized by Google

termini, aut primæ nundinæ ferunt, quod eſſet uſura. Ratio etiam Theologica eſt evidens. Si enim ſolum tempus ſpectetur, præſentis pecuniæ traditio pro futura mutuum eſt, ejuſdem plane generis, ac ſi præſens pecunia pro futura eodem in loco ſolvenda traderetur, quod omnes mutuum fatentur. Exinde igitur lucrari (ſi nihil aliunde interſit) eſt lucrari ex mutuo, ac proinde uſura; unde damnata fuit ab Innocentio XI. Propoſitio 41., qua ex ſolutione præſentis pecuniæ pro futura, lucrum abſque uſura poſſe proficiſci tradebatur. Hæc item prima propoſitio conſtans, & communis eſt inter omnes, qui de realibus cambiis ſcripſere. Vide Conradum de Sumenbart quæſt. 99. de Contractibus, ubi antiquiores allegat; & Leotardum quæſt. 25. de Uſuris, ubi recentiorum etiam conſenſus exprimitur. Conſentit etiam Romana Rota, & omnes Romani Juriſconſulti, ut apud Cardinalem de Luca videre licet. Immo & ipſi mercatores, qui de cambiis Catholice ſcripſere, hoc ultro confeſſi ſunt. Vide inter ceteros Joannem Dominicum Peri in opere Italice inſcripto *Il negoziante* Part. 1. c. 10. Hinc ſi ratione temporis longioris mercatores maius exigant pretium, & lucrum cambii, quam ſi brevius eſſet tempus ſolutioni præfixum, uſuræ reos teſtatur Cardinalis Cajetanus Opuſculo de Cambiis c. 7., & Sotus l. 6. de juſtitia, & jure quæſt. 12. a. 2., omnem dilationem temporis in taxando cambiorum pretio penitus ſejungendam monens, ne uſura incurratur. hanc opportunam regulam ante oculos tenendam propoſuit, ut ſcilicet de cambiorum pretio perinde decernatur, omni dilationis, ac temporis conſideratione ſecluſa, ac ſi quo die pecunia præſens in uno loco traditur, eodem in alio reciperetur. Quidquid enim temporis hoc in contractu intervenerit, non pro dilatione per ſe concedenda requiritur, ſed pro neceſſitate ipſius cambii, ut ſatis æquum tempus detur ad literas mittendas, acceptandaſque, ad parandam pecuniam, & ad ſolutionem perficiendam. Hinc quo magis loca cambii diſtant, longiores termini cambiis præfixi ſunt: idem autem tempus eſt præſtitutum in nundinalibus cambiis, quia nundinæ non tam pro vicinis, quam pro remotioribus locis inſtitutæ, æquum pro omnibus tempus deſiderant.

Tractat. de Cambiis.

69. Secundo. *Loci diſtantia juſtum ex ſe pretium meretur in cambiis pro ratione ſumtuum traductionis pecuniæ, nec non pro æſtimatione periculorum, & induſtriæ; & eatenus aliquid exigi juſte poſſet, ſi certa cambiorum ratio inducta non fuiſſet. Hac autem inducta, nihil lucri ſupra pretium currens cambii exigi citra injuſtitiam poteſt.* Pius V. in allegata Bulla, in qua nullam dilati temporis rationem habendam ſanxit, aliquam *vicinitatis, aut longinquitatis locorum*, ad quæ literæ cambii traduntur, rationem habuit illis verbis: *Curandum autem erit in terminis, ut ratio habeatur longinquitatis, & vicinitatis locorum.* Etſi vero hujus longinquitatis, aut vicinitatis rationem haberi jubeat, ne longiores cambiorum localium termini cum uſuræ periculo præſtituantur, non vero ut lucrum, vel augmentum aliquod diſtantiæ proportionatum exigatur; negari tamen nequit, quin hæc diſtantia juſtum per ſe afferat augendi pretii titulum, qui ab omni uſura alieniſſimus eſt. Si enim in permutanda pecunia præſenti cum abſente (quod fit in cambiis) una locorum diſtantia a dilatione temporis ſeparetur; qui pecuniam præſentem pro abſente tradit, mutuum non tradit, quod a dilato tempore, non autem a loco diſtanti pendet: ubi autem mutuum temporis non reſpicitur, nec uſura eſſe poteſt. In mera autem locorum diſtantia, uti a dilatione temporis

Loci diſtantia quatenus æſtimabilis in iiſdem cambiis.

ſejun-

ſejuncta eſt, juſtam per ſe acceſſionis, ac lucri cauſſam invenies in traductionis ſumtibus, periculis, induſtria; quæ cum pretio æſtimabilia ſint, ille qui præſentem pecuniam tradit pro abſenti ſibi numeranda, atque reſtituenda in loco diſtanti, horum omnium onus in ſe ſuſcipit, juſtumque horum omnium pretium per ſe exigere poteſt. Sic qui centum modios tritici in urbe cuipiam tradit pro totidem modiis ruri percipiendis, ſi juſtum vecturæ pretium efflagitet, condemnari non poterit. In cambiis localibus, ut vocant, quibus pecunia unius loci cuipiam traditur, ut eandem alio loco in petentis gratiam numerandam curet, id æquiſſimum eſt ex ipſo naturali jure; unde L. 12. D. *Depoſiti, vel contra*, palam decernitur: *Si in Aſia depoſitum fuerit, ut Romæ reddatur; videtur id actum, ut non impenſa ejus id fiat, apud quem depoſitum ſit, ſed ejus qui depoſuit*. Idem vero eſt per ſe in iis cambiis, quibus præſens pecunia pro abſenti in alterius gratiam ſolvitur; qui enim pręſentem ſolvit pro abſenti, hujus traductionem, & expenſas in ſe recipit, ut exinde ſibi debita præſens reſtitutio fiat.

70. Dixi *per ſe*, quod ea conditione explicatur, quam in propoſitione adjecimus: *Si certa cambiorum ratio inducta non fuiſſet*. Si enim hęc cambiorum via non pateret, ſine facili, & uſitato ſubſidio literarum cambii, qui vel pręſentem pecuniam ſolvunt pro abſenti, vel pręſentem accipiunt, ut tantundem alibi ſolvant, fere deberent pecuniam traducere; ac proinde vi hujus contractus traductionis, periculorum, & induſtrię onus, & obligationem obirent, pro quibus certum, & juſtum pretium eſſet ſolvendum. Quod ſi quis forte peculiari induſtria, aut ſorte uſus, eos ſumtus poſſet declinare, quia ex. gr. creditum in cambii loco procuraret, aut forte haberet in ſolutionem pecunię convertendum; id non vi ejus contractus, nec ex cambiorum nondum inductorum ratione, ſed peculiaris ejus induſtrię, ac ſortis proprium aliis prodeſſe non deberet; uti ſi quis equi vecturam rogatus eo tempore, quo alias equum ſine lucro, ſeu etiam propriis ſumtibus in eundem locum volebat transmittere, poſſet adhuc vecturę pretium exigere; & ſimiliter qui centum modios tritici cuipiam roganti tradit in urbe pro totidem ruri extantibus, poſſet pretium vecturę in urbe flagitare, etſi forte peculiari induſtria, aut ſorte uſus, eos ipſos ruri ſine ullis ſumtibus venderet. Ratio eſt manifeſta. Qui enim alium rogat aliquid ſumtuoſum per ſe, ac æſtimabile pretio, debet per ſe hoc pretium ſolvere, licet alius ſive peculiari induſtria, ſive ſorte eos ſumtus declinet: propria enim ſors, vel induſtria peculiaris, ſibi tantum, non vero aliis prodeſſe debet. Ita ſane Cardinalis de Luca diſc. 27. de cambiis honeſtam localis, uti appellant, cambii acceſſionem ea de cauſſa vindicans, *mentre ſolo è mercede della ſpeſa, e pericolo per la vettura, e traſporto, che s' ha da un luogo all' altro*, de peculiari induſtria, qua hi ſumtus vitentur, & acceſſio illa lucro cedat, addit: *E ſe bene Sempronio non manda la medeſima moneta, in maniera che effettivamente non patiſca la ſpeſa della vettura, nè ſoggiaccia al pericolo di eſſer rubata per la ſtrada, ma procura, che da un ſuo corriſpondente in Macerata con danaro di eſſo Sempronio, o dell' amico ſi paghino a Tizio li ſuoi mille ſcudi, nondimeno ciò non importa, eſſendo effetto della ſua induſtria, non importando ciò a Tizio coſa alcuna*. Idipſum peræque valet in cambiis, quibus pro pręſenti, quę ſolvitur pecunia, abſens recipitur, & peculiari ſorte, vel induſtria nequaquam traducitur.

71. Quando autem ea cambiorum ratio inducta eſt, quę non ex peculiari hujus, aut illius mercatoris

toris ſorte, vel induſtria, ſed ex uſitato ipſorum cambiorum curſu, plura credita, & debita variorum locorum ſine traductione pecunię per literas commutantur, eorundemque cambiorum pretium certo quodam platearum, vel nundinarum modo conſtitui ſolet; hoc pretium, ſi fraudes, & monopolia abſint a Pio V. damnata, veluti legitimum habendum eſt, ita ut ſupra illud nihil de lucro ſtipulari in cambiis liceat. Hinc Pius V. jure vetuit, *ne quiſquam audeat. ſive a principio, ſive alias, certum, & determinatum intereſſe etiam in caſum non ſolutionis paciſci*. Ipſę civiles leges idipſum prohibent, unde in Ordinatione Regis Chriſtianiſſimi art. 3. tit. 6. decernitur: *Que le prix de Change ſera reglé ſuivant le cours du lieu, ou la lettre ſera tirée, ou egard a celui, où la remiſe ſera faite*. Iidem campſorię rei peritiſſimi, qui diſertiſſimas de cambiorum praxi diſputationes ediderunt, hoc idem teſtantur, ut videre eſt ex Jacobo Savary tom. 1. p. 264. *Le parfait negociant* l. 3. c. 11., ubi etiam monet, *que les Negocians ne doivent point ſe prevaloir de l' ignorance des perſonnes, qui ne ſont point de profeſſion mercantile, au quelles ils fourniſſent des Lettres de Change, et qui n' ont aucune conoiſſance des Changes pour leur faire payer deux ou trois pour cent plus qu' il ne vaut ſur la place: parce que ce ſeroit une uſure tres-grande ſujette a reſtitution, ſi ceux a profit de qui ſont tirées les lettres s' en plaignoient, & que cela fût prouvé en Juſtice*. Similiter Joannes Dominicus Peri *Il Negoziante* part. 1. c. 19. *Illecito ſarà il cambio, ſe il prezzo, al quale ſara ſtata fatta la contazione, ſarà meno del corſo comune* (quod minus ſolvitur, lucro cedit) *ed almanco ſarà tenuto alla reſtituzione del danno*. Cum nihilominus in cambiis lucrum alteri parti fere proveniat, quo id jure, et unde ſit jam videndum eſt.

72. Tertio. *In cambiis, ubi pretium currens citra fraudem ſervetur, cum juſta commutatio fiat moneta unius loci cum moneta alterius pro aqua æſtimatione ejus temporis: vi ipſius contractus nullum lucrum percipitur; & ſi quid in altera moneta videatur excedere, non lucrum, ſed pretium eſt ſumtuum, periculi, & induſtriæ traductionis, quæ vi ejuſdem contractus pro eo tempore neceſſaria ſunt. Ut autem lucrum proveniat, non vi ejus contractus, ſed ex extrinſecis circumſtantiis, & conſequenti eventu, aut peculiari induſtria pendet; quæ nonnunquam ſine lucro, aliquando etiam cum damno ſuccedunt. Nihil per ſe pendet a dilata ſolutione, atque tempore, ut in ſiccis cambiis accidit, quæ proinde lucrum fœneratitium continent*. Cum cambia currenti pretio, quod ipſius cambii tempore obtinet, contrahuntur, uti debet ex num. 70., pręſens pecunia cum abſenti, juſto et ęquali, uti tum æſtimatur, pretio commutatur, ac proinde vi hujus contractus, qui æqualitatem inter datum, et acceptum ex præſenti æſtimatione, atque curſu ſervat, nullum lucrum provenit: ubi autem nullum eſt lucrum, nec uſura eſt. Ut lucrum ex cambiis redeat, non ſufficit pręſens contractus; ſed novum cambium requiritur, quo præſentis cambii pretium ſit mutatum in melius, et pecunia abſens cambio emta, ſolutionis tempore in alio cambio augmentum pretii capiat. Si enim idem pretium immobile ſtet, nihil lucri cedet: cedet autem damnum pro lucro, ſi pretium ejus præ augmento capiendo decreverit, ut aliquando fit, et fieri poteſt. Id non a præſenti cambio, quod æquali pretio contractum fuit nulla pactione, aut intentione lucri, ſed a futuris incertis cambiorum circumſtantiis pendet, quæ variæ, et ancipites ſunt. Hinc *Cambia* (ut audivimus ex Romana Rota coram Lancelloto) *non ſunt uniformia, cum modo plus, modo minus*.

Lucrum in cambiis ab eventu incerto pendet

nus, & quandoque nihil lucri, & quandoque damnum afferant. Et in eandem ſententiam Jacobus Savary tom. 1. l. 3. c. 3. pag. 138. *Le profit ou interet que l' on reſoit, & que l' on donne en tirant ou remettant des Lettres de Change pour un lieu, n' eſt jamais égal, tantôt il eſt haut, tantôt il eſt bas, quelque fois il y a perdre, & quelque fois a gagner, & quelque fois il eſt au pair; c' eſt a dire qu' il n' y a rien a perdre ni a gagner entre les cambiſtes: ainſi c' eſt un changement perpetuel, qui ſe rencontre dans le Commerce des Lettres de Change*. Licet ergo fere lucrum redeat ex cambio in eorum gratiam, qui præſentem pecuniam ſolvunt pro abſenti; non tamen ex illo primo contractu cambii, ſed ex eventu redit, cum poterat (1) non redire, vel in damnum converti. Quod autem ita eventuale lucrum eſt, et non ex ipſo contractu cambii, quis uſuræ damnare poſſit? Ipſo cambii contractu, præſenti pecunia abſens juſto pretio currenti emitur, quanti in cambii loco valet: unde in voto Andreæ Cordubę Rotæ Auditoris diei 10. Jan. an. 1602., cui acceſſit approbatio Clementis VIII., ſcriptum legimus apud Cardinalem de Luca de cambiis diſc. 21. n. 5. ſimilem *appretiationem monetæ in contractu* (cambii) *conventam eſſe juſtam, quia talis pro tempore fuit uſus, & valor, qui in appretiatione monetæ attenditur*. Si poſtea ſolutionis tempore pretium ejus augetur, & ita lucrum cedit; perinde eſt, ac ſi quis argenteas moneias eo tempore emiſſet, quo vilius erat earum pretium; & ex eventu, dum in manibus ejus ſunt, ipſarum pretium adaugeatur; quod nemo uſuræ, aut alicui injuſtitiæ tribuet: jure enim domino pretium ſuæ pecuniæ augetur cum lucro, uti eidem decreſcit cum damno, ſi pretium forte decreſcat.

Quatenus a locorum diſtantia, non autem a tempore, cambiorum pretium augeatur.

73. Quod ſi conſideremus ipſas extrinſecas circumſtantias, & cauſſas, unde hoc pretium augeatur, & lucrum proveniat, id multo magis liquebit. Ea enim ratio non a tempore, ſed a locorum diſtantia, & ex ſumtuum æſtimatione originem ducit. Aliæ quædam nonnunquam incidunt cauſſæ, quæ aliunde hoc cambiorum pretium in altera moneta augent, in altera minuunt, ſi ex. gr. inferioris qualitatis, aut diminutioris ponderis, aut minoris taxæ ſit moneta in uno, quam in altero loco, & ſi quæ ſunt alia. Sed hæ cauſſę peculiares nonnullorum cambiorum ſunt, & cum ad æquandam monetarum æſtimationem pertineant, nullum per ſe lucrum afferunt. Quæ autem a locorum diſtantia majori, vel minori ducitur, omnium cambiorum communis eſt, & a traductionis ſumtibus, qui pro variis circumſtantiis varie æſtimantur, cambiorum pretium immutat: unde aliis lucrum, ſicut & aliis damnum identidem redit. Nulla hic temporis vis eſt, niſi per accidens, quatenus temporis conditio alias, atque alias circumſtantias, diverſam ęſtimationem ſumtuum afferentes, inducere poteſt: ipſa autem æſtimatio diverſa cum conſequenti lucro, non a tempore, ſed a circumſtantiis diverſis, quæ traductionis ſumtus proſpiciunt, tota proficiſcitur.

74. De circumſtantiis diverſis ad lucrum requiſitis indubia res eſt. Ut enim lucrum ex cambiis proveniat, duo requiruntur. Primo pecunia præſens commutanda eſt cum abſente, eo tempore, quo præſens pecu-

(1) *Valet damnum in cambiis in pretii taxatione contingens, non ſecus ac lucrum, licet eadem lucrum reddere plerumque conſueverint .... adeoque juſtitia cambiorum ex illa* (taxatione) *conſurgit*. Ita Romana Rota coram Veroſpio 28. Januarii 1664. part. 14. Rec. Deciſ. 126. n. 7.

Digitized by Google

pecunia, ex. gr. Veneta, proportione habita, pluris æſtimatur, quam Romana abſens, ita ut utriuſque monetæ calculo ad eandem proportionem redacto, (quod ſemper in ſequentibus intelligendum eſt,) ducati centum Venetiis ſoluti, ducatis 101. Romæ ſolvendis æſtimentur. Deinde vero ſucceſſu temporis Romanæ pecuniæ hoc cambio acquiſitæ pretium augeatur oportet, ita ut ducati Romani 101. totidem Venetos, aut eo amplius cambio referant: ſic enim ſaltem Venetus ducatus ſolutionis tempore lucro cedat, ſecus autem pro ducatis Romanis 101. nonniſi centum Veneti ſine ullo lucro redirent; & ſi forte Romanorum ducatorum pretium ſolutionis tempore magis minuatur, ut nonnunquam in cambiis accidit, pro lucro damnum contingeret. Ejus autem variæ æſtimationis, quæ lucrum afferat, ratio ex mutatis primi, & ſecundi temporis circumſtantiis dimanat. Primo enim tempore plures Venetam præſentem pecuniam quærebant, pauciores Romanam: altero vero tempore vel par erat Romanæ, & Venetæ pecuniæ inquiſitio, vel Romanæ major, quam Venetæ: ex multitudine enim, vel paucitate inquirentium, ſicut omnium mercium, ita & certi generis monetarum pretium augeri, vel minui ſolet.

75. Id autem a diſtantia locorum quatenus proficiſcatur intelligere erit, ſi præmittamus conſiderationem practicam, quam Jacobus Savary ex ipſa experientia opportune ſuppeditat. Si in platea Veneta alii mercatores egerent ducatis mille millibus Romæ ſolvendis, pro totidem Venetis, qui in præſentiarum eodem pretio currere præſumantur; alii vero eodem tempore pro mille millibus ſibi debitis Romæ, egerent totidem Venetis ſcutis, quæ ſolverentur Venetiis; monetæ Venetæ, & Romanæ pretium hoc in cambio æquale eſſet, ob parem monetę quantitatem, quam alii Romæ, alii Venetiis ſolvendam cambio quęrerent. E contrario vero ſi in eadem platea Veneta opus quidem aliis eſſet mille millibus Romanæ monetæ Romæ ſolvendis; at aliis ſolum opus eſſet quingentis millibus monetæ Venetæ ſolvendis in Venetiarum Urbe pro totidem Romanis abſentibus: cum major Romanæ, quam Venetæ monetæ inquiſitio eſſet, Romanæ monetæ cambio quæſitæ pretium augeretur, Venetæ vero minueretur: ſecus autem ſi major Venetæ pecuniæ ſumma, quam Romanæ, eodem loco, & tempore quæreretur. His obſervatis, ac certis ex praxi, quid, rogo, hujus rei cauſſa eſt? Non temporis quidem conſideratio, qua præſens pecunia Venetiis ſtatim ſolvitur, abſentis vero ſolutio aliquandiu differtur. Hęc enim ratio ſi valeret, ſemper pecunia pręſens Venetiis magis, quam abſens Romana ęſtimanda eſſet; cum tamen in prima hypotheſi ęquale ſit utriuſque pretium in cambio, in altera autem hypotheſi cum pecunię Romanę abſentis major copia quęratur, quam Venetæ præſentis, Romanæ pecuniæ abſentis pretium augeatur; & hinc eorum quoque damnum poſſe exſurgere, qui pecuniam pręſentem pro abſenti commutant. Igitur ſi non ratione temporis hoc varium cambiorum pretium per ſe conſtituitur, ſola reſtat locorum diſtantia, unde id derivari queat. Eatenus vero a ſola locorum diſtantia proficiſci intelligitur, quatenus in prima hypotheſi, cum ęqualis hinc, & hinc, Venetiis, & Romę, ſit crediti, ac debiti ſumma, quę eodem tempore cambio peræque requiritur; nullis traductionis ſumtibus opus eſt, ut Romanę, ac Venetę monetę ſolutio cambio utrinque quęſita perficiatur; ac proinde ęquale, ac ſine acceſſione, vel damno utriuſque monetę pretium eſt. In altera autem hypotheſi cum ad ſolutionem cam-

Le Parfait Negoc. tom. 1. l. 1. c. 3 pag. 138.

Cur in cambiis augeatur pretium, vel minuatur.

cambio conſtitutam vere exequendam ſolum quingenta millia poſſint ſine traductione commutari, alia vero quingenta millia, quę cambio ęquivalenti carent, Romam, aut Venetias (ſi aliud aliunde remedium non ſuppetat) vi hujus contractus transferenda ſint; hujus traductionis ſumtus ne uni magis, quam alii imponantur, inter (1) eos diſpertiuntur, qui quingenta illa millia ſuis ſumtibus deberent traducere, & ita pretium cambii alterius monetę in horum damnum augetur, ſeu tantum additur pecunię transferendę, quantum in eos traductionis ſumtus conferendum eſſet. Et jure quidem. Qui enim hiſce in circumſtantiis rariorem ex. gr. Venetam monetam pręſentem cambio tradunt pro Romana abſenti, cujus quingentà millia in ſolutum Venetias trāſferenda eſſent: traductionis ſumtus, pericula, induſtriam, quę in hac hypotheſi pro quingentis illis millibus actu eſſent ſubeunda, vi hujus contractus in ſe ſuſcipiunt: quidquid autem augmenti, ex. gr. unum in centum, Romanę monetę additur pro centum Venetis, juſta eſt eorum ſumtuum compenſatio, pretiumque periculi, & induſtrię in ea traductione ſubeundę, non autem proprium lucrum, & uſura multo minus; ut Conradus Sumenbart optime notavit de Contract. q. 99. concluſ. 4. Enimvero ſi hujus temporis circumſtantię deinceps non mutentur, ut fieri poteſt; vi ejuſdem contractus, vel quingenta illa millia Roma erunt Venetias deferenda ab iis, qui Venetam pecuniam dederunt, ac proinde ab univerſa illa contrahentium multitudine regerendum erit vecturę pretium, quod ratione ſumtuum additum fuit; vel certe aliud recambium eodem pretio iiſdem de cauſſis erit quęrendum, ut Romana pecunia Venetiis in ſolutum recipiatur: utrumque ſine lucro. Vi igitur ipſius contractus cambii, quod ex currentibus circumſtantiis juſto pretio ęſtimatum fuit, nihil per ſe lucratur qui pręſentem pecuniam commodiori cambio ſolvit pro abſenti.

76. Ut autem lucretur, ex aliis circumſtantiis contractui extrinſecis, & ab eventu conſequenti pendet, ſi nimirum curſu temporis cambii pretium mutetur, & quę vilioris pretii erat pecunia ob paucitatem inquirentium, & traductionis ſumtus, multiplicatis ſubinde inquirentibus, qui illam in loco ſolutionis velint, traducenda amplius non ſit. & ita ex inquirentium copia rarior. & majoris pretii fiat in eorum commodum, qui eandem, dum vilior eſſet, commodiori pretio jam acquiſierant. Sic enim acceptum traductionis pretium, quod in primis circumſtantiis juſte additum fuit, lucro cedit ex eventu, cum circumſtantiis mutatis traductione opus non eſt, & eatenus recambium, quo data pecunia recipitur, utiliori pretio contrahitur. Nonnunquam etiam induſtria in lucrum confert, ſi immutatis adhuc circumſtantiis ejuſdem cambii. aut in neceſſitate aliquorum transferendę pecunię, nonnulli peculiari induſtria utentes, ne vel traductionis ſumtus ſubeant, vel recambium ſine lucro contrahant, aliam commodioris cambii viam ingrediuntur in alia loca. unde lucrum percipiendum ſperent, quod ab

(1) Hinc minus fere in cambiis ſolvitur, quam ſi traducenda eſſet pecunia: fere enim non tota pecunia transferenda eſt, & ejus quotę transferendę pretium inter plures diſtribuitur. Niſi monopolia, & fraudes adſint, ſummum etiam cambiorum augmentum (quod contingit, ubi ex altera parte tota pecunia traducenda ſit) hanc traductionis, periculi, & induſtriæ ęſtimationem non excedere invenietur.

Digitized by Google

ab eventu pariter, ac circumſtantiis incertis pendebit. Omnis autem circumſtantiarum, & pretii variatio in cambiis a diſtantia locorum, & traductionis ſumtibus ducta, juſtum efficit cambiorum pretium; quod licet inęquale videatur, pro ratione tamen, ac æſtimatione eorundem ſumtuum, quorum pretium ex concurrentibus circumſtantiis alteri monetę jure additur, ęquale, & juſtum eſt, ut n. 70. diximus. Lucrum autem, ſi quod deinceps percipitur, cum non ex contractu ipſo cambii, nec, ut inquit Card. de Luca (1) *ex pacto partium* proficiſcatur, ſed ex conſequenti eventu, vel etiam induſtria, contractum ipſum vitiare non poteſt, ſors enim, vel induſtria conſequens, cuicunque proſit, ſine vitio, ac uſura eſt.

De cambiis ſiccis.

77. Hęc legitima realium cambiorum defenſio. Nihil tale ſiccis cambiis competit, quę cum eodem loco vere conſummentur, nullam loci, & diſtantię, nullam traductionis, ac ſumtuum, nullam eventus, aut legitimę induſtrię hactenus indicatę, ſed ſolam temporis, ac dilatę ſolutionis rationem ferunt, quę mutui propria, ut vidimus, (ſi nihil aliunde interſit) uſurarii tantum lucri capax eſt; unde ſicca cambia fœnoris jure damnata a realibus maxime diſtant. Prędare P. Salas de Cambiis dub. 14. *Cum in ejuſmodi cambio nulla ſit formalis, vel virtualis pecuniæ tranſmiſſio de loco ad locum, nec vera relevatio ejus, qui ibi pecuniam habeat, a tranſmiſſione illius in locum, ubi cambium accipitur: immo neque ſit permutatio pecuniæ unius loci pro pecunia in alio, ſed ſit commutatio pecuniæ in hoc loco pro alia cum augmento in eodem loco ratione dilationis; utique in eo cambio non aliud cernitur, quam mutuum cum incremento pro expectata ſolutione, quod eſt uſurarium.* Similiter Cardinalis de Lugo diſp. 28. ſect. 3. n. 53. hoc idem inter ſicca cambia, quæ eodem, & realia, quæ diverſis in locis traditionem, et ſolutionem pecuniæ exigunt, diſcrimen ponit, *quia in cambio locali intervenit virtualis trajectio, & aſſecuratio pecuniæ, quæ ſunt actiones diſtinctæ a pecunia, & digna pretio; & hæ actiones poſſunt habere minorem, vel majorem valorem, quia poſſunt æquivalere pluribus, vel paucioribus pecuniis propter diverſas circumſtantias, quæ concurrunt; quando autem pecunia reddenda eſt eodem loco, diverſo tempore, nihil aliud intervenit, niſi pecunia, quæ non poteſt vere habere diverſum valorem, cum non æquivaleat pluribus, vel paucioribus rebus ejuſdem valoris: propter dilationem vero temporis nihil poteſt ſine uſura accipi, & ideo non reſtat verus titulus ad plures illas pecunias exigendas: & quidem ſi ille titulus ſi-*

(1) Hic Cardinalis Diſc. 1. n. 23. de cambiis ait, iniquum lucrum poſſe percipi in irregularibus cambiis, *in quibus pretii, ac temporis taxatio proveniat a partium privata conventione, in qua cadunt dicti termini læſionis, & circumventionis, ſeu doli præſumti. Secus autem in cambiis regularibus, qualia dicuntur hæc per plateas, in quibus introducta eſt taxatio generalis pretii, ac temporis, cum tunc totum proveniat a caſu, ac a temporum contingentiis, nihil autem a facto partium.* Et ſimiliter paullo ante n. 19. *ob pretiorum, ac terminorum uniformem, & generalem determinationem in plateis mercantilibus introductam: unde propterea factum partium nihil operari* pronunciat. Idem porro Auctor diſc. 14. n. 8. et 9. ex Romana Rota affirmat, nullum aliud lucrum licere in cambiis, niſi quod *a curſu, & eventualitate cambiorum* proficiſcitur.

mul approbaretur, aperiretur latens porta accipiendi lucrum ex mutuo, quando tempore ſolutionis major ſperatur futura copia pecuniæ. Quibus verbis ſi acceſſionis, et lucri titulum in realibus cambiis, ad trajectionis ſumtus, & periculorum ſuſceptionem, atque cautionem refert, quem n. 46. in varium, & inæquale cambiorum pretium rejecerat; haud parum congruenter refert, ut nonnullis viſus eſt, ſed omnino recte, ut ex noſtra explicatione intelligi poteſt: varium enim cambiorum pretium, licet a multitudine, vel paucitate inquirentium, & ab eventu incerto pendeat; a traductionis tamen ſumtibus, atque periculis originem ducit. Ita pariter Romana Rota, etſi juſtum cambiorum lucrum ab eventu ſæpius derivet, juſtitiam tamen pretii cambiorum non aliunde, quam a traductione &c. proficiſci ſine contradictione fatetur. *Juſtitia cambii nundinarii conſiſtit in periculo, labore, expenſis, veraque tranſmiſſione pecuniarum per literas de loco ad locum.* Verba ſunt Rotę coram Bichio in Romana cambii 17. Febr. 1642.

Part. 9. Rec. cent. t. 1. Deciſ. 69. n. 21.

78. Ad cambia ſicca accedunt illa, quibus qui pecuniam recipiunt, literas quidem ad certa loca, vel nundinas ſcribunt, vel etiam mittunt; ſed cum nihil ibidem pecuniæ, aut crediti habeant, queis ſolutio fiat, inanes redeunt: & in eodem tandem loco, ubi pecunia accepta fuit, hæc per multiplices literarum circuitus ab eodem debitore reſtituitur. Patet hic quoque mutui, & uſuræ pallium, nullusque loci, ſeu diſtantiæ, nullus ſumtuum, induſtriæ, periculi, traductionis, nullus fortis titulus eſt, unde tota realis cambii vindicatio petitur: ac proinde hoc quoque cambium inter ſicca, & uſuraria a Pio V. damnatum fuit. Itaque metuendum vehementer eſt iis, qui pecunias illis cambio credunt ad nundinas, vel ad loca, ubi ſciunt eoſdem nihil habituros, unde ſolvant. In cambiis pecunia unius loci cum pecunia alterius præſenti pretio commutatur. Quæ commutatio eſſe poteſt, ſi nihil, ſeu in nundinis, ſeu in loco cambii ſit, quod commutetur? Sicut nulla eſt emtio ſine ſubjecto, quod emitur, teſtante lege *nihil actum eſſe, quia in rerum natura non ſit, quod venierit*, ita nulla commutatio, nullumque reale cambium eſt, cui pecunia in cambii loco commutanda deeſt; cambium enim quaſi abſentis pecuniæ venditio eſt. Qui ſcit in loco, in quo ſibi ſolvi ſtipulatur, promiſſorem nihil habere, vel habiturum, unde ſolvat; evidens eſt, illum intendere reſtitutionem ejus pecuniæ, non ubi ſcriptum eſt, ſed eodem in loco, vel ubi ei commodius, & utilius videbitur; ac propterea hic contractus vere eſt mutuum cum fœnore, ut plures obſervant apud Leotardum de Uſuris q. 26., ubi hoc cambium late, & efficaciſſime impugnat. Non licet ſocietatem officii, aut alterius negotiationis cum eo contrahere, quem ſcias nullum officium, nullam negotiationem exercere, quibus ſocietas inniti queat: nec licet emtionem cum ſubſequenti locatione bovum cum eo ſtipulari, qui boves non habet, quos vendere, & conducere poſſit. Uſuraria hæc omnia habenda ſunt, & uſuræ pallia. Idem eſt de cambiis, quæ in loco cambii pecunia careant.

L. 1. D. de her. edit. & act. emt.

79. Unus eſt caſus, quo pecuniam tradentes excuſari queunt, ſi nimirum bona fide crediderint, pecuniam in cambii loco vere ſolvendam a *correſponſali*, ut vocant, ejus, cui præſentem ſolverunt. Qui enim decepit, id, quod intereſt præſtare tenetur, ut in emtionum deceptionibus ipſæ Leges precipiunt. In cambiis autem tantum ad ſummum intereſſe poteſt, quantum cambia, quę cum alias inita fuiſſent, vere reddiderunt, non autem certum lucrum: unde in Bulla Pii V. vetitum fuit, ne certum

L. 1. D. de act. emt. & alibi.

Digitized by Google

tum, & determinatum lucrum, etiam in caſu non ſolutionis, ab initio, aut alias ſtatuatur: & proinde ſi ſolutio non fiat, id lucrum, quod cambiorum curſus tulit, æqua æſtimatione taxatum, detractis expenſis, titulo damni, & intereſſe exigere licet. Hinc in voto memorato Auditoris Cordubæ, quod Clemens VIII. approbavit, legitimum traditur lucrum ejus realis cambii in Hiſpaniam, in quo *intervenit realis ſolutio, transmiſſio literarum cambii eorum correſponſalibus, ac intentio,* (notentur hæc verba) *& credulitas, quod pecunia illis in Hiſpania ſolvi deberet, & promiſſio ſolvendi intereſſe in caſu non ſolutionis, pravia judicis taxatione, & poſt moram &c.* Quinque caſus cambiorum a Genuenſi Republica, quæ cambiis maxime floruit, Apoſtolicæ Sedi propoſiti hanc controverſiam reſpiciunt. Cum enim a nonnullis pecunia cambio, & recambio idcirco quæreretur, quod nullam in cambii loco haberent pecuniam, creditum nullum, unde literarum ſolutio fieret; hoc cambii genus a multis uſuræ reprehenſum fuit. Tres in hoc caſus primo propoſiti. Cum vero duo primi rejecti fuerint ut uſurarii, & ſimiliter tertius, ſi per eum, qui pecuniam uno loco tradit, in loco item literarum cambii ſolutio fiat, atque recambium, non autem per aliam tertiam perſonam, quæ ex mandato ejus, qui pecuniam accepit, ſolutionem fecerit; civitas Genuenſis ad hæc reſponſa tanquam ad aliquod tonitru contremuit, obtinuitque ab Archiepiſcopo ne ederentur, uti ex tractatu de Cambiis Raphaelis de Turri teſtatur Leotardus q. 26. n. 53. Interim duo alii caſus propoſiti, quorum alter reprobatus, alter vero, qui ordine quintus eſt, approbatus fuit, & in hoc Genuenſes acquieviſſe dicuntur. At hic quoque caſus (1) perſonam, quæ in loco literarum cambii ſolutionem faciat, *diſtinctam* exigit ab eo, qui pecuniam tradidit, ita ut is credere potuerit, ſolutionem fieri ex legitimo illius credito, atque mandato, qui pecuniam accepit. Neque enim alia de cauſſa eadem perſona creditoris excluditur, niſi quia cum idem ipſe ſimul pecuniam tradit, & in loco cambii item ſolvit, ac recambium ſcribit; certus eſt cambium inane eſſe, & ſiccum, quod ex dictis mutuo fœneratitio æquivalet. Hos caſus cum reſponſionibus Congregationis, quæ ab Urbano VIII. fuerunt confirmatæ, & Edicto ipſius Genuenſis Reipublicæ editæ an. 1631. totidem verbis exhibent Joannes Dominicus Peri Genuenſis Part. 1. *Il Negoziante* poſt caput 18., nec non poſt laudatam quæſt. 26. Leotardus, apud quem hac in re plura legi poſſunt.

Apud Card. de Luca de Camb. Diſc. 21.

De hac re conſule Leotardum q. 26. n. 53.

80. Sed ut ad propoſitum hujus paragraphi tandem revertar, duplici igitur ratione temporariis mercatorum neceſſitatibus proſpici poterit, cum honeſto eorum lucro, qui pecuniam tradunt, nimirum vel realibus cambiis, queis pecunia præſens cum abſenti commutetur, ſive mutuo ab iis quæſito, qui juſtum intereſſe, ſeu lucri ceſſantis titulum præſto habeant. In Conſtitutione Clementis VIII. pro erectione Urſini

To. 7 Bull. 79. §. 12. pag. 139.

(1) In hanc eandem ſententiam cambium *recurſæ* licere poteſt, uti licere colligitur ex Pii V. literis de Bononienſium cambiis, & expreſſius ex Decreto Congregationis Cardinalium ſub Gregorio XIII., a quo cum Panormitanus Archiepiſcopus quæſiſſet, an cambium recurſæ prohibitum fuiſſet poſteriori Conſtitutione ejuſdem Pii V. reſponſum, fuit a Congregatione an. 1574. negative, literaſque Cardinalium integras recitat Salonius q. 4. de Cambiis controv. 12.

ſini Montis uterque modus indicatur, cum mercatores ejuſdem Montis *Depoſitarii* ab Urſinis (1) reſarciendi dicuntur, ſi forte eorundem Urſinorum mora, in neceſſitate ſolvendi montiſtis, iidem depoſitarii mercatores, vel ſuam pecuniam proprio cum damno in ſolutum conferrent, vel alienam cambio, & recambio cogerentur accipere. Scio, nonnullos opponere cambiorum realium lucrum indigentibus gravius eſſe, pręſertim in quibuſdam nundinis, quam lucrum, quod pro depoſitis ſolvitur. Hoc damnum ut vitetur, ii mercatores adeundi erunt, qui minori pretio pecuniam accomodent lucri ceſſantis nomine, non autem confugiendum ad depoſita, quæ ſine juſto titulo uſurę damnata vidimus. Forte etiam ſi fœneratitia depoſita a nundinis ablegentur, & cambiorum realium uſus revocetur; ex multitudine cambientium, ne pecuniam ſibi debitam, ſuiſque negotiis ſuperfluam otioſam relinquant in nundinis, pretium ejuſdem cambio oblatę minuetur, & minori cum damno pecuniam cambio invenire licebit. Quod ſi hi ſuperfluam pecuniam habentes, eandem minori illicito lucro deponunt, quidni eodem moderato, ac licito lucro in cambiis contenti erunt? Etſi enim non licet in cambiis de lucro certo unquam ſtipulari; licet tamen illud certis finibus contrahere, ne quid ultra certam quantitatem accipiatur, ſi forte cambii pretium excedat, non autem ſi minus ſit, ut Card. de Luca notavit de Cambiis diſc. 17. n. 2., & confirmatur ex quinto caſu Genuenſi, qui a Romana Congregatione, & ab Urbano VIII. approbatus fuit. Sanius autem mercatoribus conſilium prębet Jacobus Savary, ne negotia ſupra vires facile ineant, ita ut nonniſi raro aliena egeant pecunia, ſive ad id, quod intereſt, ſive ad cambium recipienda: hac enim via, ſi frequentior ſit, plures decoctiones, maximumque negotiationis, ac negotiatorum detrimentum dimanare ſolet. Qui autem nihil ſupra proprias vires audent, temporaria inopia non facile premuntur, ut ad alienum æs confugiendum ſit; et hac item de cauſſa rarior cambiorum inquiſitio commodius eorundem pretium pariet. Quamdiu enim cambia inter eos contrahuntur, qui credita, et debita realia habent, atque commutant, ut eſt realium cambiorum inſtitutio, maxima eorundem neceſſitas, ac utilitas eſt; et pretium item moderatum, atque æquabile. At ſi qui creditis realibus carent, ut ſupra vires cupidius negotientur, realibus cambiis abutantur, ad debita contrahenda, quibus credita æqualia rependere nequeant; cambiorum inſtitutione perverſa, magnam in cambia auctionem, et confuſionem inducent, quæ in graviſſimas decoctiones identidem vergent. Cohibeatur ergo hoc vitium, quod et privatæ, et publicæ rei pernicioſum eſt; et realia cambia moderatiora utrinque accident: cumque hac inducta praxi nunc cambio accipiendæ erunt pecuniæ, nunc autem tradendæ; quod altera vice jacturæ obvenerit, altera reſarcietur. Omni-

Conſilium pro mercatoribus. Le Parfait. Negoc. t. 1. part. 1. l. 3 c. 3. et 4. p. 147.

(1) Obligat enim Pontifex omnia Urſinorum bona *Depoſitariis nunc & pro tempore eligendis, pro eorum indemnitatis relevatione, tum ex cauſſa pecuniarum, quas dicti Fratres de Urſinis quovis tempore deficerent in banco dictorum depoſitariorum deponere ad effectum ſolvendi fructus ejuſdem Montis, quam .... cambiorum, & recambiorum, quæ ſuper ſummis ut ſupra pro prædictis Urſinis debito tempore in banco eorundem depoſitariorum non depoſitatis decurrere contigerit, ac damnorum, & intereſſe per eoſdem depoſitarios forſan patiendorum.*

Omnibus interim, ſive diuturnioribus, ſive temporariis pecuniæ neceſſitatibus, quæ in univerſam negotiationem incidere poſſunt, plures legitimas proſpiciendi vias cum honeſto pecunias tradentium lucro patere ex hactenus dictis intelligis.

EPILOGUS,

In quo comprehenduntur omnes modi providendi quibuſvis neceſſitatibus cum lucro boneſto citra uſuram. Sola neceſſitates pauperum, queis ex præcepto gratis ſuccurendum eſt, lucrum boneſtum non recipiunt.

81. NUnc ſi in univerſas, ac ſingulas hominum neceſſitates oculos conjiciens, omnes ſimul modos complectaris, hoc, & ſuperiori Opuſculo indicatos, queis honeſto cum lucro proſpici iiſdem poteſt; neminem idoneo præſidio, quod honeſtum lucrum pecunioſis pariat, deſertum invenies, niſi ſolos pauperes, quibus ex charitate opitulandum eſt, ſive mutuo, ſive eleemoſyna. Qui legitimum lucri vere ceſſantis, aut damni emergentis titulum præſto habent, mutuum dantes, poterunt ejus, quod intereſt juſtam compenſationem exigere. Ii vero, quibus nullus juſtus titulus in promtu eſt, quot licitos, & utiles contractus citra uſuram inire queunt? Cum divitibus prædia habentibus contrahere licet emtionem cum locatione, & facultate redimendi in venditorum gratiam, legitimum cenſum realem, vel perpetuum, vel temporalem, ad certum, vel incertum tempus, aut vitalitium, ex quibus nonnulli contractus cum iis quoque iniri poſſunt, qui fideicommiſſis, ac feudis obligantur. Cum mercatoribus ſocietas contrahi poteſt vel libera, vel cum cautione minoris lucri certi pro majori incerto, vel cum ſola cautione nominum, aut quorundam periculorum capitalis, quæ negotiationi extrinſece accidunt: nec deſunt cambia, ac recambia realia, quæ negotiationi, & commercio accommodatiſſima ſunt. Adde & perſonalem cenſum, ſi certis conditionibus, ac æſtimatione juſta ematur ab iis, qui propria perſonali induſtria ſupra congruam ſui, & familię neceſſitatem lucrum capiunt. Uno, vel altero modo & privatis, & publicis neceſſitatibus proſpicere legitimo cum lucro licebit. Soli pauperes, qui nec prædia, nec negotia habent, nec ſupra neceſſitatem lucrantur, nullius contractus capaces ſunt, unde lucrum quæratur. Si qui vero ex horum quoque neceſſitatibus velit lucrum aucupari; charitatis leges ignoret, vel ſpernat neceſſe eſt. Naturalis, ac divina lex ſi non fruſtra eleemoſynam, & mutuum præcepit, certe præcepit ſaltem in neceſſitatibus pauperum, quibus ex charitate gratis ſuccurrendum eſt. Mirum hac in re maxime accidit patronis uſurarum, Chriſtianos, qui uſuram damnant, minus æque de pauperibus ſentire, & ſe in hac parte illis longe præſtare non inaniter dictitant. Nos, inquiunt, moderatum lucrum vel ex mutuo licitum dicimus, ſi cum divitibus, ac mercatoribus res ſit, a pauperibus autem excludimus. Quin & divites, quibuſdam in caſibus, pro pauperibus habendos putamus, ut ne ex eorum neceſſitatibus lucrari liceat. Vos autem, etſi uſuram, vel uſuræ nomen refugitis; eos tamen modos lucri inculcatis, atque defenditis, qui præterquamquod ſolo nomine mutuum, & uſuram devitant, divites, & pauperes una complectuntur, nullamque neceſſitatem a lucro excludunt: & hæc doctrina in praxi obtinet. Hoc iniquum prorſus, nihilque Scripturæ, ac Traditioni, nihil charitati, ac naturali juri

Obſervanda a Chriſtianis ac Theologis nonnullis.

juri magis contrarium. Pauperes quidem nobis magis, quam hiſce Theologis debent, meliuſque doctrina noſtra, quam iſtorum ſibi conſultum fatebuntur. Juſtam horum criminationem ſi delere, & declinare placeat, charitatis præcepta melius intelligenda ſunt, ſanioriſque doctrinæ Theologos ſequi non pigeat, qui pauperes, ne (1) ex legitimis quidem titulis, vel contractibus lucro gravandos, ſed eorundem neceſſitatibus gratuitam opem ferendam ex certiſſimis Scripturarum, ac Patrum regulis docent. Præter hos autem lucrum alias honeſtum, juſtis ſive titulis, ſive contractibus quærere, & pecuniam cum juſto lucro in privatas, ac publicas neceſſitates conferre licebit, ut ne fœnus variis palliis tectum exigere neceſſe ſit.

OPU-

(1) Accuratiorem in hoc regulam præſcribit Conradus Sumenbart de Contractibus q. 30. conc. 1.

Digitized by Google

OPUSCULUM TERTIUM.

De inani contractuum implicitorum ſyſtemate, quo omnes fere contractus re ipſa fœneratitios ab uſura purgare nonnulli Theologi contendunt.

§. I.

Neceſſitas hujus Opuſculi, & contractuum implicitorum ſyſtema, ſcribendique propoſitum exponitur.

1. ETſi errores in morum materie contrarii certis fidei principiis pernicioſiſſimi ſunt; Chriſtiano tamen populo, qui fidei conſtanter adhæret, nihil afferunt detrimenti, niſi forte per ignorantiam dogmatis, quam partim concionibus, partim inſtructionibus, ſeu catecheſibus ſanare Paſtorali diligentiæ facillimum eſt. Ii ſoli errores in eandem materiem irrepentes, qui ſalvo dogmate auctoritatem Theologorum quamplurium obtinent, cum difficilius ab indocto vulgo, qui Theologorum numero plurimum deterre ſolet, cognoſci, et caveri poſſint, maximam inter Chriſtianos perniciem inferunt. In materie uſurarum errores dogmatici, quos ſuperioribus libris adverſus Sectarios impugnavimus, nihil fere inter Catholicos Eccleſiæ obſequentes potuerunt obtinere, niſi per ignorantiam. Cum uſuram ab Eccleſia damnatam audierint, omnes huic dogmati credentes eam execrantur; et ſolum per ignorantiam non pauci uſuram non eſſe credentes, quod uſura vere eſt, uſuram admittunt, quam damnant: quos, ut ad officium revocentur, ſatis erit docere; dum non doceantur ſolum, ut fit, uſuram eſſe peccatum, ſed doceantur quid uſura vere, et practice ſit. Ita P. Michael Elizalde Soc. Jeſu Theologus præſtantiſſimus part. 2. de recta morum doctrina l. 6. q. 6. inanem eſſe monuit eum ſacrorum oratorum laborem, quo uſuram, aut aliud crimen populo non ſatis notum, nulla explicatione addita, in concionibus ſæpe inſectantur: cum enim non explicent quid hæc peccata ſint, *nomina magis inſequi videntur, quam res ipſas, quæ proinde in populo manent ſicut prius; nemo enim ſeſe eorum nominum reum cenſet, & uſuras, & injuſtitiam exercent magis, quam fatentur.* Noſter Veronenſis Epiſcopus, ut præſentiſſimum, efficax, et perpetuum huic ignorantiæ remedium in re fęneratitia apponeret, duas petitiones, et reſponſiones uſuram explicantes catechiſmo puerorum inſeruit, quæ a pueritia memoriæ traditæ, intelligerentur provectiore ætate, nec unquam delerentur.

2. At ſunt alii practici errores in eadem uſuræ materie, qui cum nondum ſint ab Eccleſia proſcripti, impune graſſantur; cumque Theologos complures ex iis, qui Confeſſariis magis arrident, vindices habeant, plurimos ſecum rapiunt. Theologi nimirum videntes populum uſurario lucro adhęreſcere, difficileque eſſe illum practice removere; viam excogitarunt, qua non hunc ſolum, vel illum caſum, ſed omnes fere ab uſura liberarent. Si quid in re immutaſſent, ut uſura non eſſet amplius, quæ antea erat uſura; nihil morarer. At re immutata, principium nacti ſunt, quo idipſum, quod ſemper uſura habitum fuit, uſuram amplius non eſſe contendunt. Hoc principium mi-

mirificum illud eſt, quo contractum aliquem implicitum a mutuo diverſum in omni contractu ejuſmodi ineſſe volunt; ita ut lucrum ex hoc contractu, non autem ex mutuo proveniens, dici nequeat uſura, quę ſine mutuo eſſe non poteſt. Hæc opinio invecta, & dubie primum, ac timide propoſita ſub finem ſeculi XVI., vel ſub initium ſequentis, cum libertas opinandi inolevit; excepta dein a multis adeo placuit, & perſuaſit ſenſim, ac veluti certa, & univerſalis venditata fuit, ut principio hoc omnes contractus abſolvantur, & liberentur ab uſura, nec unus inveniri caſus poſſit, qui uſuram contineat, niſi forte in eo, qui uſurarium contractum ex propoſito velit. Quicunque enim hoc ex propoſito lucrari nolit, eum implicite velle dicunt contractum aliquem non uſurarium, ſed licitum omni meliori modo, quo fieri poteſt: plures autem contractus pro varietate circumſtantiarum præſto ſemper eſſe ajunt, quos ſatis implicite initos comminiſcuntur. Si enim detur pecunia iis, qui prædia, vel domos cenſui apta poſſident, implicitam cenſus, ſeu redditus annui emtionem initam dicunt: ſi vero detur pecunia negotiatori, initum volunt implicitum contractum ſocietatis cum duplici aſſecuratione; nec deſunt qui cum artificibus ex induſtria lucrantibus cenſum perſonalem pro mutuo contractum velint, eadem voluntate, quam implicitam præferunt. Ita omnes caſus ab uſura liberari nemo non videt. Audiatur Auctor damnatæ Apologiæ Caſuiſtarum pag. 107. *J' eſtime que ces deux titres ſuffiſent pour tous les gens, qui pretent, a ſuoir le contract de ſocietè, lorſqu' on prête à ceux qui ſont quelque negoce, & celui en vertu du quel on achete une rente pour un an ou deux, ſur quelque heritage de celui qui emprunte.* Et pag. 108. *Je ne m' arrêterai pas a prouver que ces deux ſortes de contracts (de ſocietè & d' achat de rente pour un an) ſuffiſent pour accommoder ceux qui pretent; parceque la choſe me ſemble claire; l' eſperience nous faiſant voir, qu' on ne haſarde pas ſon argent dans les prêts, ſi ceux qui empruntent, ne ſont ſolvables, & n' ont du bien dans le negoce ou dans des heritages.* Neque ſolum plures vulgarium Caſuiſtarum in eandem ſententiam conceſſere, ſed plerique etiam ipſorum Confeſſariorum, qui hoc principio de uſura haudquaquam ſoliciti, nihil interrogant: & ita in praxi uſura re ipſa dominatur, ac ſi error dogmaticus circa uſuram vigeret. Et licet in pecunia quæſtui exponenda populus ad hos contractus nihil advertat, eoſdemque fere nulli intelligant, aut velint, ſed vere velint e pecunia mutua lucrari, non ex alio ullo contractu, (quod olim ſemper uſuræ damnatum fuit;) tamen ea implicita, ut creditur, voluntate omnes ſemper purgantur, & ab uſura creduntur alieni.

3. Id ſi obtineat, quid in Chriſtianorum praxim conferet dogmaticum hæreticorum uſuris patrocinantium errorem impugnaſſe, cum adhuc eadem uſura re ipſa inter Chriſtianos æque dominetur? Hæretici jure nobis inſultabunt, & facile in dogmate cedent, dum praxis eadem liceat, pro qua una tuenda contra ipſum dogma (1) tantopere dimicarunt. Erunt forte qui hoc maxi-

---

(1) Enimvero nuperrime e Belgio Fœderato prodiit magnum *de Uſuris licitis & illicitis* volumen inſignis uſurarum patroni, qui in eo fere totus laborat, ut uſuram moderatam, quam propugnat licitam, ad contractum aliquem implicitum revocet; eoque æquior nonnullis noſtro-

Digitized by Google

ximum hujus ſententiæ beneficium putent, ſi hac via hæreſis circa uſuram tollatur. At nunquid multum prodeſt tolli hæreſim, ſi practicus error non emendetur? Lex uſuram prohibens, practicum errorem vetat. Verum hoc, vel illo principio defendatur, nihil refert; dum idem defenditur, quod lex vetat. Hinc non minor hujus principii impugnandi neceſſitas, quam hæreſis memoratæ, idque ad Catholicam doctrinam a Sectariorum irriſionibus vindicandam maxime pertinet, ne illi in eo glorientur, nos uſuram damnare verbo, re autem, & ſcriptis alio nomine defendere. Itaque in hoc opus præſentem diſputationem inſtitui: qua & ratione evidenti, & luculentiſſima auctoritate ſacra, atque definitione Eccleſiæ hoc ſyſtema convellam.

4. Qui voluntatem alicujus contractus a mutuo diverſi implicitam ponunt, ut uſuram, & culpam a Chriſtianis hominibus in memoratis contractibus ineundis ablegent, ſi propoſitum velint conficere, duo præſtent opus eſt. Primo ſtatuere certo debent eam voluntatem implicitam, qua non mutuum, ſed alium contractum homines velle probent. Dein hunc qualemcunque contractum probare debent licitum, qui in mutuum, aut in fœnoris malitiam, ſeu injuſtitiam non recidat. Neutrum vero probant, nec probabunt unquam: ſed contrarium potius ego utroque in capite demonſtrabo, nimirum & homines, de quibus hic ſermo eſt, nullum alium contractum ne implicite quidem velle, niſi mutuum, ac lucrum ex mutuo: & eos ipſos contractus, quos implicita voluntate initos adverſarii adſignant, ſi etiam inirentur implicite, ita iniri, ut in mutuum recidant, vel ab injuſtis conditionibus non ſeparentur.

§. II.

Oſtenditur homines nullum alium contractum ne implicite quidem velle, niſi mutuum, & lucrum ex mutuo, ideſt uſuram.

5. ET ad primum quod pertinet, non nego voluntatem implicitam poſſe ſufficere ad contractum ineundum, ſi vere implicita voluntas ſit, & cetera ad contrahendum neceſſaria nequaquam deſint. At in caſu voluntatem implicitam alicujus ex præſumtis contractibus cenſus, ſocietatis &c. vere adeſſe, id eſt, quod nec probatur, nec probari poteſt. Voluntas implicita, quæ ad contractum ineundum ſufficiat, præterquamquod non mere interna eſſe debet, ſed externo aliquo ſigno indicata, & acceptata item ab alio contrahente, ut alibi oſtendi, (quod in caſu vel implicite fieri quis idonee probarit?) hæc, inquam, implicita voluntas, non mere habitualis eſſe debet, quæ nec actu, V. Opuſc. I n. 19.

ſtrorum eſt, quod lucrum his implicitis contractibus tectum, non univerſim cum omnibus pecuniam, etiam in neceſſitatis ſubſidium, quærentibus, ſed cum ſolis divitibus ex eadem lucrantibus licitum contendat. Uſurarium autem id lucrum fatetur, & uſuram hiſce contractibus tectam non inficiatur, pro qua tamen vindicanda noſtrorum auctoritate utitur, qui cum hos implicitos contractus defendunt, veram defendunt uſuram, atque ita uſuram vel a Catholicis defendi inſinuat, ne quid contra Catholicorum ſententiam ingerere videatur. Similiter Guillelmus Ameſius l. 5. de Conſcientia c. 44., quod *de contractu uſurario* inſcribitur, uſuræ honeſtatem ex implicito trino contractu ſuadere nititur.

actu, nec virtute perſeverans, implicita nullo modo eſt, nec operari poteſt; neque mere conditionalis, quam quis haberet ſi moneretur, ſed interim nec actu, nec virtute implicite habet; ſed virtualis ſaltem eſſe debet, quæ actualem aliquam voluntatem ſaltem implicitam virtute perſeverantem præſumat, ut latius probat Cardinalis de Lugo diſp. 25. ſect. 9. n. 182. 186. Porro nullam voluntatem (1) ſocietatis, cenſus &c. in hiſce hominibus actu præceſſiſſe, ne implicite, & obſcure quidem, nullamque item virtute perſeverare probari facile poteſt, ſi quid homines in contractibus ejuſmodi velint conſideres. Volunt, inquies, lucrari omni meliori modo de ſuo, ex more regionis, ac proborum virorum, & ad legum, ac judiciorum normam. Peto in primis, num regionis, ac proborum mos in hoc contractu, cenſus, aut ſocietas ſit, an potius ille idem contractus, qui in præſentem quæſtionem cadit? De hoc ipſo regionis, ac proborum, ut dicuntur, more, quo nullus explicitus contractus cenſus, aut ſocietatis &c. initur, item quæſtio eſt; neque hac quæſtione, quæ parem difficultatem patitur, præſens eſt quæſtio ſolvenda. Leges porro, & judicia, quæ nihil de cenſu, nihil de ſocietate ineunda præſcribunt, quid conferre queunt? Civilis fori, ac legum œconomia quid ſpectet alibi fuſius dictum eſt; ut nihil exinde in rem præſentem elici poſſit. Itaque cum hæc ſuffragia nihil proficiant, ut de contractu judicetur, ipſa hominum ſingulorum voluntas expendenda eſt. In caſu autem ſi quæramus quid quiſque velit, cum hoſce contractus ſtipulatur; reſpondebunt omnes, ſe velle pecuniam poſt certum tempus reſtituendam petentibus tradere, & ex eadem interim lucrum capere, quorum primum re ipſa mutuum eſt, cui mutui definitio competit: hoc vero alterum eſt lucrum ex mutuo, i deſt uſura; & ſi omnibus antiquis doctoribus, qui ante hos Theologos fuerunt, ſi ipſis Romanis Juriſconſultis, ſi gentibus omnibus, qui de contractibus peritiam gerebant ſingularem, hic caſus propoſitus fuiſſet, non aliud de eo tuliſſent judicium.

Lib. 3. de jure divino, & naturali circa uſuram c. ult. & lib. 5. c. 3. §. 3. ac lib. 6. c. 1. §. 4.

6. Neque refert, quod noſtri homines nec mutuum, nec uſuram velint, ſed lucrum licitum, ac proinde alium contractum, ex quo lucrum licitum proveniat. Hæc quidem liciti lucri, & contractus voluntas ſatis eſſet, ubi re contractus iniretur licitus: ubi autem re ipſa illicitus ineatur, ea voluntas etſi ex invincibili errore, ac bona fide excuſare poſſit a culpa, ad ineundum tamen contractum licitum, cum re contrahitur illicitus, nihil confert. Hinc in caſu, cum contractus, quem homines ineunt, non aliud re ipſa ſit, quam mutuum, licet mutuum ſe inire non credant; hic error contractum vere initum non deſtruit, nec

(1) Hinc Concilium Provinciale Beneventanum XIII. an. 1656. Synodic. Benevent. p. 511. tit. 58. n. 22. hac præſertim ratione triplicem contractum in praxi commentitium probat; *nam ut plurimum nec mutuatarii, & aliquando nec ipſi qui mutuant, aliquid ſciunt, vel cogitant de illo modo contrahendi ...., ac triplici eo contractu, ut ſaltem implicite illum intendere poſſint*. Et non abſimiliter Card. de Lugo diſp. 27. ſect. 2. n. 29. implicitum perſonalem cenſum, etiamſi liceret, a praxi alienum affirmans, *Re vera*, inquit, *eſt mera excogitatio contra mentem, & intentionem contrahentium, qui nihil minus intendunt, quam vendere, vel emere operas, nec venditor cenſus vult ullo modo ſe vel ſervum, vel famulum emtoris conſtituere &c.*

Digitized by Google

nec mutat in alium, cujus nulla ſaltem virtualis voluntas eſt: ac propterea lucrum exinde perceptum eſt vere uſura. Neque ad mutuum, & uſuram contrahendam opus eſt homines credere ab ſe contrahi id, quod mutuum, & uſura dicitur; ſed quidquid credant, ſatis eſt contrahant quod re mutuum, & uſura ſit: mutuum enim, & uſura non in nomine, ſed in re, & contractu ipſo ſita ſunt. Sicuti vero ſi quo in contractu, qui re, mutuum non eſt, mutuum perperam dicatur a contrahentibus, mutui nomen nihil præjudicat, quia res (1) ipſa, non verba ſpectantur; ita ſi mutuum non dicitur, nec creditur, quod re mutuum eſt, error nominis, rei, & contractus naturæ nihil prejudicii afferre poteſt. Neque forte naturam mutui in traditione gratuita colloces, ut nonnulli putant: hic enim alius eſt inſignis, & manifeſtus error, quem lib. I. c. 2. de Jure naturali, & divino circa Uſuram fuſe refellimus.

7. Si porro ex hactenus dictis, in vulgaribus, de quibus nunc agimus, contractibus mutuum, et uſura re ipſa contrahitur; nec cenſum, nec ſocietatem, aut alium contractum iniri evidentius confirmatur. Qui enim contractus re mutuum, & uſura eſt, alius ſimul contractus eſſe non poteſt. In contrahendum quod re mutuum, et uſura eſt, nedum implicita, ſed explicita voluntas adeſt, quę nullam alicujus alius contractus voluntatem, ne implicitam quidem, involvit, ſed potius excludit. Ut cenſum quis realem ex.gr. velit, velle debet ſaltem implicite emere jus percipiendi annui reddititus e re fructifera, quod nemo in his contractibus ſomniatur. Non alium redditum volunt ejuſmodi homines, quam pecunię ſub onere reſtitutionis traditę; quod reapſe uſura eſt, licet illi uſurę nomine aliud quiddam per ignorantiam intelligant. Similiter alii contractus ſpecialem naturam habent, quam & cognoſcere, & velle aliquo modo debent contrahentes, ut illos contractus ineant, nec lucrum velint ex pecunia re mutuo tradita, quod uſurarium eſt. Licet ergo pecunia detur iis, qui capaces ſunt cenſus, aut alterius contractus, quem forte pecunioſi etiam iniiſſent, ſi quis monuiſſet; cum tamen hac traditione pecunię nulla vel implicita voluntate cenſus ematur, ſed lucrum expreſſe quęratur ex ipſa pecunia ſub onere reſtitutionis reddenda; lucrum vere ex mutuo quęritur, quod uſura eſt. Auctores, qui de aliis contractibus ex.gr. cēſus ſcribunt, monere ſolent eos ipſos qui horum contractuum inſtrumenta ex uſu Notariorum in traditione pecuniæ exigunt, monere, inquam, ſolent, ut ſinceram gerant voluntatem emendi cenſus, non autem lucrandi ex pecunia: hoc enim eſſet uſura, licet ſcriptum inſtrumentum cenſus emtionem præferret. Contractus nimirum non ex ſcriptura, ſed ex voluntate, ac intentione contrahentium proficiſcuntur, ac pendent. Si hoc verum eſt ubi cenſus ſcribitur; quanto magis ubi omnia re ipſa mutuum exhibent, licet nomen mutui forte uſurpetur? Voluntas implicitą contractus a mutuo diverſi hiſce in circumſtantiis merum ſomnium eſt, non in contrahentium, ſed in illorum Auctorum mente, qui contra rem ipſam ad excuſandas excuſationes in peccatis ſcrutati ſunt ſcrutationes. Vide Opuſc. I. n. 3. & 46.

8. Addam confirmationem meo judicio manifeſtam, qua hocce ſomnium inaniſſimum, & impoſſibile mon-

(1) In cognoſcenda ſpecie contractus magis ad pacta in illo appoſita, quam ad verba attendendum monuit Abbas in c. *Statuimus*, c. ex eo alii plurimi.

Digitized by Google

monſtretur. Ea voluntas lucrandi omni meliori modo de ſuo, quam implicitam, & ad contrahendum ſufficientem iſti Auctores prædicant, per eoſdem eum contractum re ipſa init, cujus capax eſt perſona, quæ pecuniam accipit, nimirum ſocietatem, ſi pecuniam accipiens ſit negotiator, cenſum realem, ſi prædia habeat &c. Sæpe autem evenit, ut qui pecuniam accipit, & prædia habeat, & negotiator ſit. Quinam, rogo, ex ea voluntate contractus hoc caſu fiet? Non major pro uno, quam pro alio ineundo ratio eſt, ubi voluntas illa nihil diſcernit, determinat nihil. Vel ergo fiet contractus uterque, vel nullus. Non uterque; impoſſibile enim eſt ſimul ſocietatem negotiationis contrahi, & realem cenſum emere eadem pecunia. Itaque neuter initur; quod vere ea voluntas ad nullum id genus contractum ineundum ſufficiat, cum vere implicita, ſeu virtualis horum contractuum voluntas non ſit, ſed ad ſummum conditionata, quæ homini forte ineſſet, ſub conditione ſi moneretur; re autem adeſt ſola voluntas ejus contractus, qui mutuum, & uſura eſt.

§. III.

*Implicitæ voluntatis, & contractus impliciti ratio a P. Euſebio * Amort noviſſime excogitata proponitur, atque refellitur.*

9. SEd aliam implicitæ voluntatis aſſerendæ & explicandæ rationem attulit P. Euſebius Amort, quæ omittenda non eſt. Contrahentium nimirum voluntatem ſubeſſe univerſim intentioni Legiſlatorum affirmat. Legiſlatorum autem intentionem ita directioni Theologorum ſubeſſe ait, ut quod ad mores, & contractus dirigendos Theologi docent, id Legiſlatores velint, & ex Legiſlatorum mente velint etiam privati, dum contrahunt. Audiantur ejus verba ex *Controverſiis novis moralibus* obſervat. 5. ad 12. pag. 375. *In primis verum eſt, intentionem contrahentium univerſim ſubordinari intentioni Legiſlatorum præſcribentium formam, & modum eſſentialem contractibus. Sic enim Teſtamenta, Codicilli, Contractus varii tacitam ſemper habent intentionem, ut valeant juxta morem patriæ, & diſpoſitionem legum. Legata pia, & fundationes piæ ſubjacent tacitæ directioni Epiſcoporum, aut Papæ. Ita etiam promiſſiones ſponſalitiæ, depoſita, commodata, donationes, emtiones, fidejuſſiones ex diſpoſitione legum ſortiuntur innumeros effectus, de quibus contrahentes expreſſe non cogitabant, immo quos etiam noluiſſent, ſi de iis cogitaſſent: quia tamen volunt contrahere, promittere, donare, oppignorare &c. juxta morem patriæ, juxta ſtylum Curiæ, & juxta diſpoſitionem legum, intentione efficaci feruntur implicite in omnia illa contractus adjuncta legalia. Verum etiam eſt ſecundo, intentionem Legiſlatorum ſubjacere directioni Theologorum. Cum enim intentio Legiſlatoris ſit anima legis, & non tam reſpiciatur ad intentionem Legiſlatoris perſonalem, ac privatam, quam ad intentionem legalem, eam videlicet, quam juxta principia prudentiæ legiſlativæ Princeps*

ceps

* Auctor noſter cum hæc adverſus P. Amort ſcripſit, nondum viderat ejus librum ſubinde editum cum titulo *Diſquiſitiones dogmaticæ de controverſiis in Theologia morali inſignibus*, in quo non ſolum tit. 5. impugnat egregie quoſdam recentiores, qui in doctrina de uſuris novitatem induxerunt; verum etiam §. 3. implicitorum contractuum ſyſtema refellit, & ſuam ſententiam alia ratione explicat, quæ a principiis hoc Opuſculo impugnatis alieniſſima eſt. Editores.

Digitized by Google

ceps qua Legiſlator debuit habere ; clarum eſt, eam intentionem regulari a ſenſu communi Theologorum , aut ſuis luminibus legi praeuntium , aut illi formam , modum , & applicationem ad caſus dubios magiſtrali interpretiatione praſinientium ; quo fit, ut conſtituta rationabili conſuetudine, accedat novus tacitus conſenſus Legiſlatoris legalis. Nemo eſt, qui hanc progreſſionem legum inficias eat. Hæc autem eò ſpectant, ut cenſus perſonalis nomine vindicet ab uſura contractum in Germania frequentem, quo pecunia ad lucrum creditur. Hoc enim in contractu privatorum voluntates ſubeſſe Legiſlatoribus concludit ; qui licet de cenſu perſonali nihil ſtatuant, ſed ſolum ſtatuant de lucro, quinque in centum non excedendo ; tamen horum intentionem exponendam credit ex doctrina eorum Theologorum Moralium, qui per eam implicitam voluntatem cenſum huic contractui ſubjiciunt. Quanto circuitu opus eſt, ut contractus, qui vere non fit, induci videatur?

10. Quis tamen inanem hujuſmodi circuitum non videt? Hac ratione Theologorum, non omnium quidem, (multi enim etiam (1) Germani recentiores Theologi, & Canoniſtæ uſuram Germanicis legibus permiſſam profitentes ultro, iſtis perſonalis cenſus interpretationem ſubjicientibus palam repugnant) ſed aliquorum, qui hæc docent, opinatio, & operatio imaginaria, reali contractui repugnans, pro regula legum, & contractuum habenda eſt, ad quam & Legiſlatores, & privati dirigantur, & contractus explicentur. At quæro num ea voluntate Theologorum ſaltem implicita contractus ineantur, an contrahentium? Num hoc, quod Theologi ejuſmodi docent, intendunt contrahentes, dum contractum ſtipulantur? Num Legiſlatores de hoc Theologorum invento cogitarunt, dum leges tulere? Si etiam ubi Legiſlatores quandam contractus formam præſcribunt, contrahentes eum contractum non faciant, ſed prorſus alium, ille non fiet unquam ; quanto minus fiet, ubi illum nec Legiſlatores præſcribant? Caſus de teſtamentis, depoſitis, donationibus, &c. ad rem non pertinet. Aliud enim eſt cum agitur de contractu, quem homines volunt, ſed non ita volunt ut leges præſcribunt ne irritus ſit : aliud vero cum de contractu agitur, cujus modum etſi leges præfiniant, homines tamen de eo contrahendo non cogitant ; multo autem magis ſi de eo leges nihil præſcribant, ut in perſonali cenſu accidit. Leges enim Germaniæ, quibus Amort alludit, nihil de eo cenſu, ſed de uſura, aut uſurarum modo potius præſcribere ex multis etiam Germanis Theologis liquet, inter quos (1) Petrus Laurenius Germanus Theologiæ, & Juris Canonici doctor recentiſſimus lib. 5. tit. 19. de Uſuris q. 342. allegans Conſtitutiones, & Receſſus Imperii in materie uſurarum. ſcilicet in Comitiis Auguſtanis an. 1500. ſub Maximiliano, & in aliis item Auguſtanis Comitiis an. 1529. ſub Carolo V., & iterum ibidem ſub eodem Imperatore an. 1548., in Spirenſibus an. 1570. ſub Maximiliano II., *Harum Conſtitutionum, & Receſſuum æquitas, & juſtitia,* inquit, *fundatur præcipue in moderatione uſurarum, quæ alias per avaritiam hominum exceſſive exigebantur, & partim in præſumtione tanti lucri ceſſantis, vel damni emergentis, vel alterius juſti tituli : prout clariſſime patet ex textu Receſſus Spiren-*

(1) Vide Petrum Laurenium lib. 5. tit. 19. de Uſuris q. 342., Pigler lib. 5. tit. 19. n. 8. & ſeqq., & alios.

renſis ſub Rodulpho II. In ſola Theologorum quorundam imaginatione cenſus perſonalis eſt. Ante hos, cum hæ leges propoſitæ fuerunt, contractus ille mutuum erat; & lucrum, ſecluſis juſtis titulis, erat uſura. Poſt horum adventum, idem contractus, re licet immutata, non eſt amplius quod ſemper antea fuit, ſed perſonalis cenſus, vel realis, vel ſocietas, uti aliis aliter ex circumſtantiis placet. Sola hujus ſyſtematis expoſitio luculenta refutatio eſt.

§. IV.

Si etiam implicite inirentur contractus, quos adverſarii comminiſcuntur, reciderent in mutuum, & ab uſura, vel injuſtitia purgari non poſſent. Peculiaris, & evidens demonſtratio adverſus depoſita apud mercatores, triplicemve cum iiſdem contractum.

11. QUod ſi etiam poneremus in contrahentibus voluntatem aliquam implicitam inveniri, nunquid contractus ejuſmodi, quoſcunque initos dicamus, ab omni uſura, vel injuſtitia purgantur? Nihil minus. Primo enim initi præferuntur contractus, quorum alii illiciti probabilius ſunt, alii dubii, omnes autem iis conditionibus, & pactis afficiuntur, ex quibus vel in mutuum uſurarium recidunt, vel ab injuſtitia liberari non poſſunt. Cenſus perſonalis, uti ab his Auctoribus accipitur, quam ſit per ſe iniquus oſtendimus Opuſcul. I. c. 4. §. 7., & eatenus Romana (1) Rota quamlibet Germanicam hujuſce cenſus conſuetudinem a nonnullis Auctoribus ingeſtam veluti corruptelam repudiavit. Realis vero cenſus, etſi per ſe juſtiſſimus ſit; hac tamen in ſententia iis pactis affectus, & circumveſtitus præſumitur, quibus reddit in mutuum, vel certe injuſtus eſt. Cum enim reſtitutio pecuniæ in omnem eventum exigatur; implicita ſi quæ eſſet cenſus emtio, cautionem de omni periculo cenſuali fundi, ac redemtionis pactum venditori impoſitum involveret, quæ ſimul juncta quam ſint iniqua, & in uſurarum fraudem inducta, demonſtratum arbitror eodem Opuſculo & capite §. 2. Idem eſt de ſocietate, cui duo pacta cautionis ſortis, & certi lucri in noſtro caſu implicite adjecta debent præſumi, unde trium contractuum pravitatem & malitiam Opuſculo II. monſtravimus: quod vel per plurimos trium contractuum defenſores verum eſt, ubi ea pacta libertati ſocii poſt ſocietatem permiſſa non ſunt, ut in noſtro caſu accidit. Vid. Opuſc. II. n. 30.

(1) Vide Rotam coram Manzanedo 25. Febr. 1552. poſt Concilium Decil. 365.

12. Aliud etiam peculiare contra hanc ſocietatem implicitam hic obſervandum adjiciam. Pecunia negotiatoribus hoc contractu credita *depoſitum* appellatur. At cum præter depoſiti naturam negotiationi permittatur, reſtituenda in alia ſpecie; hoc depoſitum tranſire in mutuum Romani Juriſconſulti prodiderunt. Vide L. 9. D. *De rebus creditis*, & leges 26. & 29. D. *Depoſiti vel contra*. Confer Auctorem Collationis Legum Moſaicarum cum Romanis. Hinc lucrum ex hiſce depoſitis exactum, vere eſt exactum ex mutuo, ac proinde uſurarium eſt; uti illud quidem uſuram eædem leges teſtantur. At in hoc contractu ut uſura eximatur, implicitam ſocietatem cum duplici memorata cautione contineri iſti Theologi dictitant. Merus fucus, & damnationis mera fraus hæc eſt: ſocietatis enim naturam nullam eſſe, ſed potius depoſiti, illud evidenter demonſtrat, quod pecunia hoc contractu negotiationi tradita, veri capitalis naturam non ſortitur, ut in ſocietate vera exigitur. Ponatur caſus, quo negotiatio male cedat, & negotiator bonis cogatur cedere. In hu-

Adverſus depoſita apud mercatores.

hujuſmodi caſibus hæc omnium ſocietatum conditio eſt, ut ex pecunia capitalis nomine expoſita creditoribus ſatisfiat; dein, ſi quid ſuperſit, inter capitaliſtas pro rata dividatur: ubi autem nihil ſuperſit, & multo magis ubi creditoribus haud integre ſatisfactum ſit, nihil capitaliſtis proveniat. In caſu autem memorati depoſiti, quo ex negotiationis jacturis integra creditorum ſolutio non ſupereſt, ipſi deponenti ſua pars pro rata adſignatur, & ſolvitur in aliorum creditorum rationem, ac ſi verus eſſet creditor ut ceteri, non autem capitaliſta; & quantum ipſi ſolvitur, tantum detrahitur ceteris, qui totum, quod capitalis nomine in negotiationem collatum eſt, ſibi jure vindicant. Itaque hoc depoſiti genus non habetur uti verum capitale, ac proinde vera ſocietas in eo nulla eſt; eaque adeſſe triplici illo contractu implicito prorſus fingitur. Neque dicas idcirco æque ſolvendum eſſe capitaliſtæ huic pecuniam deponenti uti creditoribus ceteris, quia negotiator, qui pecuniam in ſocietatem accepit, de eadem pacto cautionis addito ſpopondit. Eſto enim quod negotiator ob hanc cautionem ſolvere debeat acceptam pecuniam ex ſuis bonis, quæ habet, non tamen ex bonis ſocietatis, & capitalium, quæ creditoribus ipſo negotiationis, & ſocietatis jure in primis obligata ſunt. Negotiator ex hac cautione ſocietati adjecta creditorum juri præjudicare nequit, & ex ſuo ſpondere poteſt, non ex alieno: alienum autem eſt capitale, quod in decoctionibus creditoribus debetur; ita ut nihil citra creditorum fraudem cuipiam ſociorum tradi queat. Exemplum rem in aperto collocabit. Decoquit Sempronius, in cujus negotio erant ſcuta decem millia capitalis nomine, partim ſua, partim in veram ſocietatem ab aliis collata, & totidem decem millia a Titio tradita depoſiti nomine, aut triplici, uti præfertur, implicito contractu; & decoquit cum debito ſcutorum quadraginta millium. Æſtimantur Sempronii bona, nec reperiuntur in creditorum ſolutionem niſi ſcuta triginta millia. Decem millia a Sempronio, & ab aliis ejus ſociis capitalis nomine in veram ſocietatem collata iiſdem perierunt; et ſi quidem decem millia a Titio poſita fuiſſent uti verum capitale, veræ ſocietatis nomine, ipſi æque ac ceteris ſociis deberent perire, ut creditoribus ſolveretur quidquid in negotio, ac bonis Sempronii reliquum eſt. Ita ſingulis creditoribus ſolverentur ſcuta 75. in centum, et ſolum e centum ſcutis 25. ſcutorum jacturam facerent. At non perinde accidit. Cum enim Titius non habeatur uti ſocius capitaliſta, nec ejus nummi habiti fuerint uti capitale in veram ſocietatem collatum; cenſetur in creditorum numero, et eidem æque ac ceteris ſolvuntur ſcuta ſexaginta in centum; nam ut hęc ipſi ſolutio fiat, ſeptuaginta quinque in centum aliis ſolvi amplius non poſſunt. Hinc creditores Titii cauſſa perdunt ſcuta quindecim in centum, quæ eiſdem detrahuntur, ut ſua quota Titio ſolvatur Si is veram iniiſſet ſocietatem, id juſte fieri non poteſt; neque cautio eidem a Sempronio facta cavere potuiſſet cum creditorum damno, decerpendo iis, quod ipſis deberetur, ſi vera ſocietas extitiſſet. At re ipſa id aufertur, quod nec Titius ſocius, nec nummi ejus vero ſocietatis nomine traditi fuerunt; ſed verus et merus creditor eſt, et habetur uti reliqui; ac proinde inane, et commentitium eſt quod de ſocietate ejus implicita aſſeritur. Jacobus Savary, cujus auctoritas in negotiationis materie quanta ſit Opuſculo II. c. 3. §. 2. vidimus, contractum hujuſmodi, quo pecunia apud mercatores depoſita ad annuum lucrum, in ſimili decoctionis caſu, deponenti

ti reddenda eſt pro rata, æque ac creditoribus ceteris, a ſocietate alieniſſimum ſtatuit in Opere inſcripto *Le parfait negociant* tom. 2. parte 21. pag. 173. edit. Paris. 1736., Theologiſque quos impugnamus pudori eſſe deberet, ſuam ſententiam reprobari a mercatoriæ rei peritiſſimo, qui licet Theologum non agat, et nonnulla facilius prætereat, hanc tamen ſocietatem agnoſcere, ſibique ſuadere non potuit.

§. V.

Hoc ſyſtema ex ſacra auctoritate refellitur. Ejus novitas errori deputanda. P. Euſebius Amort iterum impugnatur. Concluditur definitione Gregorii XIII., quę controverſiam aperte dirimit.

Ex novitate refellitur.

23. SEd his, aliiſque rationibus omiſſis, ſi ad ſacram auctoritatem, et dogmatica principia hoc ſyſtema revocemus, nihil dubii ſupererit. Primo a rerum dogmaticarum naturam tenentibus, quæ a novitate omni maxime abhorrentes, ſoli antiquitati nituntur, novitium hoc ſyſtema ex ipſa novitate reprobatum cognoſcetur. Omnia quæcunque ad fidem, et mores recte inſtituendos neceſſaria ſunt, Chriſtus Eccleſiam docuit, vel Spiritus ejus, quem *omnia* docturum ille pollicitus eſt. Hinc falſitati, et errori ſemper adſcriptum eſt a Catholicis quidquid in doctrina fidei, vel morum novum eſt, multo magis ſi contra doctrinam Patrum inveniatur. Porro ſemper, et apud Hebræos, et apud Chriſtianos, pecunia quærentibus credita fuit lucrandi animo, et animo quidem lucrandi *omni meliori modo de ſuo*, ut nunc a noſtris hominibus dari præfertur. Data item fuit iis, qui vel prædia habebant, vel negotiabantur, vel perſonali vivebant induſtria. Si ſyſtema, de quo agimus, verum eſt; cum ejuſmodi homines æque ſemper pecuniam crediderint, ac noſtri credunt; æque ac noſtri contractum aliquem licitum implicite iniiſſent, quo ab uſura purgarentur. Non ſolum autem neç Scriptura, nec Patres hanc excuſationem non memorant; ſed damnantes potius uſuræ omnes ejuſmodi contractus, nullum licitum contractum implicite initum credidere. Videant num ignorantiam hujus ſyſtematis Auctores iſti Deo, & Patribus vertere audeant, quod uſuram in dictis caſibus damnantes, hanc implicitam voluntatem non attenderunt. Verum ſi Deus, & Patres hoc ignorarunt juſtum; novum, & injuſtum exinde hoc ſyſtema probatur. Num enim Deus, qui omnia pernoſcit, damnare potuiſſet Hebræos, qui pecuniam dabant prædia poſſidentibus, & eadem obligantibus, ut habetur Eſdræ 10., quos noſtri Auctores impliciti realis cenſus nomine excuſant, ſi hanc excuſationem ratam habuiſſent? Similiter SS. Patres pecuniam datam memorant iis, qui campos, vel domos habent, ut ex SS. * Ambroſio, Auguſtino, aliiſque cognoſcitur; num uſuræ crimen potuiſſent illis impingere, qui ex noſtris Auctoribus contractum implicitum realis cenſus vere ſtipulati ſunt? Contractus antichryſeos, vel fiduciarius, qui ad eundem cenſum ab iiſdem Auctoribus redigitur, ſi hæc ratio valeat, non erat nec a Patribus, nec a Canonibus, nec a Pontificibus uſuræ damnandus. Pontifices cum uſuræ damnarunt cambia ſicca, vel depoſita apud mercatores, quæ implicitum ſocietatis contractum per eos Auctores involvunt, eodem errore,

Adverſatur Scripturæ, ac Traditioni SS. Patrum.

* Ambr. de Tobia c. 7. Aug. ſerm. 239. n. 5.

vel

Digitized by Google

vel ignorantia præoccupati dicendi eſſent. Quin cum nulli fere credatur pecunia, qui vel bona immobilia non habeat, vel negotiationi cuipiam non ſtudeat, vel ex aliqua induſtria non lucretur, ac proinde qui aliquem alium contractum ex his Scriptoribus implicitum non recipiat; nullus fere erat a Deo, nec a Patribus uſuræ damnandus, ac propterea uſura nulla fuit, vel ſaltem non ita frequens, ac late patens, ut iidem prodidere. Quid quod lucrum id genus, quod ejus impliciti contractus nomine ab hiſce Auctoribus legitimum præfertur, reſtitutioni male fuiſſet ſubjectum a Conciliis, & Pontificibus, cum præſertim ab iis perceptum fuerit, qui illud *quaſi licite* ex vulgari errore, ac praxi exigebant, ut in Lateranenſi an. 1179. agnitum fuit? Hi profecto (ſi unquam alii) bona quadam fide lucrati, implicitum legitimum contractum iniiſſe dicendi erant, ſi vera eſt iſtorum Theologorum ſententia. Nonne horrori hocce commentum eſt, quod ut noſtris hominibus ex eorundem Theologorum mente proſpiciat, Deo, & SS. Patrum Traditioni, ideſt divino verbo, Conciliis, & Pontificibus ignorantiæ, ac erroris notam inurit? Error potius hiſce Theologis tribuendus, ac ſyſtema ejuſmodi, tanquam novum, & Scripturæ, ac Traditioni contrarium, omnino repudiandum.

Objectio diluitur.

14. Opponet fortaſſe quiſpiam, ignoraſſe Patres ipſum realem cenſum, quem Eccleſia probat; quidni & implicitos contractus potuerunt ignorare? Quod ſi citra dogmatis præjudicium induci potuerunt cenſus reales Patribus ignoti, contractus quoque implicitos potuiſſe noſtris temporibus induci quis inficias eat? Cum nos hactenus non minus a Patribus, quam a Scriptura argumentum duxerimus adverſus novitium de implicitis contractibus ſyſtema; cur hac in objectione Deus Scripturæ auctor Patribus non jungitur? Puduitne Deo inſcitiæ notam inurere, Patribus autem, ideſt Traditioni non puduit? Sed preſſius ad rem. Cum realis cenſus idem ſit ac uſusfructus emtio, ut Opuſculo I. pluribus explicavimus; Patres, qui uſumfructum noverunt, realem cenſum reipſa non potuerunt ignorare. Solum cum ea tempeſtate non inductum fuiſſet uſumfructum, ſeu cenſum emere in rationem poſteriorum temporum; hujus contractus non meminerunt, quia non fiebat; non tamen eum condemnarunt unquam, ſicut nec uſumfructum damnarunt; & ſi quidem ita inductus, & initus fuiſſet ea ætate, uti poſteriori receptus fuit, non condemnaſſent. Cenſus realis, ſeu uſusfructus emtio non merum nomen eſt poſteriori ævo inductum ad uſuram tegendam, ſed verus, ac legitimus eſt contractus, qui cum re ipſa a mutuo prorſus diſcrepet, uſuram non recipit. Cum SS. Patres uſuræ damnarunt quoſdam Chriſtianos veteres, non hunc realem cenſum damnarunt, quaſi ignorarent ;licitum, ſi factus fuiſſet, ſed quia hic contractus re non fiebat, & mutuum fiebat uſurarium; non realem cenſum, ſed uſuram in mutuo damnarunt. Si illi, qui contractum implicitum inducunt, aliquid re immutarent in contractibus hominum, quod Patrum ætate non fuerit, ita ut noſtri contractus, ſaltem implicite, alii vere eſſent a mutuo; nihil Patrum corundem teſtimonia adverſus hos probarent, nihilque ego reponerem. At cum contractus hominum, de quibus loquimur, iidem ſint nunc, ac qui Patrum tempore fuerunt, eodemque plane modo, ac mente fiant; qui hos contractus a Patribus uſuræ damnatos, impliciti contractus nomine nunc nituntur defendere; hi non novum contractum, ſed in eodem contractu veteri novum nomen, no-

Digitized by Google

vamque doctrinam inducunt. Quod novi inducantur contractus, qui apud veteres non fuere, dogmati, ac Traditioni Patrum nihil præjudicii creat. His ſolum opponitur; ſi nova inducatur doctrina; ac propterea hoc ſyſtema implicitorum contractuum, nullum novum contractum inducens, ſed meram doctrinam novam; dogmaticæ, ac traditæ Patrum doctrinæ oppoſitum, certiſſimo errori adſcribendum eſt.

Alia objectio P. Amort. 15. Atqui P. Euſebius Amort, ut hoc graviſſimum, & invictum argumentum declinet, inficiari non audet, SS. Patres implicitos id genus contractus uſuræ damnaſſe; at hanc damnationem non naturali, nec divino juri vindicat, ſed poſitivo, quo eoſdem Patres, & Concilia antiqua, uſuræ nomine latius extenſo, nonnullos contractus alias licitos uſuræ damnaſſe perhibet. In quinta enim obſervatione *Controverſiarum nov. moral.* ſic loquitur de antiquis Conciliis pag. 390. *Obſervo ſecundo, quod hæc Concilia ſub nomine uſuræ aliud intellexerint, quam nunc in definitione uſuræ comprehendi ſolet, videlicet omne lucrum etiam ex contractu ſocietatis fructuum, aut cenſus realis, aut ſocidæ; ex quo manifeſtum eſt, ſignificatum, & definitionem nominalem hujus termini* uſura *mutari poſſe pro diverſitate locorum, & temporum*. Et iterum pag. 392. *Denique ex dictis ſequitur etiam hoc maximi momenti, ac profundè memoria inſculpendum corollarium, quod videlicet ſub generali nomine uſurarum, quas Concilia prohibent, comprehendantur non ſolum uſuræ naturali, & divino jure prohibitæ, ſed etiam jure poſitivo prohibitæ; conſequenter & hæc quoque materia pertinet ad diſciplinam variabilem pro diverſitate locorum, & temporum quoad ea, quæ non ſunt juris naturalis, & divini*. Et ſimiliter de Patribus pag. 394. *Patres ſub generali nomine uſurarum, quas generaliter inſectantur, comprehendunt ſine omni diſtinctione etiam uſuras juris poſitivi v. g. cenſus reales, & perſonales*. Cum porro poſitivi juris uſura ad diſciplinam pertineat, quæ mutari poteſt, haſce uſuras ex illicitis fieri poſſe licitas idem Auctor contendens, Theologorum recentiorum, qui hac diſtinctione inter uſuras juris naturalis, & poſitivi ſepararunt, & contractuum implicitorum ſyſtema induxerunt, hoc beneficium maximum habendum eſſe prædicat, ut videre eſt pag. 390. & 393. Ne autem Patribus, & Conciliis errorem, aut confuſionem videatur ingerere, concedit apud eoſdem locum non fuiſſe ejuſmodi contractibus implicitis cenſus, ſocietatis &c., quia cum hi contractus impliciti ab iiſdem & Conciliis, & Patribus uſuræ damnati fuerint, in hiſce caſibus *conſtituta fuit nova lex circa uſuras juris poſitivi, ob analogiam rationum*. Nunc autem Theologorum eorundem ope, qui exactius diſtinxere quæ apud Patres fuerunt uno ſermone prohibita, eam legem perhibet abrogatam, ac licitum eum contrahendi modum præfert.

16. Hic quidem Auctor melius præ ceteris hoc ſyſtema explicavit, ſed ipſa ejus explicatio ſatis aperta condemnatio eſt. Patres, & Concilia, cum prohibuere uſuras, novam legem tuliſſe, qua cenſus reales, ac legitimos, veraſque ſocietates uſuræ nomine prohibuerint, nuſpiam probabitur. Societates enim veræ ſemper fuere licitæ, nec unquam improbatæ ullo Canone inveniuntur: & ſimiliter cenſum verum, ac legitimum non reprehendit unquam antiquitas, ſicut nec legitimos titulos lucri ceſſantis, ac damni emergentis, ut pluribus lib. VI. de Jure divino, & naturali circa Uſuram oſtendi c. 2. & 6. Solum uſuræ reprobavit contractus, qui uſurarii ſunt, vel uſuram involvunt, ac tegunt. Hi autem non poſitivo, Solvitur.

ſed

ſed divino, ac naturali jure illiciti habendi. Quod ſi eadem antiquitas, ac Traditio Patrum contractus memoratos implicite initos non probavit, damnavitque potius uſuræ caſus eos, qui ex iſtorum Auctorum ſenſu implicitum aliquem contractum continent; id non eam habet cauſſam, quia prohibuerit quod per ſe licet; ſed quia ejuſmodi contractus implicitos non agnovit, vel in iis, ubi impliciti finguntur, non liciti, ac legitimi contractus, ſed vera uſura continetur, & proditur. Hæc quidem Amort explicatio nova eſt, ac niſum ejus novum, ac inanem ad uſuram excuſandam manifeſtat. Quid dicet de Scriptura Sacra, quæ eandem uſuram in iiſdem contractibus implicitorum contractuum explicationem ferentibus damnat, ut vel ex loco Eſdræ probatum eſt? Num poſitivum jus, & non potius divinum, ac naturale immutabile in hoc divino teſtimonio agnoſcendum? Cum nulli afferantur, nec afferri poſſint Canones, qui contractus ſocietatis, ac cenſus legitimos vetent; quis poſitivo jure hos contractus vetitos comminiſci queat? Canones, & Patres iis in teſtimoniis, in quibus uſuram damnant, quam noſtri Theologi, ſocietatis, cenſus, aut alius impliciti contractus nomine purgare ſtudent, non novam legem tuliſſe probabuntur, qua uſuræ vitio prohiberent quod alias licet; ſed quod aliunde illicitum, & uſurarium in ſe eſt, vetare, & condemnare ipſa eorum verba ſatis præferunt. Implicitos, ac legitimos ſocietatis, & cenſus contractus in illis caſibus videre, eſt ſomnium ſomniare, quod Patres, & Canonum auctores a ſomniis alieni nequaquam viderunt: nec niſi verum mutuum, & vera uſura in illis caſibus agnoſcenda eſt, in quibus iidem Patres, & Canones uſuram ex ſolo mutuo proficiſcentem condemnarunt. Hinc non minus antiqui Patres, & Canones, quam recentiores, una cum omnibus Epiſcopis, & Pontificibus uſuram condemnarunt in caſibus iiſdem; quin & Theologi plerique, etiam benigniores, titulos varios exquirentes unde uſuram diluant, non contractus ullos implicitos, ſed verum mutuum, quod unum titulis eget ad uſuram ablegandam, ibidem ineſſe confeſſi ſunt.

17. Sed ne quis dubitationi aditus pateat, hanc controverſiam expreſſe definivit Gregorius XIII. eo documento, quod in fine Operis de jure divino, ac naturali circa uſuram edidimus. Is enim Pontifex interrogatus a piiſſimo Guilelmo Bavariæ Duce de eo contractu, qui in Germania uſitatus, a Theologis memoratis cenſus perſonalis, aut alius impliciti contractus nomine purgatur, Germanicis legibus, conſuetudine, atque populorum bona fide (quæ eſt adverſariorum hypotheſis) nihilum conferentibus, ut in ipſo Decreto legitur, uſurarium eſſe definivit, hanc rationem ſubjiciens: *Neque enim ad aliam ſpeciem, quam mutui, & lucri ex mutuo percepti reduci poteſt.* Cum definiverit eum contractum noſtris omnino ſimilem non ſolum eſſe mutuum, verum etiam *non poſſe ad aliam ſpeciem reduci, quam mutui*; non poteſt igitur nec cenſus, nec ſocietas, aut alius implicitus contractus haberi, irritoque conatu illi nituntur, qui merum, & verum mutuum ſtudent ad implicitum aliquem contractum reducere, ad quem, teſte eodem Pontifice, reduci nequit. Utris potius credendum, Pontificine definienti in Traditionem Patrum, Canonumque ſententiam, an Theologis iſtis, qui ex ſuo ſenſu novum hoc ſyſtema produxerunt? Poſt tam expreſſam definitionem plura addere (ut ex aliis Eccleſiaſticis documentis poſſem) opus non eſt. Cum hoc documentum in Mſſ. deliteſcens igno-

Gregorii XIII. definitio.

ignotum eſſet, indulgendum aliquid eſt illis Scriptoribus, qui poſt Gregorium contraria inſcii ſcripſere. At edita jam per nos hac inſigni Apoſtolicæ Sedis ſententia, nulla amplius excuſatio eſſe poteſt. Igitur qui horum Theologorum auctoritatem ſecuti hoc ſyſtema hactenus defenderunt, Pontificiæ definitioni nunc jam cedentes, novitatem deſerant, & in Patrum, Canonum, ac Romanæ Eccleſiæ doctrinam plane tranſeuntes, nolint amplius pro implicitis, ſeu potius confictis ejuſmodi contractibus dimicare.

Digitized by Google

MONUMENTA
IN SUPERIORIBUS OPUSCULIS ALLEGATA.

MONUMENTUM I.

Apoſtolica litera Paulli III. pro Mutinenſi Monte Pietatis, ex libro Statutorum, & Ordinationum ejuſdem Montis pag. 54. Eadem in Regeſtis Vaticanis laudati Pontificis inveniuntur.

PAULLUS PP. III.

AD futuram rei memoriam. Charitatis opera, quæ Salvator noſter Jeſus Chriſtus, cujus (licet immerito) vices in terris gerimus, 22. Junii 1542. dum in hoc mundo maneret ſæpius commendavit, & fieri præcepit, exerceri deſiderantes, ea quæ pro eorundem operum exercitio neceſſaria ſunt libenter concedimus, & alias deſuper officii noſtri partes interponimus, prout in Domino conſpicimus expedire. Cum itaque, ſicut dilectus filius noſter Jacobus tituli S. Callixti Presbyter Cardinalis Sadoletus nuncupatus Nobis nuper expoſuit, in Civitate Mutinæ ejus patria unus Mons Pietatis appellatus, ex cujus pecuniis quampluribus ipſius Civitatis pauperibus, qui pignoribus traditis nil aliud prætereà ultra ſortem principalem, quam unum denarium monetæ ipſius Civitatis pro qualibet libra denariorum ſimilium pro tempore mutuata, pro expenſis, quæ pro ipſo Monte ſuſtinendo neceſſariæ ſunt, ſingulis menſibus ſolvunt, in eorum neceſſitatibus ſubvenitur, non minus provide, quam pie inſtitutus reperiatur; & ob id, quod ex pecuniis ipſius, quæ modicæ ſunt, omnibus indigentibus ſubveniri non poteſt, multos ſæpè cogi pecunias eis neceſſarias ſub maximis uſuris ab Hebræis fœneratoribus accipere, ſicque eorum etiam quandoque ampla patrimonia, voragine uſurarum hujuſmodi, tractu temporis penitus extenuari, ac accipientes ipſos ad extremam inopiam redigi; expediatque, ad indigentium neceſſitati, & illorum bonorum conſervationi ſalubriter conſulendum, ac deteſtabiles uſuras hujuſmodi tollendum, pecunias ejuſdem Montis ita aliqua proviſione augeri, ut ex illis omnium inopiæ ſuccurri poſſit. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dilecti filii Conſervatores dictæ Civitatis, & ii, qui curam dicti Montis gerunt, qui rem hanc ipſi Jacobo Cardinali enarrarunt, ſeu ſignificarunt, eum rogando, ut ſuper hoc pio Opere apud nos intercederet, indubie credant, quod multi pecunias ſuas in agrorum, ſeu mercium emtiones erogaturi, eas po-

tius

tius zelo charitatis, & boni operis, quam lucri aviditate, ſi id eis liceret, libenter ponerent, dummodo non omnino commodo ipſarum pecuniarum carerent, ſed ex illis aliquod ſubſidium pro illorum neceſſitatibus ſublevandis licite conſequi, & ſic poſitas pecunias quandocunque repetere, & exigere, ac eis reddi, & reſtitui poſſent, ſicque deſideratum, & neceſſarium dicti Montis pecuniarum augmentum proveniret, præfatus Jacobus Cardinalis Nobis, dictorum Conſervatorum, & curam gerentium nomine, humiliter ſupplicavit, ut pro tam neceſſario, & pio pecuniarum Montis augmento hujuſmodi paterne conſulere, & neceſſaria concedere, ac alias in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnibus, & ſingulis, qui aliquas pecunias in dicto Monte ad effectum prædictum pro tempore poſuerint, ſi eas alias, ut præfertur, in bonorum ſtabilium, aut aliarum rerum, vel mercium emtiones, ex quibus majora lucra habere potuiſſent, expoſituri fuiſſent; pro pecuniis ſic poſitis quinque pro centenario, ſingulis annis, ab eiſdem curam gerentibus conſequi, & percipere, & tam ipſi, quam eorum heredes, vel ii, quibus pecunias ipſas legaverint, ſeu alias reliquerint, eas ad eorum libitum repetere, & exigere, & curam gerentes prædicti eis reſtituere, & ſolvere, & ab iis, quibus pecunias ipſas mutuaverint antiquum denarium pro expenſis hujuſmodi, & tantum, quantum creditoribus earundem pecuniarum ſolvere tenebuntur, non tamen ultra dictam rationem quinque pro centenario, petere, & exigere, ac conſuetudinem, & modum hactenus per eos circa exercitium curæ dicti Montis, & illius pignorum venditionem laudabiliter ſervatos, dummodo alias liciti fuerint, ſervare, attendere, & continuare libere, & licite, ac ſine aliquo conſcientiæ ſcrupulo poſſint, & valeant auctoritate Apoſtolica licentiam per præſentes concedimus. Non obſtantibus præmiſſis, ac Lateranenſis Concilii noviſſime celebrati, quatenus præſentibus obſtent, ac aliis Apoſtolicis, in Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, ac quibuſvis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis. Quibus omnibus, illorum tenores præſentibus, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, pro ſufficienter expreſſis habentes (illis alias in ſuo robore permanſuris) hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die 22. Junii 1542. Pontificatus noſtri Anno octavo.

Blo. El. Fulgin.

MO-

Digitized by Google

MONUMENTUM II.

Alia ejuſdem Paulli III. litera, ſuppoſititia tamen, pro Ferrarienſi Monte Pietatis, ut afferuntur a P. Zacharia Paſqualigo Deciſionum Moralium deciſ. 183. pag. 159. edit. Veron. an. 1641., & totidem fere verbis corrupte leguntur in Ms. poſterioris ætatis inſcripto Monte di Pietà, *quod ſervatur in Archivio Archiepiſcopali Ferrarienſi, ſine ulla notatione exſcriptoris, aut authenticitatis. Deſunt etiam hæ literæ in Regeſtis Vaticanis; & de harum ſuppoſitione plura diſſeruimus Opuſculo I. cap. 3. §. 3.*

PAULUS PP. III.

AD futuram rei memoriam. (1) Charitatis opera, quæ Salvator noſter Jeſus Chriſtus, cujus, licet (2) immerito, vices in terris gerimus, dum in hoc Mundo maneret, ſæpius commendavit, et fieri præcepit, exerceri deſiderantes, ea quæ pro eorundem operum exercitio neceſſaria ſunt libenter concedimus, et alias deſuper officii noſtri partes interponimus, prout in Domino conſpicimus expedire. Cum itaque (3) ſicut dilecti filii Conſervatores, et Præſidentes Montis Pietatis Ferrariæ Nobis nuper exponi fecerunt, cum licentia alias ipſis Conſervatoribus, et Præſidentibus mutuandi pauperibus egenis ſub pignore ad rationem unius tantum denarii pro libra March. ultra ſortem quolibet menſe perſolvendi a Sede Apoſtolica conceſſa, adeo proficua fuerit, ut quamplurimos a voragine Hebræorum immenſis uſuris Chriſtianorum ſubſtantias omnes abſorbere ſolitorum liberaverit; multique Chriſtifideles attendentes propterea magnam ex hac (4) re publicam provenire utilitatem, plura bona ipſi Monti (5) donaverint, et reliquerint, ex quibus idem Mons ita crevit, ut a certo tempore citra eiſdem pauperibus a viginti ſolidis Marcheſan. infra abſque ulla ultra ſortem ſolutione mutuetur, in maximum miſerabilium perſonarum ſubſidium: (6) iidem Conſervatores, et Præſidentes deſiderantes propterea dictum Montem magis augeri, ut in majori etiam ſumma pauperibus, quorum numerus ob malam temporum conditionem crevit, abſque ulla ultra ſortem (7) ſolutione mutuari poſſit; ac pie conſiderantes multa in dicta Civitate facta eſſe, et in dies fieri pecuniarum depoſita, tam penes campſores, quam alias perſonas diverſas, partim pro reſtitutione dotium facienda, partim etiam ut in emtionem bonorum ſtabilium convertantur, ac ob alias diverſas cauſſas, ex quibus interim nullum lucrum percipitur; multaſque etiam perſonas (8), ut pupil-

10. Julii 1548.

(1) Hæc prima periodus exſcripta ex Brevi pro Monte Mutinenſi ſuperius edito;
(2) Ms. Ferrar. *immeriti*.
(3) *Sicut* deeſt in Ms Ferrar.
(4) Ms. Ferrar. *reipublicæ*.
(5) Ibi legitur *locaverint*.
(6) Ibi *iidemque* & deeſt verbum, quod hoc nominativo regitur.
(7) In eodem Mſ. deeſt *ſolutione*.
(8) Mſ. Ferrar. *& pupillos*.

pillos, et viduas, ac alios mercaturæ exercendæ inhabiles, (9) aut illam ob periculum etiam animarum exercere nolentes, (10) pecunias habere, quæ nihil utilitatis afferunt; et (11) ſi dictis Conſervatoribus, et Præſidentibus, ut de his, quę ex dicto denario, qui pro libra ultra ſortem mutui ſolvitur, proveniunt, pecunias in dicto Monte ponentibus libras quinque March. quolibet anno pro centenario ultra ſortem ſolvere, et his qui in dicto Monte pecunias ſolvere vellent, ut pro illis quinque libras March. etiam pro centenario ultra ſortem abſque conſcientię ſcrupulo percipere poſſent, prout et ſimili Monti Pietatis in (12) Bononienſi, et (13) Mutinenſi Civitatibus alias ab eadem Sede conceſſum extitit, concederetur; dicta depoſita, ſeu illorum major pars penes dictum Montem fierent, (14) dictęque perſonę pecunias habentes, illas (15) libentius in dicto Monte, quam in quovis alio exercitio ponerent, ex quo profecto ipſe Mons tantum reciperet incrementum, ut non ſolum a dictis viginti ſolidis infra, ut nunc ſit, ſed etiam in majori ſumma pecunię pauperibus (16) abſque ulla ultra ſortem ſolutione mutuari poſſent, dictorumque pauperum ſubventioni maxime conſuleretur. Quare pro parte ipſorum Conſervatorum, et Pręſidentium nobis fuerit humiliter ſupplicatum, ut eorum deſiderio in hujuſmodi (17) tam pio ſanctoque opere annuere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eiſdem Conſervatoribus, et Pręſidentibus, aliiſque officialibus dicti Montis nunc et pro tempore exiſtentibus, ut quaſcunque pecuniarum ſummas a quibuſcunque perſonis in depoſitum ad effectum prędictum tantum accipere, et pro illis eiſdem perſonis deponentibus ultra ſortem ad rationem quinque librarum March. quolibet anno pro centenario ſolvere; ipſęque perſonę deponentes pro pecuniis depoſitis, ſeu deponendis hujuſmodi ultra ſortem dictas quinque libras Marcheſan. pro centenario recipere libere, et licite, ac abſque aliquo conſcientię ſcrupulo, ſeu peccati reatu, ac cenſurarum Eccleſiaſticarum incurſu poſſint, et valeant, perpetuo concedimus, et indulgemus, ac licentiam, et liberam facultatem impartimur. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac etiam in quibuſvis tam generalibus, quam ſynodalibus, (18) et Lateranenſis Concilii edictis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, et ordinationibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Dat. Romę apud Sanctum Marcum ſub anulo Piſcatoris die x. Julii 1549. Pontificatus noſtri anno decimo quinto.

(19) Blo. El. Fulgin.

MO.

---

(9) *Vt* pro *aut* in eodem Ms.
(10) Ibi *pecuniam*.
(11) Hic videtur aliquid deeſſe.
(12) Nunquam Monti Bononienſi conceſſum id fuit.
(13) Mutinenſi Monti conceſſum ſolummodo fuit ex titulo lucri ceſſantis, ut videre eſt ex Monumento 1.
(14) In Ms. Ferrar. *quod perſona* pro *dictaque perſona*.
(15) Hæc verba *libentius quam in quovis alio exercitio ponerent* indicare videntur eas ſolas pecunias, quæ in aliqua utili negotiatione, vel emtione prædii collocarentur, unde ſi hoc unum probatum fuiſſet, ſolus caſus, & titulus lucri ceſſantis fuiſſet probatus, ut in Mutinenſi Monte.
(16) Nemo concipere poteſt, quomodo hic, uti & ſuperius, affirmetur *abſque ultra ſortem ſolutione* pecunias mutuandas eſſe; & nihilominus quinque pro centenario pecunias deponentibus provenire poſſent.
(17) Ms. Ferrar. *tam pro ſancto opere*.
(18) In eodem Mſ. *etiam Lateranenſis Conciliis edictis generalibus*.
(19) Hæc ſubſcriptio apud Paſqualigum deſideratur: legitur autem in Ms. Ferrarien.

MONUMENTUM III.

Julii III. litera pro Monte Pietatis Vicentino, ex Capitulari ejuſdem Montis.

JULIUS PP. III.

AD futuram rei memoriam. Salvator noſter Jeſus Chriſtus, cujus vices immeriti gerimus in terris, triduo antequam pateretur, ea quibus potiſſimum mediantibus fideles ſui in extremo judicio ęternam felicitatem aſſequi poſſent, Nobis in diſcipulorum ſuorum perſonis inſinuans, omnia illa fraternę pietatis opera in pauperes charitative impenſa paternum ea agentibus regnum promereri teſtatus eſt, cujus ſalubria monita Nos paſſim (ut par eſt) adimpleri cupientes, illa, cum a Nobis petuntur, libenter concedimus, per quę pauperum ipſorum ſubventioni, piiſque fidelium id obnixe efflagitantium votis non indigne conſuli perſpicimus. Dudum ſiquidem (ut dilecti filii Rectores, Deputati, & Conſiliarii Civitatis Vicentiæ Nobis nuper exponi fecerunt) poſtquam in dicta Civitate Mons Pietatis in maximum pauperum ſolamen, & refrigerium, nec parvum ipſius Civitatis decus, & meritum retroactis temporibus inſtitutus, & in illo aliquot ſcutorum millia per dilectos filios communitatem, & ſeu nonnullos particulares illius Cives cum emolumento quinque pro centenario in Miniſtrorum inibi deſervientium ſubſtentationem convertendo pie collata etiam cum Sedis Apoſtolicæ auctoritate fuerant; unde pecunia varia, non tamen ultra quinque ducatos pro ſingulo pignore, diverſis pauperibus cum minimo illorum intereſſe præſtabatur; tandem multitudine populi ipſius Civitatis, ejuſque Diſtrictus in dies (benedicente Domino) non mediocriter creſcente, cum pariformiter egenorum numerus augeretur, nec crebris illorum neceſſitatibus ob exiguum Montis peculium facile ſubveniri poſſet, dicti Rectores, Deputati, & Conſiliarii provide conſiderantes, ipſum Montem ſingulis pauperibus, & afflictis perſonis tanquam certiſſimum aſylum, ſacramque anchoram a pientiſſimis parentibus, & anteceſſoribus ſuis charitative conſtitutum, multiplicatis ſubinde oneribus adeo ſuccumbere, ut nedum quinque ſuper unoquoque pignore, prout antiquitus aſſueverat, ſed ut plurimum vix unum ducatum commodare valebat; ac propterea anguſtis illius rebus ſuccurrere volentes, nec non Montis Veronenſium, in quo ſimilis præſtandi modus ex (1) indulto, ut creditur, Apoſtolico inoleverat, ordinationibus inhærentes, die vigeſima ſeptima menſis Novembris Anno Domini 1547. decreverunt, & ordinaverunt quod *ſalvis, & integris remanentibus antiquis ejuſdem Montis Vicentiæ Ordinibus, & Capitulis* deinceps perpetuis futuris temporibus omnia, & ſingula pecuniaria depoſita, etiam quæ in dicta Civitate actualiter fiebant, & quæ in poſterum fieri contingeret, ſuper eodem Pietatis Monte fieri poſſent, factaque in uno particulari libro per pro tempore exiſtentem ipſius Montis Theſaurarium cuſtodiendo deſcribi, & annotari, ac Theſaurarius 1. Jan. 1554.

(10) Nullum indultum Veroneſi Monti hoc tempore conceſſum ex eo patet, quod ipſi Veronenſes paulio poſt approbationem Apoſtolicam petiere. Vide Monumen. 4., & confer quæ diximus Opuſc, I. n. 12.

rius ipſe, reſtitutione alicujus depoſiti hujuſmodi pro tempore imminenti, illud infra unum menſem, a die intimationis ſibi deſuper factæ computandum, omni mora ſublata, ac quibuſvis ſequeſtrationibus, vel interdicto, ſeu alio impedimento, ex quavis cognita, vel incognita cauſa deſuper emanatis non obſtantibus, integre reſtituere deberet; & ut hujuſmodi depoſita promptius, & minori deponentium incommodo fierent, quod quicunque pecunias (ut præfertur) deponeret, pro illarum utili, & emolumento quatuor pro centenario ab eodem Monte, vel ejus Præſidentibus annuatim reciperet, omniaque, & ſingula præfati Montis bona illi pro ſui cautela, & præmiſſorum obſervatione obligata forent, & eſſe cenſerentur. Et, ut eadem expoſitio ſubjungebat, licet Decretum hujuſmodi in. evidentem pauperum ſubventionem, nec ſine exemplo vicini Montis Veronenſis prædicti emanaverit, ac pluribus depoſitis poſtmodum per vari-
** leg. paucum* os Chriſtifideles inibi juxta illius tenorem bona fide factis non * pauperum egenis commodum, hoc præſertim difficili bellorum tempore peperit; quia tamen nulla in hoc auctoritas dictæ Sedis intervenit, Rectores, Deputati, & Conſiliarii præfati illud ſibi decernere non licuiſſe, nec obſervare licere, ſed ſe, ut eos, qui eodem decreto hactenus uſi ſunt, in hoc exceſſiſſe dici poſſe verentur, & ſi præſtandi ritus hujuſmodi jampridem
** forte quin* incoeptus auferatur, non dubium eſt * quam inter pauperes ab hoc tam præſentaneo ſuæ inopiæ ſolatio dietim graviſſimum ſcandalum oriretur.

Quare pro parte ipſorum Rectorum, Deputatorum, & Conſiliariorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in urgentibus pauperum neceſſitatibus hujuſmodi paterne conſulere, & aliis in præmiſſis opportune de be-
Notandæ cautiones. nignitate Apoſtolica dignaremur. Nos conſiderantes quod deponentes, qui ſoliti ſunt pecunias ſuas in negotiationem aliquam honeſtam, aut emtionem prædiorum convertere, dummodo aut merces promtas, aut prædia ad emendum parata habeant, ſimilem, aut majorem utilitatem ex converſione pecuniarum hujuſmodi percipere, & ideo eoſdem in futurum deponentes, & qui hactenus (ut præfertur) depoſuerunt in Monte Pietatis hujuſmodi nullatenus intentionem fœnerandi habuiſſe, & habere; ſed potius ex charitate in pauperes motos fuiſſe, & moveri, eorundem bonam intentionem agnoſcentes, & hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, decretum, & ordinationem præfatam quo ad eoſdem approbamus, & confirmamus; nec non ſibi, ac fidelibus ipſis, qui pecunias ſuas de facili, et commode in emtionem annuorum redditùum, ſive cenſuum licitorum, et permiſſorum, vel poſſeſſionum, ſeu prædiorum, ex quibus non ſolum quatuor, ut præfertur, ſed & quinque, & ſex, & forſan ultra pro centenario juxta illarum partium conſuetudinem percipere, & convertere poſſent, & nihilominus charitatis zelo, ut uberius dictis pauperibus ſubveniri poſſit, ac nullatenus animo, & intentione fœnerandi pecunias in dicto Monte poſt ipſum decretum depoſuerunt, & impoſterum deponent, quique ;illas accipiant, ut id illis ad rationem quatuor pro centenario facere liceat, ut præfertur, nec non quod ipſi deinceps ſuper hoc editis decreto, & ordinatione præfatis, omnibuſque, & ſingulis in eis contentis conditionibus, & cautelis licitis, & honeſtis, & ſacris Canonibus non contrariis uti, ac fructus dictarum pecuniarum ad eandem rationem ſolvere, exigere, & recipere abſque ullo conſcientiæ ſcrupulo, ſeu cenſurarum incurſu, ac aliis libere, & licite poſſint, & valeant Apoſtolica auctoritate tenore præſentium decernimus, & declaramus, ac illis plenam, ac liberam licentiam, & facultatem concedimus, & indulgemus. Sicque per quoſcunque Judices, & Commiſſarios, ſublata eis, & eorum cuilibet

qua-

Digitized by Google

quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate in quavis inſtantia judicari, & definiri debere, ac quidquid ſecus a quoque quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum, & inane decernimus. Non obſtantibus præmiſſis, ac Lateranenſis Concilii noviſſime celebrati, aliiſque Apoſtolicis, nec non Provincialibus, & Synodalibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris die VIII. Januarii MDLV. Pontificatus noſtri anno quinto.

Jo. Carmen.

Sylveſter de Garzatoribus Notarius regiſtravit.

MONUMENTUM IV.

Continet varia documenta pro Monte Pietatis Veronenſi præmiſſa Capitulis ipſius Montis pluries editis.

DECRETUM AUGUSTINI VALERII EPISCOPI.

Auguſtinus Valerius, Dei, & S. Sedis Apoſtolicæ gratia Epiſcopus Veronæ, & Comes, & in hoc negotio a S. Sede Apoſtolica delegatus Commiſſarius conſtitutus, & deputatus, ad perpetuam rei memoriam.

COgitantibus Nobis de univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ ſtatu, illud ſæpenumero ſolet in mentem venire, ex iis, quæ in ea ſunt Civitatibus, illas ceteris longe beatiores habendas, in quibus plura, majoraque pietatis officia exercentur, & vigent. Quandoquidem ad eas, a cujuſvis generis hoſtium, atque ingruentium malorum injuriis incolumes conſervandas, omnique rerum expetendarum copias augendas, ornandaſque nulla his præſtabilior inveniri ratio poteſt. Per hæc etenim maxime divinam gratiam ſibi conciliant; qua præſente nihil metuendum, atque adeo adeſſe putandum mali, nihil non ſperandum, atque abeſſe cenſendum boni. Quod ſi de ulla, de noſtra hac certe, cujus præcipue animarum cuſtodiæ, Dei, & Apoſtolicę Sedis gratia, & providentia annum jam decimum ſextum prępoſiti ſumus, videtur merito poſſe judicari. Ac illud quidem non minus admiratione, quam commendatione dignum eſſe videtur, quod in Civitate Veronæ ita pręclara pietatis inſtituta, & inſignia monumenta miro quodam ordine diſtributa ſunt, & variis rationibus confecta, ut nullum egeſtate laborantium hominum genus in ea reperiatur, cujus inopiæ & indigentiæ ſatis proviſum non ſit. Atque inter cetera charitatis adjumenta, & ſubſidia inventa, & parata illud mirifice commendandum eſt, quod Mons Pietatis appellatur, ex quo, tanquam ex uberrimo, & perenni publicæ benignitatis fonte, ea commoda, atque utilitates in rei pecuniæ anguſtia ad cujuſvis ſtatus homines Civitatis, & Diœceſis noſtrę aſſidue demanant, ac profluunt, quæ eorum neque fidem interdum, neque rem penitus ſinant concedere. 13. Feb. 1581

Hujus

Hujus nunquam ſatis pro dignitate laudati ſacri ærarii publici, ſive Montis anno abhinc nonageſimo, non magna quidem pecuniæ vi, ſed maxima profecto charitatis abundantia, jacta fuere fundamenta. Inde vero tot tantaque incrementa, & acceſſiones admirabili quodam divino ſubſidio ſuſcepit, ut nullus major, neque illuſtrior conſimilis Mons in quavis vicinarum urbium eſſe cenſeatur: cauſſa ejus inſtituendi hæc fuit. Invaſerant ea tempeſtate, & ita corroborabantur quotidie exitiales Hebręorum fœnerationes, ut miſerabili calamitate familiæ multæ hac teterrima peſte exhauſtæ everterentur, Cives quamplurimi ad mendicitatem redigerentur, & tota fere Civitas hoc execrabili morbo correpta langueret. Hæc ſaluberrimo Sereniſſimi Principis noſtri decreto tandem impiis, & voracibus fœnerationibus Hebræorum ejectis, & expulſis liberatur. Inſtituitur itaque Mons Pietatis, optimis quidem, & piis decretis, pecunia non grandi ſumma a Civibus gratuito pro neceſſitatibus pauperum ſublevandis exponitur. Nihil parumve propterea a pauperibus pecuniam inde mutuo ſumentibus exigebatur, niſi quod ad Miniſtrorum mercedes perſolvendas eſſet neceſſarium. Poſtea vero adeo magnos progreſſus Mons fecerat, ut pecunia gratuito depoſita huic tanto operi non ſufficeret, conducere itaque huic rei tunc Civitas arbitrata eſt, ſi Mons apud ſe deponentibus pecuniam de ſingulis centenis quaterna quotannis perſolveret; ſena vero ab iis, quibus eam accomodaret, exigeret; ut ex his quaterna, ut dictum eſt, ad deponentes redirent, in neceſſarias miniſtrorum mercedes abeuntibus reliquis binis: Si quid veroupereſſet egenis, & pauperibus religioſis erogaretur. Ne vero inopes, & miſerabiliores homines hoc incommodum de ſingulis centenis ſena pendendi ſubirent, alterum Montem parvum nuncupatum Civitas inſtituit, in quo minor quædam ſumma pecuniæ his pauperculis gratis (acceptis pignoribus) exhiberetur. Jam vero hac utilitate, & commodo de ſingulis centenis quaterna capiendi homines allecti, ac libera facultate arbitratu ſuo depoſitam a ſe pecuniam conſequendi permoti, undique ad Montem pecuniam conferebant, uſque adeo ut mirum in modum hac ratione ille in immenſum creverit. Verum cum ex eo negotiorum, & tantę adminiſtrationis molem priores ejus miniſtri ſuſtinere non poſſent, alius item Mons inſtituitur, quem medium appellarunt, unde aliam quandam pecuniæ parvam ſummam definitam, tamen aliquanto majorem, quam in parvo egeni gratuito poſſent habere. Cum vero ſuperioribus annis, antequam nos ad Epiſcopatum hunc gerendum electi eſſemus, diligentius, & accuratius Civitatis viri primarii Montis tantos progreſſus, & auctas rationes viderent, atque ſacrorum concionatorum, & virorum bonorum hortationibus excitarentur, admonerenturque in hac adminiſtratione fœnoris latere venenum, providendumque eſſe, ne ſub pietatis ſpecie in exigendis quotannis a Monte quaternis de ſingulis centenis fœnerationes committerentur; his illi animadverſis rationibus, habitiſque ſuper hac re publice multis conſultationibus, nihil præclarius a ſe ſtatui poſſe arbitrati ſunt, quam ſi rem totam ad Sanctam Sedem Apoſtolicam, cujus præceptis pro ſolita, debitaque ſua ſumma erga eam obſervantia ſemper hæc Civitas obtemperavit, & obſecuta eſt, interpretandam, & examinandam, ſive potius decidendam deferret. Quamobrem omnia ſua conſilia, & negotium ad pedes Sanctiſs. Pii IV. S. M. tunc Pont. Max. deponunt. Celebrabatur eo tempore ſacrum Concilium Tridentinum, cui inter ceteros Illuſtriſs. & Reverendiſs. Cardinalis Bernardus Navagerius fel. record. avunculus noſter, Apoſtolicus de latere Legatus præſidebat. Cujus cum ſummam prudentiam,

ani-

animi moderationem, & in rebus agendis longum uſum, cum ſapientia, & innocentia conjunctum, Summus Pontifex non ſemel expertus eſſet, ei tunc Eccleſiæ Veronæ adminiſtrationem Pontificiam gerenti, ac ſucceſſoribus ſuis totius rei negotium, prout ſibi juſtum viſum fuiſſet peragendum, Apoſtolicis literis committit. Illuſtriſs. Cardinalis rem omni ſtudio, & diligentia curandam amplectitur, ſummorum Theologorum, & Doctorum Sacrorum Canonum, qui tunc in Concilio aderant undique exquiſitis ſententiis, & adhibito conſilio, pro illius temporis ratione quaſdam confecit regulas, ſive cautiones adhibendas, & obſervandas in exponendis pecuniis ſuper Monte.

Declaratio Illuſtr. Card. Navagerii.

Cautionum autem, ſive regularum hæc fere forma fuit, ut qui pecuniam haberent paratam, & aut prædia, aut mercem, aut aliquid hujuſmodi ſimiliter in promtu, in qua paris, aut etiam majoris cum licití lucri ſpe eam revera collocare ſtatuiſſent, charitate erga pauperes moti, ſive etiam a Mag. Gubernatoribus Montis, vel aliis probis viris invitati, mutato conſilio, eodem, ac minori etiam ſuo certo cum lucro eam apud Montem depoſitam uſibus pauperum mallent inſervire. Vetitum eſſet hominibus Eccleſiaſticis, & aliis omnibus, quibus de jure non licet mercaturam exercere, & pecuniam cumulare, ex hujuſmodi depoſitis aliquam capere utilitatem.

Cautiones obſervandæ, de quibus infra ſit mentio.

Cautionibus iis confectis, morte præventus Illuſtriſs. Cardinalis, eas edere, & inchoatum opus abſolvere non potuit. Nos tanti viri, licet meritis imparibus, in Epiſcopatu ſucceſſores, eadem auctoritate Apoſtolica hac in re ad nos delata, Civitate hoc a nobis expoſcente negotium ſubinde aggreſſi ſumus, & non ſemel ſuper eo habitis doctiſſimorum Theologorum, & in utroque jure virorum eruditorum conſultationibus, nullum præſentius, neque præſtantius remedium tunc in medium afferri poſſe exiſtimavimus, quam ſi cautiones, & regulæ jam dictæ ab Illuſtriſs. Cardinali collectæ a nobis ederentur. Eas itaque Civitati promulgandas viſi ſumus; poſtea vero et Nos, tum publicis, tum privatis ſermonibus, et collocutionibus concionatorum, item ſacrorum, ac confeſſariorum crebris ſuaſionibus, et hortationibus, ut harum cautionum, et regularum præcepta ſincere, recteque obſervarentur, ſæpius hominum memoriam renovare ſtuduimus. His rationibus et regulis Mons circumſcriptus ſatis probe, et licite per id tempus adminiſtrabatur. Verum poſtea, hominum inconſtantia, vel potius calliditate, et nimia quæſtus, et lucri cupiditate, res paulatim labi, et de recta via deflecti cœpit. Senſimque eò deducta eſt, ut neglectis conditionibus, et cautionibus præſcriptis, plerique paſſim pecuniam etiam otioſam habentes, apud Montem eam deponerent, ea ſpe adducti, ut quaterna annua de ſingulis centenis lucrifacerent, & pro libito, & commodo ſummam depoſitam reciperent. Hoc novum malum pullulaſſe, & jam vires acquirere Nos animadvertentes, ne altius radices figeret, & Civitatem contaminaret, ſummo ſtudio curam adhibuimus. Interea etiam bonorum virorum ſermonibus Nobis ſignificatum fuit, alia pernicioſa, & deteſtabilia incommoda in Mentem irrepſiſſe. Nempe pecuniam ad pauperum civium, & egenorum res adverſas ſublevandas deſtinatam, externis hominibus, legum Civitatis violata religione, paſſim dari, ementitiſque, & falſis, ac ſuppoſitis nominibus ad prohibitas perſonas etiam Hebræas dedecorantes tantum pium opus, pervenire. Chirographorum quoque tantummodo, non pignorum (ut convenit) interpoſita cautione pecunias effundi. Hoc Nos tanto dolore affecti ſumus, ut nihil indignius, nihil minus ferendum videretur. Quamobrem cunctis viribus Nos

et Mon-

& Montis exiſtimationem, atque fidem tueri cupientes, & a tanto animarum detrimento eos omnes, qui in turpe hoc ſcandalum incidebant, & alios exemplo malo in eandem labem trahebant, prohibere volentes; de hac re ſæpius cum viris primariis Civitatis egimus, per ſacros concionatores palam, & Confeſſarios latentem infirmitatem, ut melius ſanari poſſet, patefieri curavimus. Illud vero omnium ſententiis neceſſarium fore exiſtimabatur ut Mons omnino aliqua ratione conſervaretur, tantum abeſſe diminutionem ejus utilem eſſe; et ſi id contingeret, tota fere Civitas maximo incommodo eſſet laboratura, familiæ innumerabiles pauperum civium, & domus ipſæ ad inopiam redigerentur, impiorum fœneratorum faucibus facultates civium abſorberentur, uſuris, & illicitis contractibus tota Civitas impleretur. Quod etiam ſapientiſſime videns Sanctiſs. Pontifex Pius IV. jam dictus, & ſtatum publicum, & commodum Civitatis conſiderans, tanti ponderis negotium non prætermittendum eſſe cenſuerat, propterea de eo accurate agendum pro Civitatis univerſo beneficio mandaverat. Quibus rationibus Nos permoti, omnes cogitationes noſtras, omnes curas in id conjecimus, ut tantis neceſſitatibus (Domino adjuvante) provideremus. In congregatione jampridem a nobis inſtituta, Pœnitentiariæ nuncupata, in qua Religioſi viri diverſorum ordinum Sacræ Theologiæ, ſacrorum Canonum, et juriſprudentię periti de rebus ad curam animarum pertinentibus conſulere ſolent, hoc negotium diligentiſſime, et accuratiſſime tractandum ſępe propoſuimus, de eo ſępius in congregatione diſputatum fuit, multę conſultationes habitę: aliquot etiam conventus apud nos facti, in quibus et viri ſacri Poenitentiariæ, et optimi Jur. Conſ. a Civitate ad hoc delecti convenere. Rem doctiſſime, et prudentiſſime tractarunt in omnes partes, mutuo conſilio diſputaverunt, gravi judicio ponderarunt, diligentiſſimeque examinarunt. Omnium ſententiarum, et conſiliorum conſenſione nihil utilius, et tutius fieri poſſe viſum fuit, quam ſi ad inveniendam licito modo pecuniam venditione bonorum Civitatis, et eorundem conductione ſub annua penſione, res contraheretur, imprimiſque abuſus exhibendi pecuniam externis, et aliis illicitis perſonis de medio tolleretur. De his rebus omnibus Nos paternis admonitionibus cum Civitate egimus, quæ incredibili benevolentia, et charitate erga pauperes ſuos cives, et agricolas, conſiliis, et decretis noſtris ſe obſecuturam pollicita eſt res omnes ſuas, bona, opes, facultates, ad rem tam neceſſariam conficiendam libenter expoſituram, viſcera denique ſua plane ſe aperturam ad civium ſuorum conſervationem tuendam demonſtravit. Cum vero Nos nihil aliud ad tantum opus conficiendum reſtare videremus, niſi ut Apoſtolica facultate (cujus tamen Sanctiſs. arbitrio, et beneplacito hæc omnia ſemper ſubjecta eſſe, et fore intelligi volumus) in literis Apoſtolicis, atque etiam a Sacro Concilio Tridentino nobis attributa, ut quod Nobis juſtum viſum eſſet ſtatueremus, Omnipotentis Dei implorata ope, conſilia ſanctæ Congregationis jam dictæ, et aliorum proborum virorum ſecuti, rem omnem ita dirigendam, diſponendam, et conficiendam decrevimus, et per has noſtras decernimus, et jubemus. Quod ſcilicet ſecundum legem in conſilio majori Civitatis ſancitam, proponente, ſive referente de hac re Mag. Eq. D. Thebaldo Lavagnolo Proviſore, bona manentia publica Civitatis cujuſcunque generis, ad eam ſummam, quæ Montis neceſſitati conveſtire exiſtimabitur, libere vendenda exponantur cuicunque emere volenti, eadem poſtea nomine Civitatis ad annuam penſionem quinam in centum conducantur, interpoſitis ſolitis legitimis, et canonicis formulis, ac etiam pacto bona vendita co-

Declaratio Reverendiſſ. Epiſcopi Veronæ.

ta eodem pretio quandocunque redimendi, & aliis clauſulis in hujuſmodi contractibus licite poni ſolitis, ita tamen, quod ex arbitrio, & fide bonorum virorum æſtimentur hæc bona; habita etiam ratione beneficii, commodi, & pacti redimendi, ut hæc penſio fructibus recte convenire cenſeatur. Venditiones vero hæ, & conductiones a Mag. Præſidentibus Montis commode fieri poterunt, ſi tanquam Procuratores, Syndici, & Adminiſtratores publici Civitatis conſtituti rem hanc totam peragendi poteſtatem habeant. Verum quoniam Civitatem, quæ ut pia mater bona ſua ad haſce egentium neceſſitates ſublevandas, charitate inducta, libereque exponit, gravari æquum non eſt, poſtulat ratio, ut & ipſa ab omni incommodo, & damno emergenti, quoad ejus fieri poteſt, illæſa ſervetur, præſertim cum magnas impenſas quotidie pro negotiis publicis ſuis exequendis facere cogatur. Itaque eiſdem Præſidentibus, & Adminiſtratoribus Montis curæ erit, ut in exhibitione pecuniæ conflatæ ex venditione bonorum Civitatis facienda offerentibus pignora, ab eiſdem qui pecuniam accipient datis pignoribus exigere ſtudeant retributionem annuam, quinam in centum, ad ſolvendas penſiones emtoribus bonorum Civitatis, & eam indemnem tuendam, ut ſupra demonſtratum eſt. Et ulterius aliquid moderatum, ad ſolas miniſtrorum impenſas, & aliarum rerum ad Montis conſervationem pertinentium, pro ejus indemnitate dumtaxat, neceſſarium abſque lucro Montis recipere poſſint. Ne vero vitium ullum unquam in hoc pium opus irrepat, omnes maculæ deleantur, omnia longe eliminentur peccata;

Nos Apoſtolica auctoritate, & Conciliari facultate jam dictis fulfulti, prohibemus, execramur, deteſtamur, ac ſub excommunicationis majoris, & anathematis latæ ſententiæ pęna (cujus abſolutionem nobis tantum præterquam in mortis articulo reſervamus) jubemus, ne ullo modo quiſquam, tam Prior, quam ex Præſidibus, & Gubernatoribus, & Miniſtris quibuſcunque Montis, vel quævis alia perſona cujuſvis qualitatis, ſtatus, & conditionis exiſtat, audeat leges, & ſtatuta, ac ordines Civitatis, & S. Montis imminuere, vel violare; ſcilicet mutuando pecunias exteris hominibus, vel Hebræis, vel ſe intromittere, aut coadjuvare ut mutuentur ſub falſis nominibus, aut aliis perſonis ſub quovis modo contra diſpoſitionem hujuſmodi Capitulorum, nec non fallaci, & ficta chirographi, non autem vera pignorum idoneorum interpoſita cautione alicui pecunias exhibere, contra eadem Capitula; pignora etiam cujuſvis qualitatis reſtituendo, aut accommodando domino pignoris, ſive alterius nomine abſque exhibitione totius pecuniæ pignoris, vel rei æquivalentis, contra Capitulum ſextum generalium, & in omnibus ut in dictis Capitulis diſponentibus de pignorum reſtitutione, & chirographis, nec non pignora exterorum, ſive forenſium, ut dicitur, remittendo quovis modo; vel pecunia S. Montis utendo quovis indebito modo per ſe, vel alios ad mercaturam faciendam, vel ad alium uſum contrarium legibus Montis, tam ex pecunia Montium pauperum, quam Montis majoris, etiamſi ſolvatur utile, in quam pœnam etiam incurrant illi, qui fecerint multas partitas in Montibus pauperum pro pecuniarum uſu contrario ordinum diſpoſitioni. *Excommunicatio.*

Si vero forte evenerit, quod tamen perraro eventurum putamus, ut ſint qui pecuniam de qua in jam dictis cautionibus in lucro verſari ſolitam, aut alioqui ad lucrum deſtinatam habeant, & charitate moti eam ad pauperum commodum apud Montem deponere velint, ut de ſingulis centenis quaterna quotannis lucrifaciant, eandem denuo quoties, & quan-

Onus Gubernatorum. docunque voluerint conſecuturi, omni cura, & ſtudio contendant Præſides Montis, ut omnino cautiones, de quibus ſupra mentio facta eſt, obſerventur, quarum exemplum in tabula deſcriptum omnibus legendum in Monte expoſitum habeant. Omnes arceantur, qui in hac re ſuſpicionem vel minimam præbuerint non habere omnes conditiones prædictas, neque niſi mature, & diligenter re perpenſa, ac deponentis pecuniam qualitate, & conditione inſpecta, hujuſmodi pecuniam accipiant, ne tam perniciosum peccatum uſuræ committentes, Dei indignationem, ultionemque & ipſi incurrant. Hæc autem omnia, & ſingula ſupradicta, nec non hoc noſtrum Decretum, & Conſtitutionem, Apoſtolica auctoritate, & facultate jam dictis nobis conceſſis, & impoſitis confirmamus, approbamus, & corroboramus, ac perpetuæ firmitatis, & inviolabilis executionis robur, & firmamentum habere volumus, & declaramus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis, conſuetudinibus, privilegiis, ceteriſque contrariis quibuſcunque, quæ idem Sanctiſs. D. N. Pius IV. in eiſdem ſuis literis Apoſtolicis non obſtare voluit, & mandavit. In quorum omnium, & ſingulorum teſtimonium has noſtras fieri, & per Cancellarium noſtrum infraſcriptum ſubſcribi, ac ſigilli noſtri appoſitione communiri mandavimus. Dat. Veronæ in Epiſcopali Reſidentia noſtra, præſentibus RR. DD. Ruffino a Campanea, J. U. D. Archipresb., Adamo Fumano, & Marcello Carlotto, J. U. D. Canonic. Eccleſię Veronen. Teſtibus adhibitis, & rogatis, Anno Nativitatis Domini milleſimo quingenteſimo octogeſimo primo, Indictione nona, die vero decimo tertio Februarii, Pontificatus autem Sanctiſs. in Chriſto Patris, & D. N. D. Gregorii Divina Providentia PP. XIII. Anno Nono.

Breve Apoſtolicum, cujus in Valerii Decreto facta eſt mentio.

GREGORIUS PP. XIII.

30. Auguſti 1580. AD futuram rei memoriam. Proviſionis noſtræ debet provenire ſubſidium, ut ſuum jus cuilibet conſervetur. Hinc eſt quod Nos tenorem quarundam literarum fel. recor. Pii PP. IV. prædeceſſoris noſtri in forma Brevis in regiſtro ipſius prædeceſſoris repertum, pro eo quod ſicut exhibita Nobis pro parte Ven. Fratris Auguſtini Epiſcopi Veronenſis, & dilectorum filiorum Rectorum, Deputatorum, & Conſiliariorum Civitatis Veronen. petitio continebat, quod ipſi hujuſmodi tenore ex certis cauſis ſe aſſerunt indigere, ex regiſtro ipſo de verbo ad verbum tranſcribi, & ad ipſorum Auguſtini Epiſcopi, ac Rectorum. Deputatorum, & Conſiliariorum Civitatis Veronen. inſtantiam præſentibus annotari fecimus, qui talis eſt, videlicet. Vener. Fratri Epiſcopo Veronenſi. Pius PP. IV. Vener. Frater ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Nuper pro parte dilectorum filiorum Rectorum, Deputatorum, & Conſiliariorum Civit. Veron. Nobis expoſitum fuit, quod dudum, ſeu alias ipſi videntes quantum charitas divinarum virtutum princeps ipſi Civitati cordi fuiſſet, illamque ex pluribus majorum ſuorum operibus, & inſtitutis, ac ex eo potiſſimum, quod Mons Pietatis inibi ex pecuniis primitus per pios cives oblatis ad pauperum ſubventionem jamdudum erectus fuerat, dignoſci faciliime, ac comprobari poſſe, ac idcirco ipſorum majorum veſtigia inſequendo, Montem hujuſmodi, ex eleemoſynis, & privatorum pecuniis in eo depoſitis ita augendum curarunt, ut pecuniarum indigentes ab

(Pii IV. literæ pro Monte Pietatis Veronenſi 13. Jan. 1563.)

eodem

eodem Monte in calamitatibus ſuis adjuti, non amplius ad perniciosam Hebræorum opem recurrere cogerentur. Quinimmo cum fœnerandi facultas Sereniſs. Venetorum Senatus auctoritate, & providentia, propterea quod Montem prædictum adeo immenſum videret, ipſis Hebræis adempta fuiſſet; ex ipſius Civitatis Decreto cautum fuit, quod illis, qui pecunias otioſas in eo Monte deponebant, tum proprio, tum pauperum commodo conſulentes, & fœnerationis ignaris, quatuor pro centenario ſingulis annis ſolverentur, prout ſoluti extiterunt. Et deinde Sancti Spiritus monitis inſpirati quinque præſtantiſſimos Civitatis prædictæ cives in utroque jure peritos elegerunt, qui cauſſam dictæ mutuationis cognoſcerent, & an in eo ſtatu permanere poſſet, ſeu novas conditiones amplecti, nec ne oporteret, diligenter conſulerent, & quid in ea re agendum videretur, referrent. Demum illi animarum ſaluti, & pauperum inopiæ omnibus quibus poſſent mediis, ut eos decebat, providere volentes, audita prius civium prædictorum relatione, qui mutuum ipſum tanquam fœnus damnandum eſſe dicebant, & ſuper partitis per eoſdem cives prudenter expoſitis habita in Conſilio dictæ Civitatis matura conſultatione, ad propoſitionem dilecti filii Ruffini a Campanea Proviſoris Communitatis Civitatis hujuſmodi, decreverunt, & ordinaverunt: Quod ſicut fel. rec. Julius PP. III. prædeceſſor noſter Montem per dilectos filios Rectores, Deputatos, & Conſiliarios Civitatis Vicen. erectum, ac etiam decretum, & ordinationes per eos deſuper factas confirmaverat, ac pecunias in ipſo Vicentiæ Monte ponentes, ad rationem quatuor pro centenario, abſque ullo conſcientiæ ſcrupulo, aut cenſurarum Eccleſiaſticarum incurſu, ac alias libere, & licite exigere, & percipere, ipſiſque ſolvi poſſe per ſuas in forma Brevis literas conceſſerat, decreverat, & declaraverat, prout in dictis literis plenius dicitur contineri; ita his omnibus, qui pecunias ſuper dicto Monte Veronæ depoſitas tunc tenebant, vel in futurum deponerent, charitatis zelo adducti, ac pro pauperum ſubventione, non fœnerandi animo, quando merces promptas, ac prædia ad emendum parata haberent, ex quorum redditu quatuor, & ultra pro centenario percipere poſſent, a præfato Monte Veronæ ſingulis annis quatuor tantum pro centenario, ac etiam capitale depoſitum eorum debite recipere liceret, ſub noſtro, et Sedis Apoſtolicæ beneplacito decreverunt, ac ordinarunt, prout in Inſtrumento, ſeu ſcripturis authenticis deſuper confectis latius dicitur contineri. Quare pro parte dictorum Rectorum, Deputatorum, & Conſiliariorum Veronæ aſſerentium Decretum per ipſos factum hujuſmodi in evidentem pauperum ſubventionem ceſſiſſe, & cedere, nec illud ſine exemplo vicini Montis Vicentiæ emanaſſe, ac pluribus depoſitis poſtmodum per varios Chriſtifideles inibi juxta illius tenorem bona fide factis non parvum egenis commodum, hoc præſertim tempore, peperiſſe, ac proinde illa per Nos Apoſtolica auctoritate confirmari deſiderare Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut poſterius Decretum per ipſos factum hujuſmodi approbare, & confirmare, ac præmiſſis omnibus perpetuæ, ac inviolabilis firmitatis robur adjicere, nec non ipſis, ac omnibus, & ſingulis aliis Chriſtifidelibus, qui pecunias ſuas, quas de facili, & commode in emtionem annuorum redituum, ſive cenſuum licitorum, vel poſſeſſionum, ſeu prædiorum, ex quibus non ſolum quatuor, ut præfertur, ſed & quinque, vel ſex, ac forſan ultra pro centenario juxta illarum partium conſuetudinem percipere, & convertere poſſent, nec non aliis, qui ut uberius dictis pauperibus ſubveniri poſſit, ac nullatenus animo, & intentione fœnerandi, pecu-

Cautiones.

Notanda.

nias in ipſo Monte Veronæ poſt hujuſmodi Decretum impoſuerant, ac in poſterum deponerent, quique illas accipiunt, ut id ad rationem quatuor pro centenario facere liceat, ut præfertur. Quodque ipſi deinceps ſuper hoc editis Decreto, & Ordinatione præfatis uti, ac fructus dictarum pecuniarum ad eandem rationem ſolvere, exigere, & recipere reſpective abſque ullo conſcientiæ ſcrupulo, cenſurarumve incurſu, ac alias libere, & licite poſſint, & valeant, decernere, & declarare, ac illis plenam, & liberam ad præmiſſa licentiam, & facultatem concedere, & impartiri. Nec non quod pecuniæ omnes eidem Monti Veronæ ſuperabundantes, ſi quæ ſint, quarum veri domini, quibus reſtituendæ ſint, ignorantur, licite ſolutæ, & ipſius Montis Veronæ ſint, & eſſe cenſeantur; illæque ad nullum alium, niſi ad pauperum neceſſitatibus ſuccurrendum convertantur, ſtatuere, & ordinare, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dictorum Rectorum, Deputatorum, & Conſiliariorum Veronen. pio deſiderio in hac parte annuere cupientes, ac poſteriorum Decreti, & Ordinationis hujuſmodi tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per præſentes committimus, & mandamus, quatenus in præmiſſis, & circa ea prout tibi juſtum videbitur provideas. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Civitatis Veronen. juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub anulo Piſcatoris die 13. Januarii 1563. Pontificatus noſtri anno quarto. C. Coſta. Ceterum ut earundem literarum tenor præfatus ſic infertus omnimodam rei, ſeu facti certitudinem faciat, Apoſtolica auctoritate decernimus, ut illud idem robur, eandem vim, eundemque vigorem dictus tenor habeat, quæ haberent originales literæ ſupradictæ, & eadem prorſus eidem tenori fides adhibeatur quandocunque, & ubicunque, ſive in judicio, ſive alibi, ubi fuerit adhibitus, vel oſtenſus, ac eidem tenori firmiter ſtetur in omnibus, ſicut eiſdem originalibus literis ſtaretur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Per hoc autem nullum jus de novo cuiquam acquiri volumus, ſed antiquum tantummodo conſervari. Datum Romæ apud S. Petrum ſub anulo Piſcatoris, die 30. Auguſti 1580., Pontificatus noſtri anno nono.

Lex ſancita in Conſilio Mag. Civitatis, de qua ſupra.

Die Veneris poſt Nonam 30. Decembris 1580. In Conſilio L., & LXXII. poſita, & capta fuit pars infraſcripta, videlicet.

30. Decemb. 1580. NUllum majus, neque præſtantius publicæ charitatis inventum, nullam denique utiliorem proviſionem egenorum civium, & diſtrictualium incommodis, & neceſſitatibus conſulentem excogitare potuere patres noſtri, quam piam S. Montis inſtitutionem, unde illi Pietatis denominatio indita eſt, cujus auxiliis pernicioſiſſimæ imprimis Hebræorum fœnerationes Excellentiſſimi Senatus Decretis nomine noſtro ſupplicatis ab hac Civitate, & diſtrictu ſublatæ ſunt, quando ab eo Monte opportunæ cuique indigenti pecuniæ æquivalentia pignora præſentanti ſubminiſtrentur, cum limitata perceptione utilis ſex pro centenario, in miniſtrorum mercedibus impendendi, undequaque confluente grandi pecuniarum ſumma ex voluntariis præcipue depoſitis, tum gratuito factis, tum quatuor tantummodo

ſto pro centenario reſpondentibus, neque ullus majores noſtros erectores tanti Operis ex perceptione, & ſolutione prædictorum quatuor, & ſex reſpective pro centenario conſcientiarum remorſus angebat, quandoquidem eorum intentio ſolummodo verſabatur in innumeris pauperibus a præſentibus calamitatibus ſublevandis, quia etiam demtis miniſtrorum mercedibus, & fabricationum neceſſariis impenſis, reſiduæ pecuniæ eiſdem Chriſti pauperibus erogabantur. Publicam autem permiſſionem aſſequendi quatuor tantum pro centenario æquam, & congruam arbitrabantur pecuniarum deponentes, ob conditionem pro eorum libito retrohabendi capitalia per ipſos depoſita, eadem e converſo conditione ceſſante in proventibus laicalibus majoris utilis, ſcilicet livellorum, & fructuum ſex pro centenario. Nunc autem cum multi Evangelicæ veritatis profeſſores, & imprimis Reverendiſs. D. Auguſtinus Valerius Epiſcopus noſter in animarum gregis ſibi commiſſi ſalute tuenda valde efficax, & in dimovendis erroribus, & abuſibus ad earundem animarum perniciem ſerpentibus vigilantiſſimus, indubitatum fœnus ineſſe ſub adminiſtratione Montis prædicti affirment, & paternis ſuaſionibus ad ſalubre remedium quærendum ejus Reverendiſs. Dominatio nos admodum excitet, utpote habens de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis facultatem comprobandi quid rectum, & laudabile decernendi m ſenſerimus, ea de cauſſa præſtantiſſimos cives J. U. D. elegimus, qui tractent, conſultentque modum, quo Montis prædicti negotium ex aſſueto curſu non retardetur, & quo ante omnia effugiendum animarum detrimentum penitus evaneſcat. Qui cives hujuſmodi conſultatione habita unanimiter infraſcriptam ſanctionem in materia propoſita ſtatui poſſe retulerunt, qua ſuffragiis hujus majoris Conſilii firmata illius confirmatio, & S. Sedis Apoſtolicæ conſenſus a præfato Reverendiſs. D. Epiſcopo noſtro in hac parte ab eadem Sede, ut præmittitur, facultatem habente humiliter ſupplicetur. Itaque ad propoſitionem Mag. Eq. D. Thebaldi Lavagnoli Proviſoris Communis, vadit pars poſita per DD. Proviſores, & Conſil. XII. Quod infraſcriptum Decretum in quatuor capitibus diſtinctum per præfatos Dominos electos maturo conſilio formatum laudetur, & approbetur.

Primo. Quod vendantur, & in quemlibet emere volentem transferantur pro diviſo tot bona manentia, & ſtabilia, ac jura Mag. Communitatis, comprehenſis etiam bonis Hoſpitalis S. Jacobi ad Tumbam, boniſque ejuſdem Montis, ex quibus annui proventus, ſive affictus percipi conſueverunt, & quod eadem bona ab emtoribus conducantur per ipſam Mag. Communitatem ſub annua penſione ducatorum quinque pro centenario, a qua tamen penſione, ejuſque cauſſa, ipſa Communitas indemnis, et illæſa penitus conſervetur, et conſervari debet ab omnibus bona mobilia pignorantibus ſuper S. Monte majori, currente proventu ſolito ſex pro centenario pro ſolutione ſalariorum, et mercedum officialium, ſeu miniſtrorum, et pro ſatisfaciendo neceſſariis impenſis ſupradicti S. Montis.

Secundo. Et ut ejuſmodi circuitus inutiles vendendi, conducendi, cautiones habendi ſolutionem, penſioneſque ſolutas, aut ſolvendas ab iis qui pignorant redimendi, ſive exigendi, viaque facilis inveniatur omnia prædicta peragendi, Præſidentes S. Montis, et ſpectabilis eorum Dominus Prior, qui pro tempore fuerint, ſcilicet major pars eorum, qui quoque quadrimeſtri in officio reperiuntur, ſint, et intelligantur eſſe Procuratores, Syndici, et Adminiſtratores in ſolidum præfatæ Mag. Communitatis, ut ex nunc, prout ex tunc conſtituuntur ad vendendum bona prædicta, quæ ſingula deſcribentur, et in ſcriptis eis tradentur per Conſil. XII., cum de-

declaratione æquï, et juſti pretii, quo vendenda erunt, atque conducenda ſub memorata annua penſione Duc. 5. excipienda ex denariis ex cauſſa pignorum ſolutis, aut ſolvendis ad rationem antedictam ſex pro centenario, pro indemnitate dictæ Civitatis.

Tertio. Quibus etiam Procuratoribus attributa ſit omnis facultas, et libertas, ex pacto perpetuo apponendo in publicis documentis venditionum, excluſa qualibet præſcriptione, etiam centenaria, temporiſque amplioris, redimendi, affrancandi, et liberandi prædicta bona, ſic, et prout eiſdem videbitur, a quocunque emtore, ſive locatore.

Quarto. Statuimus præterea, quod hujuſmodi penſiones quinque pro centenario a ſolutione quarumcunque Datiarum, tam ſubſidiorum, quam alterius generis, et ceterorum omnium gravaminum immunes penitus, et exemptæ ſint, et pro exemptis habeantur, ſicut de præterito ſervatum fuit, quinimmo a refectoribus æſtimi Civitatis allibrari non poſſint ipſæ penſiones, nec eorum capitalia, ſicuti per diſpoſitionem ordinum hujus Civitatis cautum eſt, & ut præmittitur de præterito extitit obſervatum. Salvo ſemper decreto Reverendiſs. D. Epiſcopi noſtri judicis a S. Sede Apoſt. delegati, quo cavetur quod quicunque habet merces licitas, vel fundos promptos ad emendum, ex quibus quatuor, vel ultra pro centenario lucrari poteſt, poſſit libere deponere ſuper S. Monte ſuas pecunias, et inde ſingulo anno recipere quatuor pro centenario rationc lucri ceſſantis, vel damni emergentis.

Habentes merces, & fundos paratos poſſunt libere deponere ad utile quatuor pro centenario.

Joſeph Caſtellus Cancell.

Ex actis Conſiliorum Mag. Civitatis Veronæ.

Die Martis 27. Mar. 1582. in Conſ. L., et LXXII. in vocibus 88. poſita fuit pars infraſcripta, et capta de ballottis 71. pro 17. contra.

27. Mar. 1582.

ÆQuum eſt, et juſtitiæ conſentaneum, ut Civitas materno affectu cives ſuos, et pauperes proſequendo, et eorum neceſſitatibus conſulendo, obſequi ſtudeat honeſtis deſideriis eorum, qui in emtionem bonorum Civitatis pro Montis adjumento pecunias ſecundum Decretum Reverendiſs. D. Epiſcopi noſtri Judicis Apoſtol. collocare parati ſunt, nempe ut quemadmodum Civitas pactum redimendi cum voluerit fundos venditos habet, ita emtorum arbitrio per Montis Gubernatores bona vendita cum exhibitione pretii habiti redimantur. Quamobrem ex ſententia Sacræ Theologiæ profeſſorum, atque utriuſque juris peritorum, præcipue multum Rever. et Excell. J. U. D. D. Ruffini a Campanea Cathedralis Eccleſiæ Archipresb. vadit pars poſita per Mag. et Excell. D. Julium Miniſcalcum Proviſorem Communis, et Conſil. XII. Quod hujus Conſilii auctoritate committatur Gubernatoribus Montis, quod cum primum quicunque emtor hujuſmodi bonorum Civitatis quandocunque petierit inſtrumenta redemtionis bonorum fieri, id ſine ulla temporis interpoſitione fiat, cum exhibitione pretii ipſis emtoribus illico facienda, qui etiam Montem, et illius Gubernatores ad id faciendum mediis juris compellere poſſint *percipiendo interea temporis penſionem quatuor pro centenario* a DD. Gubernat. Montis præfati, et hoc Decretum valeat, et ratum ſit poſt habitam confirmationem, & placitum a præfato Reverendiſs. D. Epiſcopo, ut in hac parte a Pontifice Max. Judice conſtituto.

Pars quod poſſit cogi ſupr. Mous ad exbuſian. dumpret um emtionum.

AU-

Digitized by Google

AUGUSTINUS VALERIUS

Dei, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Gratia Epiſcopus Veronæ, & Comes, & in hac parte ab eadem S. Sede Judex, et Commiſſarius conſtitutus, et deputatus: Ad perpetuam rei memoriam.

De Civitatis Veronæ nobis dilectæ nuper exhibita petitione, ut novo Decreto ab ea pro Monte Pietatis confecto auctoritatem noſtram interponeremus, quod inde multas utilitates profecturas ſperandum ſit, ac de toto genere hujus publici Operis ſæpe numero cogitantes, in quo univerſa ferme pauperum Civitatis ſublevandorum ſalus, et multorum peccatorum, atque imprimis uſurarum tollendæ peſtis ratio omnis verſatur, nihil magis optimo huic inſtituto profuturum exiſtimavimus, quam ſi incommoda, abuſus, & depravatæ conſuetudines, quæ in ejus tractatione irrepſerunt, penitus eſſent eliminatæ, & convulſæ, quæ omnia Decreto in noſtro de hac re anno præterito confecto adhibitis Eccleſiaſticis cenſuris tollenda eſſe mandavimus. Magnum præterea hujus Montis virium firmamentum illud fore una omnium ferme voce prædicari intelleximus, quod ex hoc novo Civitatis Decreto eſt propoſitum; nempe ut arbitrio ementium Civitas fundos venditos redimere eodem pretio per Gubernatores Montis publice profiteatur, ea potiſſimum cauſſa, quod nummi otioſi in Monte ſine magno ejus diſpendio teneri non poſſint, nec facile ſit quærere a quo præcipue in tanta multitudine emtorum debeant Gubernatores redimere fundos venditos. Quæ Civitatis ſponte ſua oblata deliberatio, et materna pro pauperibus ejus civibus, et egenis juvandis propenſa charitas apud omnes et probata, et commendata eſſe videtur. Qua de re cum in Congregatione noſtra Pœnitentiariæ ſæpius eſſet relatum, hæc nova Civitatis benefica voluntas, et liberalis obligatio imprimis placuit, utpote quæ juſtitiæ minime adverſari, immo vero maxima commoda parere poſſit, quando præſertim juxta Decretum noſtrum jam dictum, in hac ſpecie contractus, quem a cenſu differre, et diſtare in Congregatione judicatum eſt, intentio ſincera, et vera, non animi aliqua fictio contrahentium ultro citroque intercedat, juſtum pretium fundi ſolvatur, emtor ſciat ſe eſſe verum dominum rei emtæ, & ejus periculo ſubjacere, donec a Monte redimatur, & proinde * niſi poſt ſex menſes a die emtionis Montem ad redemtionem faciendam cogi non poſſe, ut vera intentio contractus interveniſſe præſumatur, & nulla uſurariæ labis ſuſpitio remaneat. Nos itaque Civitatis pio deſiderio quantum poſſumus in Domino obſequentes, & tanti Operis, & inſtituti publici, tamque neceſſarii rationes omnes ineuntes, jubemus, præcipimus, & mandamus ea omnia, quæ in eodem Decreto noſtro ad tollenda incommoda, fraudes, & pernicioſos abuſus remedia adhibuimus ante omnia omnino ad uſum revocanda, publicanda, & executioni mandanda eſſe, ſub pœnis, & cenſuris inibi deſcriptis.

25. Mai 1582.

* Intentio emendi.

Decretum vero nunc a Civitate confectum, & Nobis propoſitum, cum illud in univerſum pie ſit interpretatum, atque etiam ab eo incrementa Montis quammaxima licita, & honeſta hoc tempore communi hominum proborum ſententia expectari poſſint. Nos conſilium Congregationis ſecuti, atque imprimis S. Sedis Apoſtolicæ ſemper reſervato beneplacito, ac qualibet neceſſaria Sanctiſs. D. N. PP. petenda, & obtinenda diſpenſatione, ad uſum, & executionem in hoc publico, & neceſſario univerſali negotio deducendum eſſe concedimus, & permittimus. Adeo,

deo, quod hujuſmodi contrahentibus nullum impedimentum in percipiendis Sanctiſs. Sacramentis inferatur. Atque etiam ne ullum exinde animarum ſalutis detrimentum oriatur, & res omnis tutius agatur, prudentiæ, examini, & judicio confeſſariorum in confeſſionibus ſacramentalibus adhibendo pro nunc committendum eſſe duximus, ut fidelium conſcientias interius perſcrutando, ſi quid ea in re opus eſſe exiſtimaverint, illud Nobis ſignificare ſtudeant, ut opportuna remedia pro rei neceſſitate ſemper, & a Nobis adhiberi, & a Sanctiſs. Sede Apoſtolica peti, & obtineri poſſint. In quorum omnium teſtimonium has noſtras fieri, & publicari, ac per Cancellarium noſtrum ſubſcribi mandavimus. Dat. Veronæ in Epiſcopali Reſidentia noſtra. præſentibus D. Andrea Ugolino, & Antonio Bentivolio familiaribus noſtris, Anno Nativitatis Domini milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſecundo, Indictione decima, die vigeſimo quinto Menſis Maji, Pontificatus autem Sanctiſs. in Chriſto Patris, & D. N. D. Gregorii Divina Providentia PP. XIII. Anno XI.

Joſephus Caſtellus Cancell.

MONUMENTUM V.

Sixti V. litera pro Monte Pietatis Bergomenſi ex Schedis Bergomenſibus accepta.

SIXTUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI.

4. Jan. 1588. Dilecto Filio Vicario Fratris Noſtri Epiſcopi Bergomenſis in ſpiritualibus generali ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Sedes Apoſtolica pia Mater recurrentibus ad eam poſt exceſſum cum humilitate filiis libenter ſe propitiam exhibet, & benignam, ac ad ea, per quę honeſtis pauperum, & miſerabilium perſonarum neceſſitatibus, ac indemnitatibus omni cenſura ceſſante opportune conſulitur, intendere, ac alias deſuper officii ſui partes favorabiliter impartiri conſuevit, prout locorum, & temporum, & perſonarum earundem qualitatibus penſatis conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Sane pro parte dilectorum filiorum Communitatis, & Hominum Bergomenſium Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod nonnullis retroactis annis ipſi, ſeu peculiares eorum Montem Pietatis in Civitate Bergomenſi canonice inſtitutum Regentes, & Gubernatores, ut onera, & expenſas ejuſdem Montis facilius ſufferre poſſent, ad rationem quinque pro quolibet centenario ſingulis annis a perſonis pecunias ipſas Montis ſub pignoribus accipientibus exegerunt, & mediantibus præſertim pecuniis, quæ in ipſo Monte per diverſos Chriſtifideles depoſitatæ fuerunt, capitale illius in mille ducatos monetæ Venetæ, deductis expenſis, acceperunt; demum vero animadvertentes præmiſsa ſibi ſatis non licuiſſe, ab ulteriori illorum exercitio, & exactione abſtinuerunt. Cum autem ſicuti eadem petitio ſubjungebat, in præfata Civitate nihil tam neceſſarium, quam Mons hujuſmodi exiſtat, adeo ut ſi ejus Opus deeſſet, permulti exinde pauperes, & miſerabiles perſonæ omni ſubſidio deſtitutæ remanerent, ac Communitas, & Homines præfati propter præmiſſa dubitent aliquas cenſuras, & pœnas Eccleſiaſti-

Digitized by Google

ſiaſticas incurriſſe, pro parte Communitatis, & Hominum prædictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis, eorumve ſtatui in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos vero attendentes, quod ejuſdem Sedis exuberans clementia gremium ſuæ pietatis petentibus claudere non conſueviſſet, eoſdem Communitatem, & Homines, ac ſingulares perſonas dictæ Communitatis a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis alia auctoritate præmiſſorum occaſione, vel cauſſa latis, ſi quibus quidem innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ac certam de premiſſis notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Communitatem, & Homines predictos, ac eorum ſingulos, & præſertim dilectos filios modernos Adminiſtratores, & Officiales dicti Montis, ſi a te humiliter petierint, injuncta ipſis omnibus propter præmiſſa arbitrio tuo publica, & ſalutari pœnitentia, & aliis, quæ de jure fuerint injungenda, ab exceſſibus hujuſmodi, ac quibuſvis excommunicationibus, aliiſque ſententiis, cenſuris Eccleſiaſticis, & etiam temporalibus pœnis per eos præmiſſorum occaſione, vel cauſſa incurſis, auctoritate noſtra hac vice dumtaxat abſolvas, ac totaliter liberes, ac omnem inhabilitatis, & infamiæ maculam, ſive notam circa eos, & eorum quemlibet ex præmiſſis quomodolibet inſurgentem ab eiſdem penitus abſolvas, ipſoſque, & eorum quemlibet in priſtinum, & eum, in quo ante præmiſſa quomodolibet erant, ſtatum reſtituas, reponas, & plenarie reintegres; nec non predictos mille ducatos capitale dicti Montis, quod ad alia duo millia ducatorum ſimilium, vel circa, ut Communitas, & Homines prædicti aſſerunt, aſcendit, dicta auctoritate applices, & appropries, ac inſuper præfatis, & pro tempore exiſtentibus ejuſdem Montis Adminiſtratoribus, & Officialibus, ut pro majori ipſius Montis ſtabilimento, faciliorique expenſarum, & onerum ei incumbentium ſupportatione, a perſonis pecunias dicti Montis mutuo accipientibus ad rationem trium pro quolibet centenario, & anno exigere, & recipere, atque in expenſarum, & onerum hujuſmodi ſolutionem, atque ſupportationem convertere, & ſi quid, illis ſolutis, & ſupportatis ſuperfuerit, in capitale ejuſdem Montis accumulare libere, & licite valeant, eademque auctoritate noſtra licentiam concedas. Itaque prædicti, ac pro tempore exiſtentes ejuſdem Montis Adminiſtratores, & Officiales nequeant deſuper a quocunque quavis auctoritate quomodolibet moleſtari, vel impediri, non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque; Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quocunque quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicę 1588. pridie Idus Januarii, Pontificatus noſtri anno quarto.

Omiſſis ſubſcriptionibus.

1589. 4. April. Reverendiſſimus D. Epiſcopus abſolvit Civitatem a cenſuris, cunctaque in literis prædictis contenta conceſſit, ut in liberatione in ſedili poſita continetur in carta in rotolo rogat. per D. Hieronymum Vavaſſorium Notarium, & Cancell. Epiſcopalem.

Digitized by Google

MONUMENTUM VI.

Litera Alexandri VII. pro Monte Pietatis Mantuano, ex authentico ipſius Montis.

ALEXANDER PP. VII.

20. Octobr. 1655.

AD futuram rei memoriam. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Officiales Montis Pietatis Civitatis Mantuanæ, quod poſt excidium ejuſdem Civitatis, bellumque, & contagium, quæ eam afflixerunt, exorta in illis partibus pecuniarum penuria Mons prædictus hactenus non potuit in eum ſtatum reſtitui, ut ex illo extremæ pauperum neceſſitati ſubveniri poſſet, ne iidem pauperes ſubſidium ab Hebræis petere cogerentur, a quibus eorum ſubſtantiæ gravibus uſuris ad rationem ſeptemdecim pro centenario annuatim brevi temporis ſpatio abſorbentur. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, iidem exponentes provide conſiderantes pecuniarum inveſtimenta cenſualibus, livellariis, & aliis contractibus mercatoriis in Ducatu Mantuano ad rationem annui fructus octo pro centenario fieri ſolere, non ſuppetente minus diſpendioſo modo, quo neceſſitatibus pauperum hujuſmodi conſulatur, pecunias nomine dicti Montis ſub annuo interuſurio quinque pro centenario accipere, illaſque pauperibus ſuper pignoribus per eos tradendis mutuas ſub interuſurio ſeptem pro quolibet centenario, & anno dare, ac ex interuſurio ſeptem hujuſmodi, interuſuria pecuniarum, ut præfertur, accipiendarum ſolvere, reliqua vero duo, quæ ſolutis earundem pecuniarum interuſuriis ſupererunt, in expenſarum pro reparatione domus dicti Montis faciendarum, & ſalariorum ejus miniſtrorum ſolutionem, cui rei, ut dicti exponentes aſſerunt, omnino ſunt neceſſaria, convertere ſummopere deſiderent. Nobis propterea ipſi exponentes humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dictos exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum conſilio, ut ex contractu licito non excedente quinque pro centenario recipi poſſint alia duo pro centenario in pignoratione, quæ in manutentionem ipſius Montis convertantur, ad decennium Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus. Decernentes præſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit pleniſſime ſuffragari, ſicque in præmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, & cauſſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non, quatenus opus ſit, dicti Montis, & juramento confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate robratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem ſub anulo Piſcatoris die XX. Octobris MDCLV. Pontificatus noſtri Anno primo.

Vide Opuſc. 3. n. 104.

G. Gualterius.

MO-

MONUMENTUM VII.

Clementis X. litera pro Monte Pietatis Ferrarienſi, ex libro edito ejuſdem Montis p. 117.

CLEMENS PAPA DECIMUS.

Dilecte fili noſter ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Salvatoris, & Domini Noſtri Jeſu Chriſti, qui devotos ſuos ad pietatis, & Chriſtianæ charitatis opera in pauperes, & egenos miſericorditer exercenda plurimum hortatus eſt, vices licet immeriti gerentes in terris, ad ea, per quæ eorundem pauperum, & egenorum indemnitati, neceſſitatibuſque conſulitur, paterna charitate libenter intendimus, ac deſuper paſtoralis Officii Noſtri partes favorabiliter interponimus, ſicut conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Judex, & Magiſtratus Sapientum Civitatis noſtræ Ferrarien., quod cum antiquus Mons Pietatis dudum in dicta Civitate erectus, de præſenti extinctus reperiatur, ipſi exponentes, ut pauperes a gravibus uſuris, quas Hebræis praſtare coguntur, liberentur, ac omni meliori modo, opportuniorique ratione ſubleventur, novum in eadem Civitate Montem Pietatis erigi, & inſtitui ſummopere deſiderant ſub his conditionibus, videlicet; quod ad providendum eidem novo Monti de pecuniis ad mutuationes faciendas neceſſariis, aſſignetur ipſi novo Monti Datium, & Jus privativum conficiendi, & vendendi aquam vitæ nuncupatam, eo modo quo Hoſpitale, ſeu Opus Pium Mendicantium Ferrarien. ex conceſſione Apoſtolica illo de præſenti fruitur, & ſuper eodem Datio fundentur cum obligatione ejuſdem Civitatis octingenta loca, quæ Monti Sanitatis quintæ erectionis dictæ Civitatis Ferrarien. adjungantur. Teneatur autem idem novus Mons Pietatis præſtare dicto Hoſpitali, ſive Operi pio Mendicantium omnem proventum ex Datio prædicto percipiendum, & in appaltibus ipſius Datii deinceps faciendis duo Præſidentes ejuſdem Hoſpitalis, ſeu Operis pii, qui eo menſe fuerint, pro intereſſe ipſius Operis pii intervenire debeant. Porro ſuper pignoribus dicto novo Monti Pietatis præſtandis fieri debeant pecuniarum mutuationes ad rationem annui interuſurii ſex pro quolibet centenario: ex quibus quatuor memorato Hoſpitali, ſeu Operi pio Mendicantium ratione Datii prædicti quotannis ſolvantur, reliqua vero duo pro expenſis ejuſdem novi Montis Pietatis, ac mercedibus, & ſalariis illius Officialium, & Miniſtrorum, comprehenſo etiam denariolo, inſerviant. Detractis autem tam pro reſponſione annua quatuor pro quolibet centenario, pro modo redditus, & Datii hujuſmodi locatione proventuri, prædicto Hoſpitali, ſive loco Mendicantium ſolvenda, quam expenſis Officialium, & Miniſtrorum dicti novi Montis Pietatis, ſi quid ſuperfuerit, id in beneficium ipſius Montis erogari debeat, in extinctionem ſupradictorum octingentorum locorum, quibus extinctis, pecuniæ per dictum novum Montem Pietatis ſub annuo interuſurio duorum tantum pro quolibet centenario mutuo dari debeant, & Datium ſupradictum illico ad prædictum Hoſpitale, ſive Opus pium Mendicantium revertatur. Ceterum nulla ne minima quidem portio dictorum octingentorum locorum vendi poſſit, niſi ad effectum exinde faciendi mutuationes pecuniarum ſuper pignoribus, & non aliter. Quare exponentes prædicti Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut in præmiſſis opportune pro- 11. April. 1671.

 vi-

videre, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſorum exponentium votis in pręmiſſis quantum cum Domino poſſumus favorabiliter annuere volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium tantum conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati: Circumſpectioni tuæ per præſentes committimus, & mandamus, ut conſtito tibi de narratis, quodque præmiſſis alio utiliori, congruentiorique modo provideri non poſſit, in prædicta Civitate Ferrarien. unum novum Montem Pietatis, ut pręfertur, nuncupandum, in quo exponentes pecunias venditione ſupradictorum octingentorum locorum proventuras, nec non quaſcunque alias pecunias per quoſcunque Chriſtifideles pro hujuſmodi pauperum ſubventione inibi pro tempore erogandas reponere, ac dictis pauperibus, & egenis ſubvenire, pecunias hujuſmodi eis in ſuis neceſſitatibus mutuando, ac pro hujuſmodi mutuo pignora ab eis valoris dupli, ſeu tripli ſummæ mutuatæ recipere, ac illa debite cuſtodire, ita tamen, ut ii qui ipſas mutuo, ut præfertur, acceperint, eas in termino illis pręfigendo, qui erit ad minus unius anni, reſtituere teneantur, alioquin dicto termino elapſo, exponentes prædicti, ſeu ipſius Montis Officiales, pignora ipſa, ad illorum ſubhaſtationem deveniendo, plus offerenti vendere, & a pecunias mutuo accipientibus ſummam ſex, donec, & quouſque prædicta octingenta loca extincta fuerint; illis vero extinctis, duorum dumtaxat pro quolibet centenario, & anno, vel minus, ſi ita expedire judicaveris, quę quatuor quidem memorato Hoſpitali, ſive Operi pio Mendicantium ſicut præmittitur ſolvantur, reliqua vero duo in dicti novi Montis Officialium, & Miniſtrorum mercedis, & ſalarii ſolutionem, & aliorum ejus onerum ſupportationem convertantur, exigere poſſint, & debeant reſpective, ac cum omnibus aliis, & ſingulis conditionibus ſupradictis auctoritate noſtra Apoſtolica, ſine tamen alicujus præjudicio, perpetuo erigas, & inſtituas. Ac ipſi novo Monti Pietatis ſic erecto, & inſtituto, pro ejus dote, pecunias ex venditione prædictorum octingentorum locorum proventuras, nec non quæcunque bona mobilia, & immobilia, proprietates, res, & iura, eleemoſynas, & alia quælibet ipſi novo Monti per quoſcunque Chriſtifideles eroganda, donanda, elargienda, & aſſignanda ex nunc prout ex tunc, & e contra, poſtquam erogata, donata, elargita, & aſſignata fuerint, dicta auctoritate itidem perpetuo applices, & appropries. Præterea eidem novo Monti, ejuſque Officialibus, & Miniſtris, ac perſonis quibuſcunque, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, præeminentiis, prærogativis, facultatibus, immunitatibus, exemptionibus, honoribus, & indultis, aliiſque gratiis, tam ſpiritualibus, quam temporalibus, quibus Montes Pietatis hujus Almæ Urbis, ac Civitatis Bononien. noſtrarum, eorumque Officiales, & Miniſtri, ac perſonæ, tam de jure, uſu, & conſuetudine, quam ex privilegio, & conceſſione hujus Sanctæ Sedis, & alias quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere poſſunt, & quibus prædictus antiquus Mons Pietatis Ferrarien. de præſenti extinctus, eiuſque perſonæ utebantur, fruebantur, & gaudebant, dummodo tamen non ſint revocata, aut ſub aliqua revocatione comprehenſa, ſacriſque Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis non adverſentur: pari modo, & abſque ulla prorſus differentia uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite poſſint, & valeant in omnibus, & per

omnia,

Digitized by Google

omnia, perinde ac ſi illa ipſi novo Monti, ejuſque Officialibus, & Miniſtris, aliiſque perſonis prædictis ſpecifice, & nominatim conceſſa, & attributa fuiſſent, auctoritate prædicta etiam perpetuo concedas, & indulgeas. Inſuper prædictis Judici, & Magiſtratui Sapientum nunc, & pro tempore exiſtentibus, ut prædictum novum Montem Pietatis, illiuſque res, bona mobilia, & immobilia, fructus, redditus, & proventus, jura, & emolumenta quęcunque, per ſe, vel alium, ſeu alios ad id ab eis deputandos, regere, gubernare, & adminiſtrare, ita tamen ut de geſtis, et adminiſtratis per eos ratione Montis hujuſmodi, rationem quotannis Venerabili Fratri moderno, & pro tempore exiſtenti Epiſcopo Ferrarien. juxta Concilii prædicti Decretorum diſpoſitionem reddere teneantur, nec non pro felici ejuſdem Montis, illiuſque perſonarum, Officialium, Miniſtrorum, & bonorum hujuſmodi regimine, & adminiſtratione quæcunque Statuta, Ordinationes, Capitula, & Decreta, licita tamen, & honeſta, ſacriſque Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis minime contraria, & a te, ſeu pro tempore exiſtente noſtro, & Apoſtolicæ Sedis in Civitate, & Ducatu noſtris Ferrarien. de Latere Legato, examinanda, & approbanda, condere, facere, & edere, ac quoties pro rerum, & temporum qualitate, vel alias expediens videbitur, illa, pręvio examine, & approbatione tui, ſeu pro tempore exiſtentis Legati prædicti, alterare, corrigere, reformare, ac in toto, vel in parte mutare, aliaque, ut præfertur examinanda, & approbanda, ex integro, & de novo condere, & edere libere pariter, & licite valeant, eadem auctoritate perpetuo ſimiliter concedas, & indulgeas, eoſque deſuper a quoquam moleſtari, perturbari, aut inquietari nullatenus poſſe, ac irritum, & inane quidquid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari dicta auctoritate decernas. Nos enim quæcunque in præmiſſis, & circa ea quomodolibet neceſſaria, & opportuna faciendi, dicendi, gerendi, decernendi, mandandi, & exequendi, ac executioni mandari faciendi, plenam, & amplam facultatem tibi harum ſerie auctoritate prædicta tribuimus, et impartimur, non obſtantibus præmiſſis, nec non Apoſtolicis, & in univerſalibus, provincialibuſque, & ſynodalibus Conciliis, editis, generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac quatenus opus ſit dictæ Civitatis Ferrarien., aliiſque quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis haberi, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus; ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub anulo Piſcatoris die XVIII. Aprilis MDCLXXI. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

I. G. Sluſius.

Foris. Dilecto Filio Nicolao S. R. E. Card. Acciaiolo nuncupato, in Civitate, & Ducatu noſtris Ferrarien. noſtro, & Apoſtolicæ Sedis de Latere Legato.

Sig. ✠ Loc.

LAUS DEO.

IN-

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX

Rerum memorabilium, quæ toto Opere continentur.

TYPOGRAPHUS LECTORI.

Optandum ſane erat, quod præſtantiſſimus Auctor, qui Opus confecit & ipſe Indicem daret; at quæ ſpes, cum ipſe ſui partus factus ſit hoſtis, & lucem, ut noſti, contenderit prohibere illi, cui vitam dederat? Ne hic deeſſet quanto citius conficiendum curavi. Tanta autem in laudato Opere notabilium copia, ut ne tuo impendio in immenſum ſuccreſceret volumen, multa omittenda fuerint. Hoc meum conſilium; quod æquo animo accipias velim. Vale.

A

Albergatus B. Nicolaus Hebræis nimis emungentibus certum Uſuræ modum impoſuit. 2. tom. 90.
Alienatio in mutuo vera, & propria. 1. tom. 16. Alienatur in ipſo corpus. An & quantitas. 17. fuſius. 121.
Alieni, & fratris diſtinctio in Deuteronomio. 1. tom. 147. 2. tom. 32.
Alieni vox in Deuteronomio 23. 20. non approbationem Uſuræ, ſed tantum permiſſionem importat. 1. tom. 29. Et hæc quoad ſolos Chananæos. 30. Et hoc quandiu fuerunt hoſtes Hebræorum. 33. Poſt hoc tempus in ſacris libris vetitam omnino etiam quoad alienigenas. ibid.
Alieni vox citato loco a Rabbinis perperam extenſa a Chananæis ad omnes alios alienos. 1. tom. 37.
Alieni vox in quo diſcrepet a voce fur, quo ſenſu accepta ſit a Patribus, quo a Broederſen. 2. tom. 25.
Alienos inter, & fratres ſublata per Evangelium omnis diſtinctio. 1. tom. 38. 44.
Ameſius Uſurarum patronus quid æquitatis in contractu trium contractuum requirat. 2. tom. 177.
Annus Jubilei, & Sabbaticus, quid ſint. 1. tom. 53.
Antichriſeos. V. Contractus. V. Fiducia.
Antiquitas ad veritatem, novitas pertinet ad errorem. In præfatione. iii. 2. tom. 234.
S. Antoninus contractum ſocietatis legitimum, ſcriptum tamen nomine mutui, ob pericula, quibus ſubeſt & ob ſcandalum damnat. 2. tom. 119.
S. Antoninus part. p. tit. 11. bonam fidem excuſantem a reſtitutione Uſuræ excludit in duobus caſibus ſatis communibus. 2. tom. 59. Alibi mitius loquitur. ibid.
Arabum definitio Uſuræ. 1. tom. 9.
Artium inhoneſtarum duplex differentia. 1. tom. 200.
Avaritia hominum Uſuræ neceſſitatem

Digitized by Google

dit, quia nulla lege vetatur. ibid. Hoc potiſſimum, ſeu potius unicum ejus argumentum. ibid. Illicitam dicit Uſuram immoderatam a quocunque exigatur, & moderatam quæ vel e modicis ſummis, vel a pauperibus exigitur. 14. Hanc dat mutui definitionem: Mutuum eſt quodcunque proximo utendum datur, ut ſine ullo incremento reddatur. 15. Perperam Deuteronomii locum allegat. Nihil divino jure vetitum putat, quod naturæ jure prohibitum non ſit. 17. 18. Uſuram e divitibus perceptam neque charitati, neque juſtitiæ contrariam inculcat. 20. Aſſenſum, & conſenſum eorum qui Uſuras ſolvunt, nec non approbationem legum adducit. ibid. Exceptos vult pauperes a legibus, quas divitum Uſuras probare, pauperum autem tantum tolerare contendit. ibid. A juſta æſtimatione uſus pecuniæ argumentum potiſſimum ducit. ibid. Huic pluribus ſatisfit a 19. ad 22. In neganda translatione dominii multum laborat. ibid. Moderatam Uſuram, citra neceſſitatis caſum, a divitibus & mercatoribus exactam a Deo non eſſe vetitam fuiſſe net. 24. Quæ autem in neceſſitate exigitur, vult divino jure vetitam ut contrariam charitati, non juſtitiæ. ibid. Lactantii locus cui ille inſiſtit conſideratur. 24. Reſtitutionem Uſurarum ab antiquis Patribus prætermiſſam ſolo Pontificio jure ſeculo XII. inductam prodit. 26. Maxime toto Opere laborat in excludenda a Scripturis, Patribus, Conciliis, & Pontificiis decretis Uſuræ, quæ a divitibus, & negotiatoribus exigitur, prohibitione. 31. Vult ad normam Exodi, & Levitici, in quibus ſolius pauperis, & attenuati fit mentio, cetera Scripturæ teſtimonia explicentur. ibid. Compenſatorias Uſuras in Evangelio permiſſas aſſerit, ex Matthęo maxime, & Luca. 35. Quot falſis hypotheſibus falſiſſimum ſuum ſyſtema ſtatuat. 37. Aliam in Patribus ac in Scholaſticis mutui & Uſuræ notionem putat. 43. Jus eccleſiaſticum in duas partes dividit, vetus, & novum. 46. Veteris Teſtamenti leges a nonnullis Canonibus allegatas triplici interpretatione eligere ſtudet. 47. Locationis pecuniæ titulum conſtituere nititur. 63. Suam ſententiam fere per totum orbem ratam haberi, ac uſu paſſim recipi jactitat. 64. Doctorum catholicorum ſententias pariter, & ethnicorum colligit. ibid. Multum laborat ut Conſtitutioni de Uſuris adimat Concilii Viennenſis auctoritatem. 65. Aliis paſſim in locis, præſertim libro Vindiciarum, citatur, & confutatur.

C

Cabaſilas Latinorum hoſtis jus divinum contra Uſuram agnoſcit. 1. tom. 76.

Calvinus vetitam Hebræis Uſuram fatetur, ſed vult referendam ad præcepta politica. In pręf. xix. Uſuras hodie aſſerit non illicitas. ibid. Eas dat vitio, ſi excedatur in modo lucrandi, ſi ex propoſito hæc lucrandi via arripiatur, ſi a pauperibus exigantur. ibid. Divinum Jus in veteri Teſtamento tam pro pauperibus, quam pro divitibus Uſuram prohibere fatetur. 1. tom. 189.

Cambia ſicca maxime diſtant a realibus. 2. tom. 219. Diſcrimen inter ipſa, & realia, ex Salas, & de Lugo. Ibid. Ad hæc accedunt illa, quibus receptæ pecuniæ literæ ad certa loca ſcribuntur, vel mittuntur, ſed inanes redeunt, & in eodem loco reſtituuntur. 220. Unicus caſus, quo pecuniam bona fide tradentes excuſari poſſunt. ibid. Quinque Cambiorum caſus a Gen-

Digitized by Google

a Genuenſi Republica Apoſtolicæ Sedi propoſiti. 221. An Cambium recurſæ liceat. ibid.

Cambia ſicca ut uſuraria damnavit S. Pius V. 2. tom. 54. Item realia, in quibus pro dilatione temporis majus lucrum quæritur. ibid.

Cambii Contractus cum cautione capitalis licitus eſt, ſi cautio intelligatur in periculo amiſſionis capitalis ex accidenti, & pręter naturam negotii. 2. tom. 205.

Cambii realis definitio. 2. tom. 211. Cambium hoc antiquis inauditum, quomodo inductum. ibid. Pręter cambia platealia, etiam nundinalia introducta, quędam etiam cambiorum nundinę inſtitutę. ibid.

Cambii realis utilitas. ibid.

Cambiorum legitimum uſum non ſolum publica utilitas, ſed neceſſitas induxit. 2. tom. 210.

Conſtitutiones Pii V. circa Cambia realia. ibid. Sicca Cambia in iiſdem damnata. ibid. Tria prędictę Conſtitutiones exigunt ad legitimam Cambiorum rationem, & quę ſint. 212. Pariter attendenda ſunt ex ipſis Conſtit. diſtantia loci, & tempus ſolutionis. ibid. Temporis dilatio nihili facienda, ut vitetur Uſura. 212. Diſtantia loci a temporis dilatione ſeparata aliquod pretii augmentum citra Uſuram admittit. 213. Et quatenus. ibid. ad 215. 216. Practica conſideratio augmenti Cambii a locorum diſtantia V. Savary. In Cambiis lucrum pendet ab incerto eventu. 215.

Canon Carthaginenſis Concilii contra Uſuras ſub Grato, repetitus ſub Aurelio. 1. tom. 65. 2. tom. 48. Primi Concilii verba ut a Broederſen recitantur. ibid.

Canon Nicęni Concilii contra eaſdem. 1. tom. 63.

Canones, hoc eſt Eccleſiæ leges, ſine ulla exceptione divitum, aut negotiatorum. Uſuram damnant; vix unus, aut alter pauperes memorat. 1. tom. 159.

Canones interdicentes Uſuram Clericis generalibus verbis exponuntur; ex hoc ipſis vetita intelligitur Uſura non ſolum cum pauperibus, ſed etiam cum divitibus. Ita de Laicis. 1. tom. 160.

ex Canonibus Uſuras prohibentibus, non autem ſimul præcipientibus reſtitutionem, ab injuſtitiæ labe Uſura purgari non poteſt. 1. tom. 111.

S. Carolus literas dat, quibus ſuam operam interponit pro Decreto in Uſurarum materie, quod Bavariæ Dux expoſcebat. 1. tom. 317. Uſuras apud ſuos ex ignorantia invaluiſſe commemorat. 2. tom. 18. In hoc in primo Mediolanenſi Concilio ſuæ Provinciæ conſuluit. Ibid. Apud Pium V. agit pro aliqua Generali Conſtitutione. Hinc ejuſdem Summi Pontificis non multo poſt Conſtit. duæ prodierunt. ibid.

Carolus V. Contractus trium Contractuum ut iniquos, & uſurarios in foro externo damnavit. 2. tom. 196.

Caroli V. Edicto de pupillaribus pecuniis derogat Philippus II. 2. tom. 7. Ex hac derogatione Pupillis, exacta tutela, permiſſum cenſus redemptionem a venditoribus exigere. ibid.

Cathari ſive Patareni primi auctores hæreſis circa Uſuram. In præf. xii. Albanenſes, Bagnolenſes, Concordienſes erant Cathari. xiii. Eorum hæreſim præcidit Clemens V. in Concilio Viennenſi. In præf. xiv. & 1. tom. 80. Licitam defendebant Uſuram titulo locationis pecuniæ. 1. tom. 88.

Catholici Auctores aliqui laxiores licet videantur defendere Uſuram, illam tamen ex catholico dogmate damnant. In præf. xxviii.

Catholici de lucro pecunię in negotiationem traditę quid ſentiant. 2. tom. 168.

Cautio in cenſu quæ ſit tenenda. 2. tom. 207.

Cau-

Digitized by Google

Cautio lucri quando, & quomodo licita. ibid.
Cautio periculi capitalis in negotiatione, quando, & quomodo licita. 2. tom. 204.
Cenſualis juris ęſtimatio vel a fundo, vel a fructibus ſumenda eſt. 2. tom. 157. Qui emit uſumfructum, cenſum, aut annuum redditum ex prædio, quod per ſe talem fructum parit, legitimum jus in merum fructum emit, quod longe abeſt ab Uſura. 308.
Cenſum qui emit, jus percipiendi fructus emit. 2. tom. 215.
Cenſus conditiones ſunt ejuſdem naturæ ac emtionis. V. Emtio V. Pacta. In Cenſibus legitimis, cenſus quoad emtorem eſt perpetuus, quoad venditorem eſt temporalis. 2. tom. 125. Hinc venditori tantum facultas reſervata cenſum vel in totum, vel in partem redimendi. 131. 147.
Cenſus eſt jus percipiendi fructus ex re fructifera. 1. tom. 307. 2. tom. 110.
Cenſus eſt propria uſufructus emti ſpecies. 2. tom. 141.
Cenſus in ſolius venditoris gratiam redimibiles, in Belgio, & aliis Catholicis locis creabantur. 2. tom. 8. Mos iſte exolevit, præſertim ob facultatem repetendæ pecuniæ, & in mutuum atque in Uſuram dilapſus eſt. ibid. Hoc multo magis ab acatholicis, qui fœderatum Belgium occuparunt promotum eſt. ibid. Privata chirographa invaluerunt. ibid. A Schielandię Paſtoribus Lovanienſes Doctores conſulti, bis deliberarunt, & contractus illos Uſuræ damnarunt. ibid.
Cenſus dividitur tripliciter in perpetuum ſc., temporalem, & mixtum. 2. tom. 152.
Cenſus medii definitio. 2. tom. 152. Quatenus perpetuus ſub conditione reſignationis ſemper poteſt eodem pretio redimi. ibid. & 153.
Cenſus perpetui definitio. 2. tom. 152.
Cenſus perpetui eſt incapax perſona. 2. tom. 154. Cautio in hoc adhibita eſt Uſurę pallium. 161. Non valet quod aſſeritur nunquam eſſe mere perſonale, ſed mixtum. 162. Obligatio perſonę rejicitur. ibid.
Cenſus perpetui ſubjectum debet eſſe ſua natura fructiferum 2. tom. 151. Et immobile ex S. Pio V. 153.
Cenſus perpetuus poteſt conſtitui ſemper redimibilis. 2. tom. 152. & 153. Cum redimitur eodem pretio redimendus. ibid.
Cenſus temporalis ęſtimandi regula pro ſola æſtimatione penſionum 2. tom. 155. 157.
Cenſus temporalis definitio. 2. tom. 152. Nec ſemper poteſt redimi, nec ſemper eodem pretio. 153.
Cenſus temporalis Levitici cap. 25. quatenus redimibilis. 2. tom. 155. Hoc jus non legale, ſed naturale erat. ibid. Hunc cenſum ita redimibilem ſicut perpetuum putantes hallucinantur. ibid. Ita facientes Hebręi a Nehemia Uſuræ damnati. 157. An jus temporale diuturnius poſſit valere ſupra perpetuum. 158. In æſtimatione temporalis cenſus conſideranda ratio quantitatis, temporis, & periculi. 160. Poteſt & intereſſe ratio haberi. ibid.
Cenſus temporalis ſolæ perſonæ ſunt capaces. 2. tom. 154.
Cenſus perſonalis emtio iniqua, maxime ſi diuturna. 2. tom. 164.
Cenſus perſonalis perpetui ſententia nova. 2. tom. 163.
Cenſus perſonalis non univerſim licitus & in conſcientia tutus habitus a Summis Pontificibus, & Epiſcopis. 2. tom. 150. Originem perſonalis cenſus aliqui ab antiquis ducunt. ibid. Alii probatum dicunt in Evangelio. ibid. Alii Eſdrę cap. X. ibid. Quędam officia, quę Romę veneunt, redditus perſonales pariunt. ibid. Alii confirmant ex Bulla Nicolai V. ibid. Rationem dant. 151.

Cenſus perſonalis quid ſit. 2. tom. 123. & 152. Non admittitur perſonalis cenſus ut collocandus in jure percipiendę annuę penſionis a perſona, quę ſe huic ſolvendę obliget, ut communis omni Uſurę. ibid.
Cenſus ratio in jure percipiendi fructus ſita eſt. 2. tom. ibid.
Cenſus reales in ſolius venditoris gratiam redimibiles in Belgio, Germania, Hiſpania olim creabantur. 2. tom. 7.
Cenſus realis emtio, & venditio cum pacto retrovendendi. 2. tom. 109.
Cenſus realis eſt jus percipiendi fructus ex re fructifera. 2. tom. 110. 153. 235. In ipſo non prædium, ſed jus aliquod percipiendorum fructuum emitur. 110. Fructuum rei fructiferę nomine veniunt tributa, vectigalia &c. ibid.
Cenſu reali Montium non tantum, ſed privatis etiam, ac publicis neceſſitatibus conſulitur. ibid. In cenſu plura requirit S. Pius V., quæ non requirebantur a Martino V., & Callixto III. 111.
Cenſus reſervativus. 2. tom. 122. De pacto huic cenſui appoſito. 123. Quatenus periculum cenſus emti ſpectet ad emptorem. V. Periculum.
Cenſus ſoli ſubjecto fructifero imponendus. 2. tom. 151.
Centeſima quid importet. 1. tom. 135.
Centeſima quonam pacto accipienda per ipſos heterodoxos ex Eſdræ 2. cap. 5. 1. tom. 106. & 107.
Centeſimatores idem ac decimatores. 1. tom. 135.
Charitas fraterna ſpiritualis Chriſtianorum eſt ſuper carnalem fraternitatem Hebræorum. 1. tom. 155.
Charitatis fraternæ finem, non paupertatis proſpexit Deus, fœnus Hebræis interdicendo. 1. tom. 154.
Charitatis duo mandata. 1. tom. 210. Primum. 211. ad 216. Ex charitate gratis proximo præſtanda omnia bona, & officia, quibus eget. ibid. Non prohibet, ſi in hoc præſtando quid damni incurratur, quærere quod noſtra intereſt; niſi magna proximi neceſſitas contrarium ſuadeat. ibid. Nihil autem ſupra id quod noſtra intereſt poteſt exigi. 212. Nihil ex eo quod proximi intererit. ibid. Et hoc ſive ex præcepto, ſive ex conſilio hoc fiat. ibid. Secundum charitatis mandatum. 216.
contra Charitatem nonnunquam etiam graviter peccatur; leges charitatis in caſibus practicis conſultę, quando, & quatenus hoc evenire poſſit demonſtrant. 2. tom. 218 224.
ex Charitate quandoque non licet quod ex ſe juſtum eſt. Non in omnibus tamen caſibus obligat charitas, ſi de re juſta agatur. 2. tom. 20. 24. Nulla lex charitatis poteſt præcipere reſtitutionem. 30.
Chriſtiano quivis homo pro fratre habendus eſt. 1. tom. 147.
Chriſtus lege Moyſis prohibente Uſuras intacta relicta, perfectionem in Evangelio adjecit. 1. tom. 44. 153. Cur non fecerit expreſſiorem Uſurę prohibitionem in Evangelio. 45.
Clementina *Ex gravi* de Uſuris eſt Viennenſis. 77.
Clerici per canones, laici per ſacras conciones ab uſuris removebantur. 1. tom. 95.
Clericis non eadem de cauſſa interdicta eſt Uſura ac negotiatio. 1. tom. 96.
Clericis ſolis interdictam per veteres canones Uſuram eſſe, hoc non probat eam licere laicis. 1. tom. 94.
Clerus Gallicanus. Propoſitio 59. ab ipſo damnata an. 1700. In præf. xxxiii. Cenſura hujus Propoſitionis. ibid.
Cloppenburgius contra Salmaſium commotus. In præf. xxii.
de Colonia P. Andreas nititur purgare ab Uſura lucrum, quod ex pecunia mercatoribus, vel camporum emptoribus tradita percipitur. In præf. xxx. Subtrahit a mutuo, & cum mercatoribus contractum trium contractuum,

ctuum, cum emptoribus agrorum cenſum realem, vel alium contractum implicite initi contendit. ibid. in præf. xxx.
Commercio quantum damni ex negotiatione credito. 2. tom. 154.
Commercio utilior permutatio. 1. tom. 251.
Commercium neceſſarium humanæ vitæ, ac ſocietati, quodnam ſit. 1. tom. 249.
Communitates pro immobilibus habentur. 2. tom. 154.
Concilia hæreſim circa Uſuram damnantia. Concilium Viennenſe Catharorum hæreſim damnat. In præf. xiv. Lateranenſe. ibid. Saltzburgenſe, Avenionenſe, Burdigalenſe. xv.
Conciliorum teſtimonia contra Uſuram divino jure prohibitam habes 1. tom. 73. ad 76.
Conciliorum teſtimonia de injuſtitia Uſuræ, & obligatione reſtitutionis habes 1. tom. 117.
Concilium Viennenſe non Courſinos, ſed Patarenos damnavit. In præf. xv. & 1. tom. 88.
Concilium Viennenſe non ſolas immodicas Uſuras reſtituendas dicit. 2. tom. 28. Hujus Concilii hiſtoria. 66.
Concilium Viennenſe ſub Clemente V. excomunicationem tulit contra Civitatum Rectores, qui ſtatuta de ſolvendis Uſuris ederent, vel edita non delerent. 2. tom. 0.
Conſtitutio S. Pii V. quas conditiones requirat. 2. tom. 111.
Conſtitutiones Pontificum adverſus cambia, & depoſita, non referuntur ad jus poſitivum. 2. tom. 54. Aliquę tamen poſitivum jus in aliquem contractum induxerunt, ut Pii V. Conſtitutio de Cenſibus. 55. Hoc per conditiones jure naturali, & divino minime neceſſarias. ibid.
Contractus Antichriſeos, vulgo *dare a godere*. qui meram fundi hypothecam, & fructus ſine emtione importat, eſt uſurarius. 2. tom. 52. 113. 148. 234.
Contractus commiſſionis, & cautionis periculum, qui contractus trium contractuum dicitur, quid ſit. 2. tom. 176. Contractus iſte ſocietati duplicem cautionem addit, capitalis ſcilicet, & lucri. ibi. Iniquus; non enim ſervat ęquitatem, ſolius enim lucri, non damni ſocietas eſt. 176. Iniquiſſimus, quia ſolum lucrum percipit, etiam in ſocii damno. ibid. Iniquitatem hanc patefacit caſus. 177. Leges Romanæ; periti ſſimi negotiatores, & ipſi Uſurarum patroni idem agnoverunt. ibid. V. Romanæ leges, V. Savary. V. Molinęus. V. Ameſius. Deficit a Juſtitię regulis V. Juſtitiæ. In ipſo non intervenit vera ſocietas. 181. V. Negotiationis. V. Societatem. Excluſa ſocietate reſtat verum mutuum, nomine ſocietatis, & cautionis palliatum. 184. 185. Trium contractuum patroni tantum tres contractus probant, quatenus iidem contrahantur cum tertio. 185. Non pauci hos contractus ſeparatim unum poſt alium ineundos contendunt, ita ut liberum ſit ſocio illos reſpuere, vel acceptare. 186. Alii ſimul iniri poſſe contendunt, non tamen mercatori licere obligationem inferre. ibid. Deponentes pecuniam apud mercatores, tutam a periculo, & cum annuo lucro, perperam trium contractuum nomine ab Uſura aliqui purgant. ibid. Stat contra Bulla S. Pii V., & Sixti V. ibid. Neque juſtus & legitimus idem contractus, mercatore permittente, & libere conſentiente. 187. Idem judicium aliqui faciunt de ſocietate animalium, ac pecunię. ibid. V. Societas. Ex hoc quod cum duobus diſt nctis hominibus poſſit agi de cautione, perperam deducunt aliqui hoc poſſe fieri cum unico negotiatore. 188. ad 192. Eccleſiæ auctoritas contra hunc Contractum. 202.
Contractus fœnebris utrique contra-

trahenti utilis non eſt licitus. 1. tom. 304.

Contractus fœneratitius, quatenus mutuum, utilis, licitus, honeſtus eſt. Quatenus vero obligationem Uſuræ imponit, iniquus, & injuſtus eſt. 1. tom. 298.

Contractus lucrativus eſt uſurarius, in eo enim non ſolum eſt mutuum, ſed nec ad alium contractum præter mutuum reduci poteſt. 1. tom. 6. In quocunque contractu pretium quod ſupra juſtam æſtimationem exigitur juſtitiam lædit. 216.

Contractus Moathra. 2. tom. 121. Proſcriptus ab Innocentio XI. prop. 40. ibid. 185.

Contractus, qui re mutuum, & Uſura eſt, non poteſt eſſe ſimul alius contractus. 229. Data in contrahentibus implicita voluntate, adhuc hi contractus ab omni Uſura, & injuſtitia non purgantur. 231. Pecunia hoc contractu implicitæ ſocietatis negotiatoribus tradita appellatur depoſitum, cum autem negotiationi permittitur hoc depoſitum, mutuum a Juriſconſultis Romanis appellatur. ibid. Hæc depoſita ad annuum lucrum apud mercatores a ſocietate aliena ſtatuit Savary. 233. Contra ſupradictum ſyſtema ſtat Eccleſiæ auctoritas. 234. Quæ contra hanc, auctoritatem opponuntur 235. & 236. refelluntur. ibid. Hoc definitum a Gregorio XIII. 237. V. Gregorius.

Contractus trium contractuum. 1. tom. 271.

Contractuum implicitorum ſyſtematis impugnandi neceſſitas. 2. tom. 215. & ſeq. Quæ voluntas in contractibus requiratur. V. Voluntas. Hęc non adeſt in iſtis contractibus. 228. Voluntas lucrandi omni meliori modo de ſuo, ex more regionis, & proborum, & ad legum, & judiciorum modum refellitur. Ibid. Nec refert quod nec mutuum, nec Uſuram velint, ſed lucrum licitum, & alium contractum. ibid. Cum contractus iſte ſit illicitus, voluntas non facit licitum. ibid. Et cum nihil aliud ſit, quam mutuum, lucrum exinde proveniens eſt Uſura. ibid.

in Contractibus ubi æqualitas ſervatur, juſtitia eſt, ubi inæqualitas, injuſtitia. 306.

in Contractibus quę voluntas requiratur. V. voluntas.

le Coreur duplex mutuum diſtinguit, alterum quo res datur in conſumtionem, alterum quo datur in negotiationem; primum mutuum, alterum contractum commercii; ex hoc lucrum licitum, in primo non. In præf. xxxii.

Courſini publici fœneratores. In præf. xv. Uſurarum peccatum deteſtantes, variis titulis lucrum ſuum tegebant. ibid. Uſurarum exceſſum extorquebant. 1. tom. 88. Hi Uſuras exercebant, falſum tamen de Uſuris dogma non tradebant. ibid. Quibus artibus Uſuram palliabant. ibid. & 127. Specioſo damni, & intereſſe titulo maximas Uſuras occultabant. 2. tom. 51. Hinc aliqui antiqui titulo lucri ceſſantis, qui de facili ſimulatur, infenſi ſunt facti. ibid.

Criminatio adverſariorum Catholicis Theologis, & Canoniſtis impacta refellitur. 1. tom. 307. Alia eorundem criminatio. 310.

D

S. DAniel Stylita cur medietatem fœnoris pecunioſis quibuſdam permiſerit. 2. tom. 50.

Dare in abuſum eſt idem ac dare in conſumtionem. 1. tom. 2.

Definitio Cambii realis. 2. tom. 211.

Definitio Cenſus. V. Cenſus.

Definitio Donationis. 1. tom. 195.

Definitio Locationis. V. Locatio.

Definitio mutui a Broederſen data. V. Broederſen.

Definitio vera Uſuræ. 2. tom. 111.

Hęc

Hęc Uſuræ definitio licet aliis verbis, eadem ſane eſt & Patrum, & Scholaſticorum. 2. tom. 16. V. Scholaſtici. V. Patres.
Definitio Uſuræ ex Arabis. 1. tom. 9.
Definitiones duæ mutui ex Romanis. 1. tom. 2. Vera ejuſdem definitio. ibid.
Depoſita apud Mercatores. V. S. Pii V.
Depoſita cum mercatoribus, utpote uſuraria, damnavit S. Pius V. 2. tom. 54. V. S. Pius V.
Diſtinctio inter corpus rei mutuatæ, & quantitatem ejuſdem. 1. tom. 15.
Diſtinctio inter mutuum, & Uſuram. 1. tom. 297.
Divitum neceſſitates. V. Neceſſitates. Ipſis in neceſſitatibus utilius eſt quidvis agere, quam fœnus contrahere. 1. tom. 247.
Doctrina divini, & naturalis Juris ſemel definita, non ſubeſt diſpenſationi. 2. tom. 103.
Dogma catholicum de Uſuris a nonnullis controvertitur. ibid.
Dogma catholicum non fundatur in jure humano canonico, nec civili. 1. tom. 21. Non in jure naturali, niſi fidei, & divini juris principiis ſuadeatur. ibid. Sed in ſola ſacra auctoritate, qua omne dogma continetur. ibid.
Dogma Eccleſiæ de Uſuris eſt: Nomine Uſuræ, quæ ſive in Scriptura, ſive in Traditione prohibetur, non modicum ſolum, ſed quodlibet ſupra ſortem lucrum ex mutuo eſſe accipiendum. 1. tom. 28.
Dogma nullum gravius, quam quod integritatem fidei, & morum ſanctitatem ſervat. In præf. 1.
Dogmatis Catholici de Uſuris hoſtes pugnantes inter ſe, fiunt ejuſdem defenſores. 153.
Dominii translatio in mutuo ex Joannis XXII. Conſtitutione. 2. tom. 22.
Dominii translationem non exigit in Uſura bonum publicum. 1. tom. 132.
Dominium omne eſt jus, non e contra. 1. tom. 19.
Dominium quantitatis, quod in mutuo dicitur non alienari, non eſt reale, & proprium, ſed improprium, & ex fictione juris. 1. tom. 17. 222.
Dominium rerum transferre non poſſunt leges humanę contra jus naturale, & divinum. 1. tom. 130. Quatenus poſſint, vel non poſſint. ibid. In Uſuris non. ibid.
Donatio in quo diſcrepet a mutuo. 1. tom. 16.
Dubitationes a ratione excitatę ad jus naturale ſolum pertinent, nihil autem probant contra certiſſimum jus divinum contra Uſuras. 1. tom. 87.

E

Eccleſia tota, Pontifices ſc., Epiſcopi, Concilia, Uſuram etiam a divitibus exactam damnat. 1. tom. 185.
Eccleſia ſemper abhorruit a probanda Uſura etiam moderata, et pariter quando videbatur magis neceſſaria. 2. tom. 53. Ne quidem in Judęis. ibid.
Eccleſiæ auctoritas quam neceſſaria in quæſtionibus de Uſura decidendis. 2. tom. 192. In quo hæc conſiſtat. 193.
Eccleſiæ monumenta de injuſtitia Uſurarum. 1. tom. 120. & ſeq.
Eccleſiæ ſilentium, ex quo adverſarii contractus uſurarios ipſam approbare contendunt, non eſt ſignum approbationis, & ipſa ſatis in hac parte locuta eſt. 1. tom. 311. Proferuntur teſtimonia. ibid.
Emphyteuſis quid ſit. 2. tom. 141. Emphyteota domino penſionem ſolvit non pro ratione fructuum, ſed in recognitionem dominii. ibid. Qui ſenſus axiomatis: Ni res pereat tota non liberatur Emphyteota. ibid.
Emtio cenſus. V. Cenſus.
Emtio cum pacto retrovendendi apud antiquos quo pacto perfice-
re-

Digitized by Google

retur. 2. to. 131. In quacunque emtione fundi, vel cenſus, periculum per ſe ſpectat ad emtorem. 140.

Emtio rei fructiferæ cum locatione, & pacto retrovendendi. 2. tom. 107. Hac conſulendum neceſſitatibus Montium Pietatis. ibid. Quę cautiones pro vera emtione. 109. Hodie neglectæ. ibid.

Emtionis conditiones. 1. Ut ematur vere aliquid fructiferum, aut uſusfructus ejus. 2. tom. 111. Quid ſit fructiferum. V. Fructiferum. 2. Ut emtio ſit vera. ibid. Non ſufficit pignus, aut hypotheca rei fructiferę. 111. Romanę ſedis praxis. ibid. Requiritur intentio emendi, & vendendi reſpective. ibid. Et quidem in utroque. 113. Ad emtionem an requiratur deſignatio fundi. 115. Et quę. 117. Emtio & venditio prędii pro indiviſo. 116. In emtione requiritur proportio in pretium, & rem quæ emitur. 117. Hæc eſt varia ex temporum & locorum varietate. ibid. Emtione legitime contracta cavendum ne contractus mutui ſcribatur. 118. V. Pacta.

Error affirmantium mutuum non eſſe, niſi res detur phyſice conſumenda; ſi autem detur ad vendendum, & lucrandum, non mutuum, ſed contractum commercii appellant. 1. tom. 11.

Error aſſerentium Uſuram in uno lucri exceſſu conſiſtere. 1. tom. 22.

Error Chriſtiano-Judaicus circa Uſuram in Gallia. In præf. xvii.

Error defendentium Uſuram ab injuſtitia ex hoc, quod vocant illam mercedem, aut pretium uſus pecunię, ſicque ad ſpeciem locationis reducunt. 1. tom. 217.

Error ex ignorantia, non ex pertinacia originem ducens, catholico dogmati non opponitur. In pręf. iii.

Error exiſtimantium mutuum in eo ſitum eſſe ſi pecunia tradatur gratuito, non autem ſi tradatur ad lucrum. 1. tom. 6.

Error nullus pernicioſior, quam qui fidem lædit, & morum ſimul ſanctitatem corrumpit. In præf. i.

Error popularis putantium vitare in mutuo Uſuram, quia non intendunt mutuum, ſed lucrum. 1. tom. 5.

Errores dogmatici in materia Uſurarum nihil apud catholicos obtinuerunt, niſi per ignorantiam. Huic ſatis conſultum ſi doceantur non ſolum Uſuram eſſe peccatum, ſed quid vere, & practice ſit Uſura. 2. tom. 125.

Evangelii locus: *Mutuum date, nihil inde ſperantes*. 2. tom. 39. Quomodo hunc textum intelligant Uſurarum patroni. ibid. Duæ literales interpretationes hujus textus. 40. Datur integer textus. ibid. Duplex hujus loci explicatio, non excludens prohibitionem Uſuræ. Prima. 41. Secunda. 42. Iſta a PP. probata. 43. In utraque omnis Uſuræ prohibitio a Chriſto confirmatur. ibid. & 153. In hoc textu duplex vocis *nihil* ſenſus: ſi lucrum reſpicit, continet Uſuræ prohibitionem; ſi capitale, eſt meri evangelici conſilii. 60. Parabola ſervi pigri a Domino reprehenſi Lucæ XIX., & Matthæi XXV., ab adverſariis objecta. 54. Ex ea nihil quod Uſuram approbet. 55. Quin potius improbat. ibid.

Exceſſus tres Patribus affixi ſunt: Primo, quod in damnanda omni Uſura, compenſatoriam non exceperint. Secundo, quod non Uſuram ſolum, ſed etiam pignus reprobarint. Tertio, quod nec ſortem, aut reſtitutionem exigi ſinant. 1. tom. 180. Patres vindicantur. ibid. ad 182.

F

Facultatis Theologiæ Pariſienſis inter articulos doctrinæ circa Uſuras nonageſimus primus citatur, & datur in præf. xxxvi.

Fideicommiſſis undequaque adſtrictis cum pecuniæ neceſſitate præmuntur,

tur,

tur, non opus ad Uſuram confugere. 2. tom. 149. Remedia ſunt: aliquod prædium ad certum tempus locare, vel ad vitam, aut cenſum temporalem, ſeu vitalitium vendere. ibid. Qua ratione nonnullis Nobilibus Romani Pontifices conſuluerint. 149. Eorum conditio ſimilis illi veterum Hebræorum. Sicut iſtis conſuluit Deus, ſic & iſtis conſuluendum eſt. ibid.
Fides catholica non tantum ſpeculativa, ſed etiam practica dogmata complectitur. 1. tom. 192.
Fiducia ſpecies antichriſeos. 2. tom. 114. Fiducia quid importet. ibid.
de Fieux Ep. monitum ad Confeſſarios de contractu emtionis. 2. tom. 115.
Florentinæ Synodi ſilentium Uſuræ non favet. 1. tom. 99.
Fœnerare quid importet. 1. tom. 30.
Fœnerator quanto pejor ſit fure. 1. tom. 204.
Fœnoris diſtinctio ex PP. inter humanum, & divinum; humanum illicitum ſemper, divinum vero licitum authumant. 1. tom. 171. PP. loca huc ſpectantia. ibid. & ſeq.
Fœnus & Uſura dicebatur promiſcue apud antiquos omnis acceſſio ſupra ſortem. 1. tom. 92.
Fœnus inter illiberales, inhoneſtos, & ſordidos quæſtus vulgo habitus exercentes, in odia hominum inducebat. tom. 1. 199.
Fructiferum dupliciter ſumitur. 1. Pro ea re, quæ fructum ex ſe gignit, ut campi, animalia &c. 2. Pro ea, quæ poteſt eſſe uſui diuturno, ut domus &c. 2. tom. 111.
Fundi deſignatio in emtione, & cenſu quæ requiratur. 115. V. S. Pii V. V. Jure naturæ. Non eſt par ratio in emtione fundi, & cenſus, pro deſignatione ipſius. ibid.
Fundi venditiones integro pretio non ſoluto. 2. tom. 123.
Fundo pereunte, cui uſusfructus adhæret, ipſe uſusfructus perit. 2. tom. 140.
Fundus pignoratus quid ſit. 2. tom. 114.

G

Gallicanus Clerus, Epiſcopi, Facultas Pariſienſis, trium contractuum contractum damnant. 2. tom. 199.
Germani. V. Uratiſlavienſes.
Germani fœnus non tam ignorarunt, quam averſati ſunt. 1. tom. 203. 253.
Germanica Cenſus perſonalis conſuetudo. 2. tom. 232.
Giacarus P. Vincentius Opuſculum edidit de livellario contractu. 2. tom. 113.
Græcorum mos in mutuo amoris. 1. tom. 2.
Græcus Auctor nullus ſenſit contra catholicum dogma de Uſuris. In præfat. vii. Eorum multi, etiam ſchiſmatici, cum catholicis conveniunt in eodem dogmate. ibid. Eorum teſtimonia proferuntur. In præfat. viii. & ſeq.
Gregorii XIII. Conſtitutione diſpenſatum a rigore Bullæ Pii V. de Cenſibus, abolitis tamen pactis Bullæ Nicolai V. contrariis. 2. tom. 7. Idem in Literis ad Bavariæ Ducem, non immodicas, ſed moderatas Uſuras reſtituendas reſcripſit. 28. 54. 55. 62.
Gregorius XIII. damnavit tanquam uſurarium contractum lucrativum, quo pecunia ad moderatum lucrum pariendum tradebatur. 1. tom. 6. Ejuſdem Decretum in materie uſurarum ad Guillelmum Bavariæ Ducem. 1. tom. 317. Occaſio hujus reſcripti. ibid. Ejuſd. Guillelmi Epiſt. ad S. Carolum. 1. tom. 319. Forma contractus, de quo reſolutio. 322. Decretum Apoſt. ibid. Obſervationes in Decretum. 323. Idem Decretum cit. 259.
Gregorius XIII. in reſcripto ad Bavariæ Ducem cenſus perſonales,

Digitized by Google

les, & alios implicitos contractus uſurarios definit. 2. tom. 237.

H

HÆreſeos nota ſententiæ aliquam Uſuram defendentis a quibus Theologis, & Canoniſtis impacta ſit habes 1. tom. a n. 80. ad 85.

Hæretici Traditionem negant eſſe verbum Dei. 1. tom. 61. Alii non, ſed Patrum, & Traditionis teſtimonia aliter explicare conantur. ibid.

Hæretici Uſurarum patroni mutuum lucrativum ſoli a ſubſidiario diſtinguunt. 2. tom. 168. In ſubſidiario mutuo Uſuram damnant, in lucrativo licitam defendunt. ibid.

Hebræi qua occaſione ab aliquibus Civitatibus acciti. 2. tom. 90.

Hebræi Veronam vocati ad mutuandum indigentibus ſub moderato fœnore. 2. tom. 53. Dubitatum num licite. Sancta Sedes conſulta. ibid. Reſponſum non eſſe ſuę poteſtatis, obſtante Dei prohibitione. 54.

Hebræi Uſuram cum alienigenis licitam defendunt. In præfatione XVIII. Ante diem trigeſimam non poterant repetere mutuum. 1. tom. 3. Omnis Uſura, ſaltem inter fratres, ipſis interdicta. 106. Lex divina fuit ipſis loco legis civilis. 106. Illorum error circa alienigenas. 37. & 108. V. Alieni. Fraternitatis, non paupertatis ratio in illorum lege Uſuras prohibente attendenda; hinc etiam cum divitibus, & negotiatoribus prohibitę Uſurę. 150.

Heterodoxi Uſurarum propugnatores pauperum caſum excipiunt. In præf. XXIV. Ita Ameſius, Grotius. ibid. Puſendorfius, Cloppenburgius, le Placette a Barbeyrachio memoratus, Budęus. XXV. Ab iiſdem damnatur Uſura, quæ modum excedit. XXVII. Si lex, vel conſuetudo fixit limites, amplius vel minimum exigere injuſtitiæ damnant. ibid.

Hiſpaniæ Epiſcopi contractum trium contractuum damnant. 2. tom. 199.

I

JAcobus de Cortona Peruſinus Epiſcopus, conſilium, & auctoritatem Hermolao Barbaro ad revocanda Hebręorum privilegia præſtat. 2. tom. 91.

Imperatores jure divino Uſuram prohibitam agnoſcentes, & vetantes. Juſtinianus Imperator. tom. 1. 70. Baſilius. 73. Ex iſtius Imperatoris lege dignoſcitur Uſuram jure divino prohibitam comprehendere tam divites, quam pauperes. 169. Leo Sapiens jus divinum agnoſcit. ibid.

Janſeniſtæ a Gallia in Belgium recepti, licet in omnibus conſenſerint, Belgii tamen contractibus non acquieverunt. 2. tom. 8.

Janſeniſtę in Belgio nuper recepti Uſuram lucrativam, non ſubſidiariam defendunt. 2. tom. 168. Alii ejuſdem ſectę aſſeclę contra ipſos. ibid.

Janſeniſtæ Uſurarum patroni divinum jus interdicens Uſuras in veteri Teſtamento tam pro pauperibus, quam pro divitibus, in novo confirmatum fatentur. 1. tom. 189.

Janſeniſtæ. V. in Belgio.

In ęſtimatione titulorum damni emergentis, & lucri ceſſantis quę cautiones adhibendę. 1. tom. 263. His cautionibus ſervatis, quod vere intereſt, non eſt Uſura. ibid. SS. PP. eundem titulum non damnant. 264. Ejus quod intereſt nomine, lucrum, & damnum poſſibile non comprehenditur, ut volunt adverſarii. 266.

Indi, Perſæ, & plures Arabum ſectę pecuniam fœnori non locant. 1. tom. 253.

Iniqui, & injuſti voces quo ſenſu a Patribus ſint acceptæ. 2. tom. 24. Quo a Broederſen. ibid.

In-

Injuſtitia Uſuræ. v. Reſtitutio.
Injuſtitiæ veræ, qua aliena appetuntur diſcrimen, a laiori, qua noſtra, quæ ſunt pauperum, retinemus. 1. tom. 126.
Innocentii III. Canon in nihilo contractui trium contractuum favet. 2. tom. 194.
Innocentii III. Canones duo non patrocinantur Uſurę. 1. tom. 97. & 98.
Innocentius XI. Propoſitio 40. ab eo proſcripta. 2.tom.121. Propoſ. 41. ab eodem confixa. 103. 213.
Intereſſe æſtimatio non in jure, ſed in facto conſiſtit. 1. tom. 107.
Intereſſe eſt titulus juſtiſſimus. 1. tom. 260.
Intereſſe in omni mutuo adverſarii affirmant, ut in omni mutuo lucrum, ſeu Uſuram aliquam defendant. ibid. Ab intereſſe valde diſcrepat pœna moræ. quæ ſpectat ad vindicativam, non ad commutativam juſtitiam. 1.tom. 263.
Intereſſe intelligitur de lucro ceſſante. & damno emergente. 1. tom. 206., 263. Si de vero, & juſto lucro ceſſante, & damno emergente accipiatur, non autem de poſſibili, eſt pretio æſtimabile. 263.
Intereſſe legitimum non eſt vera Uſura. 2. tom. 28.
Intereſſe verum mutuatarii, non mutuantis cõſiderandum eſt.1.to.213.
Interuſurii nomine non ſemper Uſura, ſed quandoque juſtum lucrum intelligitur. 2. tom. 165. Sic intellectum importat quod ex contractu licito pecunia quaratur. ibid.
Itali Epiſcopi trium contractuum contractum vetant. 2. tom. 100.
B. Ivetta Uſuras errore vulgari admiſit. 2. tom. 28. Ut illam malam & reſtituendam novit, ſoli interni fori judicio hoc fecit. ibid. Licet bona fide id fecerit, pœnitentia tamen & reſtitutione ſatisfecit. 50.
Beatæ Ivettę tempore peccatum Uſurę in Belgio aut omnino veniale æſtimabatur, aut nullum. In præf. xv.
Jure naturæ minus malum poteſt permitti ad majus cavendum, quod alia via impediri non poteſt. ibid.
Jure naturæ quæ deſignatio fundi in emtione, & venditione requiratur. 2. tom. 115.
a Jure poſitivo res licita, utilis, & neceſſaria non vetatur. 2. tom. 55.
Juris eccleſiaſtici tum veteris tum novi teſtimonia quomodo ſuſcipienda. 2. tom. 40.
Juris naturalis argumenta ex veteri Teſtamento habes 1. tom. 106. 107. Ex Patribus. 197. Ex Scholaſticis, Conciliis, & Romanis Pontificibus. 169.
Jus canonicum novum de Uſuris veteri nihil aliud addidit, niſi expreſſius reſtitutionis preceptum, & pœnas. ibid. Penę ad diſciplinam ſpectant. reſtitutio injuſtitiam Uſurę oſtendit. ibid. Diſciplinę, non dogmatis mutatio in hac materie facta eſt ſeculo XII. 51.
Jus divinum poteſt precipere, & vetare ea, que naturali jure precepta, aut vetita non ſunt. 1. tom. 101. 233.
Jus divinum Uſuras prohibens in lege Evangelica non tam clericos, quam laicos ligat. In præf. viii.
Jus utendi, in rebus, quæ uſu conſumuntur, non ſeparatur a proprietate, ſeu dominio. 1. tom. 13.
Jus gentium plures a naturali jure derivant. 1. tom. 109.
Jus in re, jus ad rem. 1. tom. 10.
Jus naturale in moralibus duplici ratione cognoſci poteſt; a revelatione, & auctoritate divina & a ratione. 1. tom. 105. Ex ipſo naturali jure prodit ratio naturalis. ibid. Quod cæteroquin ratio non poteſt definire, hoc facit auctoritas. ibid.
etſi Jure naturali non eſſet interdicta Uſura, potuiſſet tamen divino, in veteri & novo Teſtamento, Jure vetari. 1. tom. 192. Nihil

Digitized by Google

hil præceptum, aut vetitum a Chriſto ex veteri lege in præceptis moralibus, niſi quod naturali jure præceptum, vel prohibitum eſt, ex S. Thomæ, & plurium Scholaſticorum principio. ibid.

Jus provinciale Alemanicum Uſuram jure divino vetitam agnoſcit. 1. tom. 76.

Juſtitia nec pauperem, nec divitem reſpicit. 2. tom. 24.

a Juſtitiæ regulis Contractus trium Contractuum deficit. 2. tom. 179. Vere non ſolvitur pretium duplicis cautionis. ibid. & 180.

L

LAicis etiam, non ſolis Clericis, interdicta eſt jure divino Uſura. 1. tom. 94. Si non prohibita jure Eccleſiaſtico per canones, eſt tamen ſatis per eoſdem reprobata. 95.

Latini veteres fœnus a mutuo diſtinguebant; fœnus cum Uſura, mutuum ſine Uſura; ac proinde gratuitum eſſe debere dicebant. 1. tom. 10.

Leges aliquando Uſuras prohibuerunt. 1. tom. 203.

Leges fuerunt latæ non ad probandas, ſed ad vitandas, & coercendas Uſuras. ibid.

Leges humanæ cum non poſſint Uſuram purgare ab injuſtitia, neque poſſunt eximere ab ejus reſtitutione. 1. tom. 138. & ſeq.

Leges humanæ non poſſunt liberare ab injuſtitia Uſuras contra jus divinum certum. 1. tom. 128. De vi legum civilium, quod boni publici cauſſa juſtum efficiant quod per ſe injuſtum, eſt novum ſyſtema. ibid. Falſæ hypotheſi innixum oſtenditur. 129. Confutatur ratione. 130. Auctoritate ſacra. 133. Principum auctoritate. 136. Et ipſorum inſignium Uſuræ patronorum. 137.

Leges permittentes Uſuras latæ ſunt ad illas coercendas, ne aut mutuum negaretur indigentibus, aut etiam graviſſimæ ex arbitrio extorquerentur. ibid. Dantur leges ſupradictæ. 204. Tres reſtrictiones in ipſis legibus permittentibus Uſuras. ibid. & 205. Introductæ ſolius damni reſarciendi cauſſa. 206. Hinc non proprie approbata Uſura, ſed id quod intereſt. ibid. Cum autem hoc non in jure, ſed in facto conſiſtat, pro indemnitate creditorum & debitorum facta eſt certi pretii taxatio, ad Uſurarum modum ſolvenda. 207. Hinc orta opinio de probatis Uſuris. ibid.

Leges Uſuram vetantes. 1. tom. 203.

Legiſlatorum præſtantiſſimorum judicia, qui neceſſitatem Uſuræ non agnoverunt. 1. tom. 253. ad 258.

Legum humanarum fœnebrium Synopſis. 1. tom. 229.

Legum humanarum vis in transferendo rerum dominio nihil poteſt contra jus naturale, aut divinum. 1. tom. 130. Nulla vis his legibus ad transferendum dominium in Uſura. 131.

Lex antiqua circa Uſuram, & mutuum, confirmata, & perfecta in Evangelio. 1. tom. 45. V. Perfectio.

Locatio definitur quod ſit uſus venditio, dominio rei retento, ſeu, ut alii, ſalva ejuſdem rei ſubſtantia. 1. tom. 218. Explicatur. ibid. Ad veram locationem requiritur ut ſit verus uſus, qui vendi, & emi poſſit, ac tandiu duret, quandiu locatio obligat, et quod res remaneat in locatoris dominio. 1. tom. 218. 2. tom. 221.

Locatio pecuniæ quam injuſta. 2. tom. 217. 299.

Locatio vera & propria non poteſt cadere in pecunię corpora, quę uſu momentaneo conſumuntur. 2. tom. 63. Multo minus in quantitatem. ibid.

Lovanienſium Doctorum de cenſu redimibili judicium. 2. tom. 9.

Lucri ceſſantis juſtum titulum Scriptura & Patres nunquam damna-

Digitized by Google

narunt. 2. tom. 16. Titulus iſte Patrum antiquorum ętate, qua rara pecunia, & negotiandi alia ratio, ab ipſis nec allegari, nec excuſari potuit. ibid. & 50.

Lucri ceſſantis titulo quare aliqui inſenſi. V. Courſini

Lucrum deberi ex induſtria jure negotiationis nimis manifeſtum eſt. 2. tom. 169. 227. Ex parte capitalis nullum jus lucri in negotiationibus, niſi ratione periculi. 170. Hoc valet etiam in pecunia, cujus dominium non transfertur. ibid. Non juvat cujus ſit pecunia, ſi periculum non eſt ejuſdem. ibid. Patet in procuratore, depoſitario, & maxime in fure. ibid. Lucrum negotiationis provenit ex hoc, quod merces viliori emantur, cariori vendantur pretio. ibid. Et hoc partim ex induſtria, partim ex capitali provenit. ibid. Licet lucrum negotiationis ſine pecunia non proveniat, non eſt tamen naturalis pecunię fructus, ſed induſtrialis, & fortuitus. ibid. Capitaliſtę lucrum non ſpectat ex hoc, quod merces loco pecunię ſuccedant. 172. Non ex mandato negotiandi. ibid. Jus lucrandi negotiationis proprium oritur ex periculis negotiationis, non negotiatoris ne fallat. 173.

Lucrum ex pecunia otioſa in graviſſima Montium cauſſa approbatum adverſarii dictitant. 2. tom. 103. Sed perperam. V. Paulli III.

Lucrum non ſolum immoderatum, ſed modicum etiam in mutuo damnavit Viennenſe Concilium. 1. tom. 89.

Lucrum præſertim e pecunia Mercatoribus tradita purgare niſi ſunt P. Chaduc, ſeu Thorentier. In præf. xxxii. P. Mariolles, ac Bezian Arroy. aliique plures. xxxiii.

Lucrum probabile differt a poſſibili. 1. T. 266. 2. tom. 97. Ad lucri ceſſantis titulum in Montibus Pietatis quinque conditiones requiruntur. 2. tom. 97. & ſeq. 1. Quod prędia, vel negotiatio, in qua pecunia conferenda eſt, prompta moraliter, ac parata eſſe debeat. ibid. 2. Quod adſit etiam efficax voluntas negotiandi. 98. 3. Ut charitatis zelo, non animo fœnerandi, negotiatio omittatur. 98. 4. Quod lucrum ex negotio, vel prędio parato, futurum ſit potius majus lucro, quod in mutuo ſtatuitur, non autem minus. 100. Cautiones pro juſte taxando hoc lucro. ibid. 5. Ut lucrum ceſſans, cujus titulo lucrum in mutuo exigitur, ſit licitum. 101. Conditiones iſtæ requiruntur in ceteris mutuis, ubi lucrum ceſſans intervenit. 102. Titulus lucri ceſſantis exprimendus eſt in ſcriptura, ne vitietur contractus, aut ſcandalum oriatur. ibid.

Lucrum probabile eſt vere ceſſans, non autem poſſibile. ibid.

Lucrum probabile ſufficit, dum certo probabile ſit. 2. tom. 98. In titulo lucri ceſſantis Uſura non eſt, quando lucrum eo titulo quęſitum non quæritur, nec intenditur ex mutuo. 101.

Lutheranos inter quo tempore Uſura fuerit propagata, & palam defenſa. In præf. xxiii.

M

Mahometani omnes non mahometanos pro hoſtibus habent. 1. tom. pag. 108.

Maignanus P. Emmanuel lucrum defendit ex eo ſolum pecuniæ uſu, quo pecunia negotiatoribus in negotiationis uſum traditur. In pręf. xxix. Hoc non mutuum, ſed commiſſionis contractum appellat. ibid.

Marguntus ſub finem ſeculi XIV. primus in Photianos errorem contra dogma de Uſuris invexit. In pręf. xi.

Mercatura ab Honorio, & Theodoſio tanquam inhoneſta damnata quænam ſit. 1. tom. 100.

Mercatura cocionatoria vetita nobilibus. 1. tom. 100. Quæ ſit. ibid.

Modi

Digitized by Google

Modi conſulendi hominum neceſſitatibus. 1. Per mutuum, ubi ex mutuo lucrum ceſſans. aut damnum emergens intercedat. 2. tom. 195. 2. Per emtionem fundi, cum pacto retrovendendi. ibid. 3. Per emtionem cenſus perpetui, in venditoris gratiam redimibilis. ibid. 4. Per emtionem cenſus temporalis, ſive realis, ſive perſonalis, ſive vitalitii, ſervatis legitimis conditionibus, nec exacta pretii reſtitutione. ibid.

Modi conſulendi negotiatorum neceſſitatibus. Legitimus ſocietatis contractus, quo negotiationis lucrum, vel damnum, negotiatoribus pro induſtria, divitibus pro capitali communicetur. 2. tom. 203. V. Savary. Difficultates oppoſitæ aliquæ refelluntur, aliis conſulitur. 204. Cum ęre alieno gravati brevi tempore pecuniam quęrunt, non eſt locus trino contractui, neque depoſito, cum hoc ſit Uſurę a S. Pio V. damnatum. 209. Conſulitur ergo 1. Si pecunia quęratur ab iis, qui titulo lucri ceſſantis, aut damni emergentis aliquid ſupra ſortem percipere poſſunt. 210. 2. Cambio reali. ibid. & 211. 3. Pecuniam ſumendo in ſocietatem peculiarium mercium, quas qui indiget habet. 4. Ut certę merces emantur numerata pecunia, quę ad creditum majori pretio emerentur; & datur caſus. 210.

Modos ſupradictos ſimul habes. 2. tom. 223.

Molinęus auctor duorum voluminum de Uſuris. In præf. xx. Uſuram ad legum civilium normam exactam non amplius vetitam aſſerit, niſi quatenus charitati adverſatur. ibid. Tria hominum mutuo petentium genera diſtinguit; pauperum, quibus donum, aut ſaltem mutuum ſine obligatione reſtituendi debetur; egenis verum mutuum cum onere reſtitutionis ſine lucro; negotiatoribus tandem, aut aliis licere ait paciſci de lucro, limites legum, aut conſuetudinum non excedente. ibid. Citatur contra adverſarios. 1. tom. 9. Translationem dominii in mutuo admittit. 13. In omni mutuo aliquid intereſſe affirmat. 260.

Molinęus lucrativam, non ſubſidiariam Uſuram cum aliis hęreticis defendit. 2. tom. 168. Contractus trium contractuum iniquitatem agnovit, 177.

Monopolium quid ſit. 2. tom. 253. Quando licitum, quando non. ibid.

Montes Pietatis impugnati ex mandato Ordinum Hollandiæ. In præfatione. xxii. Cauſa erectionis ipſorum. 1. tom. 103. Quod ſupra ſortem ſolvitur, eſt pro indemnitate ipſorum. ibid. Hac ratione approbati, & definitum in Lateranenſi non eſſe Uſuram. ibid. Si quod ratione indemnitatis ſolvitur ſupra ſortem aliquando poſſit eſſe contra charitatem, certe non eſt contra juſtitiam, & ita non intervenit Uſura. 104. Charitas ab ipſo Monte non læditur, cum nihil percipiat. 105.

Montes Pietatis, Montes Chriſti, depoſita apoſtolica etiam vocantur. 2. tom. 90. Quo tempore primum inſtituti. ibid. Primus Mons eſt Peruſinus. ibid. Pro ſalario miniſtrorum, & expenſis, certum aliquid ſolvendum ab ipſis pauperibus decretum fuit. 92. Non pauci contra hanc erectionem timore Uſurę inſurrexerunt. ib. Qui ſcripſerint pro vindicando ſancto opere. ibid. Pontifices, qui probaverunt. ibid. Qui confirmaverunt. ibid. Doctorum, Collegiorum, Univerſitatum conſilia in favorem Montium. 93. Poſt Bullam Innocentii VIII. adhuc Montes impugnati. 51. 94. Lis definita in Lateranenſi. In Montibus acceſſio ſupra ſortem, non pecuniæ mutuo tradię, nec Montis lucrum eſt. 2. tom. 91. Eſt merum

rum

rum miniſtrorum ſtipendium, & ſumtuum reſtauratio. ibid. Veri damni emergentis titulo exigitur. ibid. Si ſolutis ſalariis, & omnibus expenſis aliquid ſuperſit ex auctione, non cedit in favorem Montis. ibid. Eſt vel reſtituendum, vel in eleemoſynas convertendum. ibid.

Montium Pietatis neceſſitatibus deficiente titulo lucri ceſſantis citra periculum Uſurę conſulendi modi. 2. tom. 107. 1. Emtio rei fructiferæ cum locatione & pacto retrovendendi. V. Emtio. 2. Emtio cenſus realis. cum pacto retrovendendi. V. Cenſus. Hunc modum Sancta Sedes propoſuit Monti Ferrarię. 110. In Montibus Pietatis temporales cenſus locum non habent. 165.

Montes, ſeu loca Montium, quibus pecunia Principi, vel Reipublicę creditur ad annuum lucrum. 2. tom. 54. Apoſtolica Sedes non alios probavit, niſi eos qui veram certorum redditutum emtionem a mutuo alienam præferunt. ibid. Iſtos Sancta Sedes neceſſarios judicavit ad Uſuram purgandam. ibid. Eſſent inutiles, ſi Uſura cum divitibus liceret. ibid.

Montium vacabilium ęſtimatio ad differentiam non vacabilium. 2. tom. 160.

Monumenta in Opuſculis allegata. Paulli III. Literæ pro Mutinenſi Monte Pietatis. 2. tom. 239. Ejuſdem Literę ſuppoſititię tamen, pro Ferrarienſi Monte Pietatis. 241. Julii III. Literæ pro Vicentino Monte. 243. Varia documenta pro Veronenſi Monte Pietatis. Decretum Auguſtini Valerii Epiſcopi. 245. Breve Apoſtolicum Gregori XIII., de quo in Decreto Valerii fit mentio. 250. Lex ſancita in Conſilio magno Civitatis. 252. Documentum ex actis Conſiliorum mag. Civitatis Veronæ. 254. Auguſtini Valerii Edictum. 255. Sixti V. Literæ pro Monte Pietatis Bergomenſi. 256. Alexandri VII. Literæ pro Monte Pietatis Mantuano. 258. Clementis X. Literæ pro Monte Pietatis Ferrarienſi. 259.

Moſcovitæ, licet Uſuræ ſtudioſiſſimi, tamen in doctrina Uſurarum recte ſentiunt. In præf. xii.

Mutui definitio. 1. tom. 1. Hęc eſt de contractu, non de voce mutui. 3. In quo differat a commodato. 1. Ad mutuum requiritur ut par pro pari, hoc eſt res, quę datur mutuo, reddatur non eadem numero, ſed alia, ejuſdem tamen ſpeciei. 2.

Mutui diſtinctio ab Uſura. 1. tom. 297.

Mutui modi ſunt gratis, aut ad lucrum dare, eſſentia autem eſt dare quid conſumtibile ut tantundem reddatur. 1. T. 8. In mutuo transfertur dominium. ibid. 12. Fit alienatio. 14. Vera corporis rei mutuatæ. 16. An autem & quantitatis. ibid. & 221. In mutuo intervenit quædam ſpecies commutationis unius corporis cum alio. 10. In mutuo vi tranſlationis dominii periculum rei pertinet ad mutuatarium. 20. Ad mutuum non requiritur abſoluta, ſed ſufficit conditionata obligatio repetendi. 1. T. 147. Reſtitutionis obligatio per ſe neceſſaria eſt. 148. Si conditio non repetendi addatur, ſicut non tollit obligationem reſtituendi per ſe, ita nec mutuum. ib. Capitale reſtituendum cum lucro, mutuum implicitum, & veram Uſuram pręſtat. 169. Idem dicendum etſi pecunia in negotiationem tradatur. ib.

Mutui natura non confundenda, ſed diſtinguenda a finibus, & modis ipſius. 1. tom. 8.

Mutui notio eſt quod beneficium pręſtat qui mutuum pręſtat. 1. T. 214.

Mutui notio ex Patribus non eſt diverſa a Scholaſticorum. 2. tom. 43.

Mu-

Digitized by Google

Mutui præceptum in quo differat a prohibitione Uſuræ. 1. tom. 52.

in Mutuo licet exigere quantum creditoris intereſt, reſtitutionem ſc. Capitalis, lucrum ceſſans, damnum emergens. 1. T. 213. Exigere quod præter æſtimationem eſt ejus quod noſtra intereſt, non tam contra charitatem, quam contra juſtitiam eſt. 216. In mutuo præter æſtimationem ſortis, & ejus quod intereſt, nihil eſt æſtimabile. 216. In mutuo nihil eſt ex quo juſta locatio, & penſio deduci poſſit. 217. Ex mutuatarii utilitate nihil exigere licet. 213.

Mutuum cum gratuitum eſſe debeat, ubi nihil interſit, eſt ſpecies donationis. ibid. 290. Apud Latinos, Græcos, Hebræos vocibus gratiam, & beneficium ſignificantibus exprimitur. ibid. Ex mutuatariorum commodo, & lucro non fit licita Uſura. 297. Hoc commodum, & lucrum nihil confert ad augendam pecuniæ æſtimationem. 299. Lucrari ex aliorum neceſſitate omnia jura execrantur. 300.

Mutuum date &c. V. Evangelii loca.

Mutuum eſt non ſolum ſi pecunia gratis, verum etiam ſi tradatur ad lucrum. 1. tom. 8.

Mutuum eſt verus contractus. 1. T. 3. Res mutuata non ſtatim, ſed poſt ſtatutum tempus repetenda. ibid. Mutui eſſentia eſt dare quid conſumtibile, ut tantundem reddatur. 8. 288.

Mutuum petere ſub Uſuris aliquando licet, nunquam dare. 1. tom. 102.

Mutuum reale eſt cum res conſumtibilis ad conſumtionis uſum ita traditur, ut poſt aliquod tempus tantundem reddatur. 1. T. 2. 22.

N

Næ Annis Joannes citra Uſuræ vitium putat licere ſupercreſcens lucrum in ſortem Montis augendam convertere. 2. tom. 95.

Navagerii Cardinalis ex mente Theologorum & Doctorum Concilii Tridentini reſponſum. 1. tom. 104.

Navarrus contractum trium contractuum pro viribus tuetur. 2. tom. 176. 195.

Neceſſitas ex fœnore lucrandi ad alendam vitam licitam non facit Uſuram. 1. tom. 259. Hoc non licere declaratum eſt a Gregorio XIII. in apoſtolicis literis ad Bavariæ Ducem. ibid. Sunt aliæ viæ. ibid.

Neceſſitas hominum ditiorum non facit licitas cum ipſis Uſuras. 1. tom. 146.

Neceſſitas mercatorum non facit neceſſarias Uſuras. 1. tom. 249. V. Commercium V. Negotiatio. V. Mercatores.

Neceſſitas privata, & publica Uſuras non exigit. 1. tom. 244. Neceſſitati privatæ, & publicæ non fœnus quod gravat, ſed mutuum ſubvenit. ibid. Sola neceſſitas pauperum eſt vera neceſſitas, non aliorum. ibid. Aliorum neceſſitates vel non ſunt proprie tales, vel aliis mediis opem ſuſcipiunt. ibid. In vera neceſſitate dives a paupere nihil diſcrepat. 146. Sola neceſſitas, non cupiditas lucri, eſt cauſſa legitima ſolvendæ Uſuræ. 252.

Negotiationis ratio juſtum non facit exigere lucrum tuto capitali. 2. tom. 169.

in Negotiatione lucrandi jura ſunt duo, alterum ex parte capitalis, alterum ex parte induſtriæ negotiantis. ibid.

non in Negotiationem, ſed in negotiatorum vitia Sancti Patres acerbe egerunt. 2. tom. 167.

Negotiationis ſocietas, qua plures aliquid proprium in negotium conferunt, ita hoc exponendum exigit, ut ſi alter velit certum, alteri relinquatur incertum, ſocietas ſit deſtructa. 2. tom. 182.

Negotiatorum ſocietates non ſolum lucrum, ſed etiam damnum ſentire debent. 2. tom. 176.

Ne-

Digitized by Google

Negotiatorum temeritati in contractibus quomodo conſulendum . V. Contractus Cambii.
Nehemias Eſdræ 2. cap. 5. exactionem Uſuræ ſub nomine centeſimæ graviter increpat, & reſtituendam præcipit . 1. tom. 106.
Nicæni Concilii Patres omnem Uſuram damnantes,trium contractuum damnare videntur contractum . 2. tom. 193.
Noodt objectio confutatur . 1. T. 32.
Notæ injuſtitiæ proprie dictæ . 1. tom. 110.
Novatores prohibitionem Uſuræ ad politica præcepta referunt, qua ſublata, nec omnis, nec omnibus, nec in omni caſu illicitam dicunt. In præf. xix.

O

OBjectionibus facti ex auctoritate Baſilii Sidonii Apollinaris 1. tom. 100., & Gregorii Turonenſis 101. fit ſatis.
Obligationum duæ ſpecies. Aliæ venales, quibus onus aliquod ſervitutis pretio inducitur, vel jus diſtrahitur; hæ pretium ſuſcipiunt pro ſervitutis, & juris obligatione. Aliæ gratuitæ, nec pretio æſtimabiles. 1. tom. 289.
Officia publica pro immobilibus habentur. 2. tom. 154.
Operis ſcopus, & diviſio. In præfatione xlv.
Oves, equi &c. perpetuum cenſum ferre non poſſunt, cum eorum vita non ſit perpetua. 2. tom. 154.

P

PActa emtionis fundi, aut cenſus emtionis, cum obligatione omnium bonorum; & obligatio redimendi venditori impoſita poſt certum tempus. 2. tom. 120. Utraque a S. Pio V. Uſuræ deputata. ibid. Poſitivi juris, ab aliis autem naturalis habentur. ibid. Regula ſtatuenda pro iiſdem. ibid. His pactis mutui fraus in contractu. 121. An uno deficiente ab Uſura purgetur contractus. ibid.
Pactum cautionis a fortuitis periculis fundi, vel cenſus, in emtionibus, cum pacto retrovendendi, nequit apponi, utpote retrovenditioni contrarium. 2. T. 142. 143. Pactum quod apponitur, ſolum evictionem contractus, vel ſolvendarum penſionum obligationem reſpicere poteſt. ibid. His pactis, ad hypothecam, vel pignus, & conſequenter ad Uſuram iſti contractus reducuntur. 2. tom. 143.
Pactum redimendi, ſi in gratiam venditoris ſit, in emtione fundi eſt licitum, in emtione cenſus eſt neceſſarium. 2. T. 122. In gratiam emtoris a pluribus dubitatur. 123. Quo caſu poſſet. 124. Vitandum tamen, & prohibendum. 124. ad 129. V. Summenbart. Non ſic in cenſibus reſervationis. 122. Diſcrimen inter hæc ſupradicta pacta. 123. Hujus pacti origo. 129. Solum pactum redimendi in gratiam venditoris eſt reperire in emtionibus antiquis fundorum cum locatione. S. Sedes non alios cenſus, niſi ex parte emtoris irredimibiles probavit. 137. Hoc idem Epiſcopi, & Synodi omnes. ibid. Non obſtant Gallicani Cleri acta. ibid. Nec Valerii Veron. Epi. monumentum. 2. tom. 138.
Paleotti Card. Archiep. Bon. monitum ad Confeſſarios de contractu emtionis. 2. tom. 124. 144.
Paleotti Cardinalis reſtitutionis regula in caſu bonæ fidei. 2. tom. 59.
Parabola ſervi pigri injuſtitiam Uſuræ inſinuat ex ipſo Lightfoot. 1. tom. 56. 109.
Patareni, vel Cathari fuerunt primi auctores hæreſis circa Uſuram ſeculo XII. In præf. xii. 1. tom. 76. Eorum hæreſis in Vienneſi damnata. 76. 80. Titulo locationis pecuniæ licitam dicebant Uſuram. 88.
Patres in Uſura nullam exceptionem

nem faciunt . ſed ut illicitam omnino damnant, cum tamen in aliis legibus, quę exceptionem patiuntur, exceptionem faciant. 1. tom. 160. & ſeq. Nec a fœneratorum querelis cum contra Uſuras perorarent moti, ullam fecerunt pauperum reſtrictionem, ſed ſolum alias vias honeſti lucri innuerunt, & nunquam Uſuram cum ditioribus admiſerunt. 162.

Patres ſuperfluum divitum alienum appellantes, quid intelligant. 1. tom. 125.

Patres Uſuram definiunt quidquid ad ſortem accedit. 2. tom. 16. Univerſim omnem Uſuram damnant. 17. Caſus etiam aliquos particulares. ibid. Si non omnes expreſſe, non exinde dicendi liciti. ibid. Patrum auctoritates jus divinum vindicantes circa Uſuras. 24. ad 26. Eorundem aliqua teſtimonia, quæ reſtitutionis obligationem declarant. 27.

Patrum teſtimonia contra titulum probabilis periculi. 1. tom. 279.

Patrum teſtimonia contra Uſuram, ut eſt jure divino prohibita. 1. tom. a 61. ad 75. Hæc PP. teſtimonia ſtant contra Uſuram non ſolum a pauperibus, ſed etiam a divitibus extortam. 154. 172. A ſeculo XIV. ad præſens, omnes Canoniſtæ, Theologi, ceterique Catholici Uſuram utroque Teſtamento prohibitam fatentur, teſte ipſo Salmaſio. 2. tom. 77.

Patrum teſtimonia de injuſtitia Uſuræ, & obligatione reſtitutionis habes 1. tom. 111. ad 117. Ex his PP. teſtimoniis injuſta & vetita eſt Uſura, non ſolum cum pauperibus, ſed etiam cum divitibus. 158. Ipſis ex PP. quod Auctor Examinis pacifici, & alii opponunt, diluitur a 124. ad 128.

Patrum teſtimonia neminem excipientia, ſed omnes, tam pauperes, quam divites, in prohibitione Uſurę comprehendentia. 1. T. 167. Eorum teſtimonia divites etiam, & mercatores expreſſe comprehendentia dantur. 173. ad 176. In hoc cum ipſis Græci Schiſmatici conveniunt. 179. A tribus exceſſibus ab Uſurarum patronis affixis Patres vindicantur. 1. tom. 180. Quinam ſint iſti. ibid. V. Exceſſus vindicantur.

Paulli III. Literę pro Ferrarienſi Montę ſunt apocryphę. 2. tom. 103. Rationes dantur. ibid. & ſeq. Idem de aliis pro Bononienſi, quę non extant. 105. Et pro Mutinenſi, in quibus de otioſa pecunia nullum verbum. 106.

Pauperes V. Uſuras.

Pauperes in maximis neceſſitatibus poſſunt licite Uſuras ſolvere, ſi alia conditione mutuum non inveniant. 1. tom. 145.

Pauperes qui mutuum recipiunt, beneficium commendant; cum tempus vero ſortis, & Uſuræ ſolvendæ advenerit, damnum agnoſcunt, & deflent. 1. tom. 139.

Pauperibus, qui omnino ſunt tales, in pecunię neceſſitatibus nullam ſubveniendi viam, nec Romani Pontifices, nec Epiſcopi invenire potuerunt. 2. tom. 150. Aliqui pauperibus, qui labore manuum victum quęrunt, ſubveniendum putant perſonali cenſu. ibid. V. Cenſus.

Pauperum neceſſitas eſt vera neceſſitas. 1. tom. 244.

Pecunia præſens non eſt magis eſtimanda quam futura. 1. tom. 286. Poteſt cenſeri pretioſior, vel quia præſens numerari poteſt, non poteſt futura, vel quatenus tuta, illa autem in periculo. ibid. Hę rationes, quarum prima ad lucrum poſſibile, altera ad facti periculum ſpectat, juſti lucri titulum non dant in mutuo. ibid. Hæc propoſitio ab Innocentio XI. damnatur. ibid.

Pecunia poteſt dici fecunda, non quia ſit per ſe talis. ſed quia per ipſam pretioſa comparantur. ibid.

Pecunia præſens quo ſenſu præſtet futu-

Digitized by Google

futuræ. 1. tom. 187. Quo caſu id accidat, & quantum hic diſtet a mutuo. ibid. De periculi titulo. V. Titulus.
Pecunia qua de cauſſa inventa. 1. tom. 225.
Pecunia ſterilis, & infecunda, fructum parere nequit. 2. tom. 147.
Pecunia ſua natura nullum fructum, aut uſumfructum parit, unde, ſi nihil aliunde juſtum accedat, illum exigere ſit contra rationem naturalem. 1. tom. 202.
ex Pecunia in Montibus collocata ſolo lucri ceſſantis titulo moderatum lucrum exigi poteſt. 2. tom. 96. Ita Pontifices, & Tridentinum. 97.
Pecunię pupillares in Belgio apud Senatum depoſitę cum annuo moderato lucro. 2. tom. 106. Speciem Montis Pietatis pręſeferebant. ibid. Conſentit Broederſen. ibid. Literas apoſtolicas pro iiſdem datas Saſboldus autumat. ibid.
Pecuniæ ſterilitas. ibid.
Pecuniæ uſus, cum non ſit diuturnus, ut in domo, ſed momentaneus, locationem non ſuſcipit. 1. tom. 224.
Pecuniarum pupillarium in gratiam a Philippo II. Edicto Caroli V. derogatum eſt. 2. tom. 7. Hinc cum ex tutela Pupilli exceſſiſſent liberum illis cenſuum redemtionem a venditoribus exigere. ibid. Quo tempore conſuetudo inducta pupillares pecunias non amplius in emtionem cenſuum, ſed in ſubſidium indigentium conferre. V. Saſboldus. Hoc primum inductum pietatis intuitu, & ſolo titulo lucri ceſſantis. 8. Curſu temporis ad lucrum creditæ, pręſertim mercatoribus. ibid. Hinc illarum collocatio damnata a pluribus Synodis. ibid. Abuſus hic a pupillaribus ad ceteras tranſiit. ibid.
Perfectio quam Chriſtus in Evangelio addidit legi mutui, licet conſilii ut plurimum ſit, ad conſilium tamen legem ipſam non redegit. 1. tom. 46.
Periculum rei emtę per ſe ſpectat ad emtorem. 2. tom. 140. 147. Idem de uſusfructus periculo dicendum. ibid. Idem de cenſu, qui propria uſusfructi emti ſpecies eſt. 141. Si res eſt certis finibus deſignata, ſicut tota eſt ementis, ſic totum damnum ſpectat ad emtorem. Ibid. In re, cujus proportionalis pars pro indiviſo eſt emta, damnum, ſi quod contingat, pro rata eſt dividendum. ibid. Quid de cenſu ampliori fundo impoſito. ibid.
Perſona eſt incapax cenſus perpetui. 2. tom. 154. Perſona tantum evictionis cauſſa, & in cautionem penſionum adjicitur. ibid.
Philippus IV. Franc. Rex Uſuras a Deo prohibitas affirmat. 1. to. 333.
Pignoris captio, quæ uſitata apud Orientales, & Gręcos. 2. T. 30. Vetita jure Gręcorum, & Romanorum in rebus neceſſariis. ibid.
Pignus ante ſolis occaſum reſtituendum Exod. 22. & Deut. 24. 2. tom. 30. De quo pignore agatur in Exodo. ibid.
S. Pii V. Bulla de cenſibus pactum antea in emtorum gratiam appoſitum ſublatum eſt. 2. tom. 7. Conſtitutionum de Cenſibus, & de Cambiis ab ipſo emanatarum quę fuerit cauſſa. 18. V. S. Carolus. Depoſita, cambia ſicca, necnon realia cum mercatoribus, in quibus pro dilatione temporis majus lucrum quęritur, Uſurę damnavit. 54. Conſtitutio iſta, eique ſimiles, non ſunt referendę ad jus poſitivum, cum contractus ipſarum jure divino, & naturali ſint prohib. 55.
Pironanus, ideſt pecunię dominus. 2. tom. 205.
S. Pius V. in Cenſu plura requirit, quę non requirebantur a Martino V. & Callixto III. 2. T. 111. Idem in ſua Bulla de Cenſibus certam fundi deſignationem, ac certos fines requirit. 115. 141. Pactum in gratiam emtoris reprobat. 133. Subjectum perpetui cenſus vult eſſe immobile, & fructi-

ſtiferum. 153. Uſuraria declarat depoſita apud mercatores, negotiationis, & lucri cauſſa, quę mercatorum periculo ſtant. 174. In Bulla de Bononienſium Cambiis cautionem de nominibus debitorum, quę dicitur *ſtar dal credere* non improbat. 205.

S. Pius V. in Conſtitutione de Cenſibus pactum in gratiam emtoris reprobavit; aliique Pontifices jam reprobaverant. 2. tom. 133. Hoc pactum in Uſuram, vel ſaltem in Uſurę periculum vergens, non ex poſitivo, ſed ex naturali jure proveniens merito reprobandum. 135. S. Congregationis de Propaganda ſuper hoc reſponſum. ibid. Obligatio redimendi poteſt imponi ab alio tertio, in ejuſdem tamen venditoris gratiam. ibid. A venditore pariter alio tertio, depoſitario, vel procuratori ſuo. ibid. Sed hęc ſunt propria quorundam Montium. 137.

Pontificum teſtimonia pro jure divino vetante Uſuras. 1. tom. 75. Eorundem teſtimonia de injuſtitia Uſuræ. 119. & ſeq. Teſtimonia eorundem contra Uſuram a negotiatoribus exactam. 186. 187. Pontifices & Epiſcopi ab impacta ipſis calumnia ab adverſariis quod defecerint a traditione majorum vindicantur. 188.

Præcepta data ſunt omnibus; quæ autem omnibus non dantur ſunt conſilia perfectionis. 1. tom. 48.

Præcepta poſitiva in quo differant a negativis. 1. tom. 52.

Præſcriptio quid efficiat, quid non. 1. tom. 130. Ad ipſam quæ conditiones requirantur. 131.

Pretium juſtum augere non licet ex ſola neceſſitate petentium. 1. tom. 245.

Pretium preſens non eſt pluris quam futurum. 2. tom. 16.

R

RApinę, & Latrocinii nomina proprie a Patribus accepta, nimis late a Broederſen. 2. tom. 26. Hęc nomina a Patribus non tribuuntur Uſuris tantum, quatenus a pauperibus contra charitatem exiguntur. ibid.

Ratio famulatur dogmati, non autem dogma detrimentum capere debet ex ratione. 1. tom. 191.

Rationi naturali præferenda eſt divinæ revelationis, & auctoritatis inquiſitio in decidendis morum controverſiis. 1. tom. 192. ad 194.

Rem recipere functionem quid ſit. 1. tom. 3.

Rerum conſumtio duplex, naturalis ſc., & civilis. 1. tom. 2.

Res fungibiles, ſeu quę recipiunt functionem, ſunt idem ac conſumtibiles. 1. tom. 2.

Reſtitutio divino jure impoſita pro omni Uſura, ejus injuſtitiæ manifeſtum argumentum. 1. tom. 106. Ad reſtitutionem coacti uſurarii manifeſti in Lateranenſi III. privatione communionis, & ſepulturæ. 117.

Reſtitutio hæc non pœnæ ſtrictè dictæ, ſed juſtitiæ eſt. ibid. Onus reſtitutionis uſurariis mortuis tranſit ad heredes. 1. tom. 119. Eſt facienda mutuatariis ipſis; pauperes ſufficiendi incertis. 127.

Reſtitutio facienda de iis rebus ſolis, quę juſtitiam commutativam lędunt. 2. tom. 31.

Reſtitutionem Uſurarum perceptarum quavis difficultate ſublata faciendam eſſe, Concilia, & Patres ſanxerunt. 2. tom. 50. Ex ſingularibus circumſtantiis, & ſanioribus reſtitutionis regulis aliqui tantum caſus jure excipiendi. ibid. De mala fide perceptis non dubitandum quod ſint reſtituendę. ibid. De perceptis autem bona fide quid ſentiant nonnulli. 59. V. Saint Beuve. Æquior, & certa re-

regula eſt, quę fructus bona fide perceptos, atque conſumtos reſtituendos non eſſe docet. ibid. Quando dicendum quod qui bona fide Uſuram percepit, & conſumſit, exinde non ſit factus locupletior. 60. Citantur auctores idem ſentientes in hac regula. ibid. Non de facili hoc ratione definiri poteſt. Juris regula requirit non ſolum quod ex alieno quis non factus ſit ditior, ſed quod bona fide percepit, bona pariter fide conſumſerit. 61. Alia probabilior ratio ſpeciem lucri ceſſantis referens. ibid. Ad judicium in hac re ſuſpendendum movet Eccleſię auctoritas, Alexandri III. ſcil. canon aliquorum interpretationes excludens, & Gregorii XIII. reſcriptum. 62.

Reſtitutionis inſignis Uſurarum exemplum. 1. tom. 122.

Retrovenditionis pactum primo a fęneratoribus ad tegendas Uſuras invectum, magnam Uſurę ſuſpicionem attulit. 2 tom. 51.

Richinius P. Auguſtinus Thomas, laudatus. In præf. xvi.

Romanę Leges contractum trium contractuum iniquum cenſent. 2. tom. 185.

Romanę leges lucri ceſſantis, & damni emergentis ęſtimationem Uſuram appellantes, quo ſenſu loquantur. 1. tom. 264.

Romanæ leges Uſuras permittebant. In præf. iii.

Romani mutuum non repetebant ante decimum diem. 1. tom. 3. Mutuum appellabant non tam gratuitum, quam fœnebre. 8.

Romani nullum pecuniæ uſumfructum admittebant. 1. tom. 219.

Romanis legibus interdicta erat Senatoribus omnis Uſura. 1. tom. 69. 204.

S

SAcræ Congregationis de Propaganda Fide Decretum pro regno Sinarum. 1. tom. 280. Ex tribus periculis eo Decreto expreſſis duo non ſpectant ad capitale, de tertio eſt dubium. 281. Non favet adverſariis pro titulo periculi. Ibid. ejuſdem S. Congregationis de Propaganda Fide aliud Decretum pro regno Japonenſi. 1. tom. 284. Quatuor tituli in ipſo allegati, duo tantum juſti in mutuo. 285. Regula datur de juſtis titulis. 286.

Saint-Beuve quid ſentiat de reſtitutione Uſurarum bona fide perceptarum, qui Uſucapionem putat locum habere poſſe in Uſuris. 2. tom. 59. V. Uſucapio.

Salmaſius inter adverſarios princeps. In præf. iv. Qua occaſione de Uſuris ſcripſerit. xxii. Trapeziticas Uſuras defendit. ibid. Contra ipſum commoti reformati Theologi miniſtri, & Cloppenburgius. ibid. Juriſconſultis viſus eſt paradoxa in jure aſſeruiſſe. ibid. Negat in mutuo alienationem. ibid. Alia ejus opera circa Uſuras. xxiii. Aſſeruit licere Uſuras, quæ a pauperibus exiguntur. xxiv.

Salmaſius ipſe Salmaſio opponitur. xxv. Uſuram inter Hebręos etiam divites vetitam agnoſcit, illam tamen inter politicas præceptiones recenſet, quas dicit ſublatas a Chriſto. xl. 1. tom. 44. Citatur contra adverſarios. 8. Translationem dominii in mutuo admittit. 13. Negat in mutuo alienationem. 14. Diſtinguit corpus rei mutuo traditæ a quantitate; hanc negat, corpus autem rei alienari concedit. ibid. et 221. Ejus definitio mutui. ibid. Alienationem negando confirmat dominii translationem. ibid. Ex ipſius confeſſione confirmatur interpretatio textus Evangelici *Mutuum date* &c. 47. Antiqua præcepta omnes obligare contendit, nova autem ſolum vocatos ad perfectionem. 48. Ne ipſius ſyſtema evertatur, ob oculos ponens v. 35. citati textus Lucæ,

v. 34. reticet. 49. Ratio ob quam præceptum contra Uſuras non recognoſcit eſt, quia id obtineri ab hominibus per ſummam corruptionem non poteſt. 50. 244. Confutatur. ibid. & 51. Alia præcepta quæ ad conſilium reducit. ibid. Uſuras a pauperibus exigere licitum dicit ex hoc, quod ſi non liceret, pauperes neceſſario ſubſidio privarentur. 51. 244. Prohibitionem Uſuræ perperam confundit cum præcepto mutui, 52. Paritatem a duobus aliis legis antiquæ præceptis de anno remiſſionis, & Jubilei deſumit; hæc reſolvitur 53. Probatam dicit Uſuram in Evangelio in parabola ſervi pigri a Domino reprehenſi Lucæ XIX. & Matthęi XXV. 54. Diſſolvitur 55. 56. Lucæ alium locum cap. 12. objicit, cui ſatisfit 57. Quæ perperam reponit ex Concilio Jeroſolymitano Apoſtolorum diluuntur. 58. Dicit illicitum petere ſub Uſuris, ſi illicitum eſt dare 102. Rejicit Uſuras a mercatoribus exactas. 151. Ineptiſſima ejuſdem diſtinctio inter fraternitatem chriſtianam, & judæorum. 155. Divinum Jus in veteri Teſtamento omnem Uſuram æque a pauperibus, & divitibus exactam interdicere propugnat. 180. Naturali jure licitam dicit Uſuram, ut inductam jure gentium. 199. Refellitur ibid. Ut ſuadeat Uſuræ honeſtatem, titulum affert, quod ſemper mutuantis aliquid interſit. 213. Putat alias Uſuras non licere, niſi compenſativas. ibid. Uſuram ut honeſtam defendat, mercedem, aut pretium vocat uſus pecunię, quod idem eſt ac locationem. 217. In omni mutuo aliquid intereſſe affirmat, ex quo lucrum poſſit reportari. 261. ad 268. Titulum periculi ſubjicit, imo ad id quod intereſt tanquam damnum refert. a 269. confutatur ad 274. et confirmatur ex ipſo. Titulo gratitudinis ex beneficio mutui Uſuras deberi contendit. 291. Ex conſenſu mutuatariorum, qui ſcientes, & conſentientes Uſuras ſolvunt, eadem licitas dicit. 293. Alibi paſſim citatur & refellitur, pręſertim 1. tom.

Sasboldus Epiſcopus apud Belgas literas apoſtolicas allegat datas de pecuniis pupillaribus apud Senatum depoſitis. 2. tom. 106. Si eſtant, certe ſub cautione merę compenſationis lucri ceſſantis. 107.

Sasboldus Epiſcopus præcipuam quãdam Belgii conſuetudinem allegat, qua pecuniæ pupillares non in emtionem cenſuum, ſed in indigentium ſubſidium conferebantur. 2. tom. 7.

Savary Jacobus in Gallia mercatorię artis periti ſſimus depoſita apud Mercatores ad annuum lucrum a ſocietate aliena ſtatuit. 2. tom. 133. De contractu trium contractuum ejus judicium. 177. 187. Conſulendum negotiatorum neceſſitatibus legitimo ſocietatis contractu autumat. 203 215. Ejuſdem practica conſideratio augmenti cambii a diſtantia loci. 217. Ejuſdem conſilium pro mercatoribus. 222.

Schiſmatico Janſeniſtę. V. in Belgio. Qui ſcripſerint in defenſionem Uſuræ. V. ibid. Damnant Uſuram, quæ pauperes gravat; a divitibus autem juxta legum, & conſuetudinum modum perceptam defendunt. In pręf. xli. Qui contra hunc errorem pro catholico dogmate ſcripſerint. ibid. Fere omnes ſunt Schiſmatico-Janſeniſtæ. xlii.

Scholaſtici in doctrina de Uſuris nihil innovarunt, ſed antiquorum traditionem ſuſceperunt. 1. tom. 183. Una, & concors ipſorum doctrina de Uſuris; rationes tantum in ſubſidium adſcitę ſunt varię. 184.

Scholaſtici Uſuram definiunt lucrum ex

ex mutuo, aut vi mutui perceptum. 2. tom. 16. Cum de Uſurarum reſtitutione agunt, hoc non de immodica tantum, ſed de omni Uſura dicunt. 29. Quatenus ſint traditionis teſtes. 43. In doctrina de Uſuris conſentiunt, licet in aliis quęſtionibus diſſentiant. ibid.
Scholaſticis impacta calumnia ab adverſariis, in ipſorum caput recidit. 1. tom. 188.
Scholaſticorum conſenſus in damnanda quavis Uſura etiam cum divitibus. Ejus auctoritas. 1. tom. 183. Iſtorum conſenſus vis in dogmaticis. ibid. Sunt PP. ſucceſſores, in ſuſcipienda, & ad poſteros tranſmittenda Traditione. ibid.
Scholaſticorum diverſę licet ſint rationes non omnino efficaces, cum pertineant ad jus naturale, non divinum, omnes tamen in idem dogma de Uſuris convenerunt. 1. tom. 78. Omnes certiſſimum fatentur Eccleſiæ dogma de Uſuris. 79. Injuſtitiam Uſuræ agnoſcunt. 123.
Servi quinam vocabantur nexi, aut addicti. 2. tom. 162.
S. Simeonis Stylitę locus, qui in favorem modicę Uſurę opponi poſſet. 1. tom. 90. Duplici reſponſione ſatisfit. Prima. 91. Altera. 92.
Sixti V. Conſtitutione Uſuræ damnantur ſocietates, quibus cautio capitalis, & lucri additur. 2. tom. 55.
Sixtus V. contractum trium contractuum in ſua Bulla *Deteſtabilis* damnat. 2. tom. 195. Quę contra hanc Bullam pro eorundem defenſione ſunt allata refelluntur. ibid.
Syſtema negantium Uſuram a divitibus, & negotiatoribus exactam eſſe jure divino vetitam. 1. tom. 141. Hujus Syſtematis auctores. 142.
Syſtemata duo toto Opere confutanda. In præf. xliv.
Societas animalium alia a ſocietate pecunię. Prima fructus naturales, altera induſtriales parit. 2. T. 187. In animalium ſocietate potius poſſet addi duplex cautio; res tamen eſt in praxi rariſſima, et periculi plena. 188.
Societas realis nulla eſt, niſi ſocii aliquid in commune lucrum conferant. Hoc non fit ſine induſtria, & periculis. ibid.
Societatem perperam aliqui collocant in capitali neceſſario negotiationi, cum tamen huic pariter perſonarum induſtria ſit neceſſaria. 2. tom. 183. Induſtria pariter, & capitale debent eſſe periculo expoſita. ibid. Alterius tantum periculi cautio aliquam ſocietatem relinquit. ibid.
Societates negotiatorum. V. Negotiatorum.
Sui vox in quo a voce alieni diſcrepet; quomodo acceptæ a Patribus, & quomodo a Broederſen. 2. tom. 25.
Suſſenbart Conradus primus in cenſu pactum in favorem emtoris vindicare ſtudet, pro praxi tamen non permittendum affirmat. 2. tom. 133. Ejuſdem accuratior regula cum pauperibus tenenda. 224.

T.

TEſtamenti veteris teſtimonia de prohibitione Uſuræ. Exodi 22. Levitici 25. Deuteronomii 23. 1. tom. 29. Loci ex quibus adverſarii contendunt prohiberi tantum Uſuram a pauperibus exactam. Exodi 22. Lev. 25. Deut. 23. 1. T. 143. Eadem Exodi, & Levitici teſtimonia, licet pauperes memorent, non excludunt divites. 144. Davidis, & Ezechielis teſtimonia pauperes, & divites comprehendentia adducuntur. Deuteronomii teſtimonium cap. 23. divites, & negotiatores complectitur. 147. Ex hoc argumentum contra adverſarios intorquetur. 1. tom. 147-148.

Digitized by Google

Teſtimonia P. P. contra Uſuram jure divino vetitam. V. Patrum.
Theologi reformati contra Salmaſium. In præf. xxii.
Titulus conſenſus mutuatariorum, qui ſcientes, & conſentientes Uſuras ſolvunt. 1. tom. 193. Univerſim non valet principium: ſcienti, & conſentienti non fit injuria. 194. Exceptiones hujus principii error, & metus. ibid. Quod datur ex pacto, non eſt vera donatio. 195.
Titulus gratitudinis ex beneficio mutui. 1. tom. 291. Gratias pro mutuo referre, gratitudinis, non juſtitię debitum eſt. ibid. Hoc ex juſtitia exigere injuſtum eſt. ibid. Ex juſtitia reſtituendum mutuum. ibid. Quidquid ſupra hoc exigatur, inique exigitur. ibid. Non refert ſi exigatur ex gratitudine; quod enim exigitur ex obligatione, & contractu, eſt debitum juſtitię, non gratitudinis. ibid. Hinc ab Innocentio XI. damnata 42. Propoſitio. 292.
Titulus juſtus in mutuo eſt id quod intereſt, ideſt lucrum ceſſans, & damnum emergens. 1. T. 263. V. Intereſſe. An titulus juſtus ſit periculum. 269. In hoc titulo reperiri aliquid veri falſo immixtum oſtenditur. ibid. Periculum juris eſt ęſtimabile. 270. Non autem periculum facti. 271. Hoc facti periculum reprobandum, ut PP. & Scriptura fecerunt. 1. to. 277. Ad titulos juſtos diſcernendos ab injuſtis datur generalis regula. 1. tom. 262. Explicatur. ibid.
Titulus locationis pecuniæ injuſtus. 1. tom. 217. V. Locatio.
Titulus moræ debitoris. 1. T. 200. Hoc titulo cum quid exigitur, ſi debitorem reſpicit, eſt pœna; ſi creditorem, cum pertineat ad reparandum ejus damnum, magis eſt quod intereſt, quam Uſura. ibid. Si mora conſideratur ut pœna, tres conditiones ſervandæ. ibid. Cum mora refertur ad id quod intereſt, ejus regulę tenendæ. Hic titulus in Uſurarum fraudem ſæpe vergit. 201.
Titulus obligationis non repetendi certo tempore capitale in mutuo, & ceſſio juris, non eſt pretio ęſtimabilis, ut pretium juſtum poſſit exigi pro eo tempore, quo mutuum ex pacto conceditur. 1. tom. 288. Propoſitio 42. ab Alexandro VII. damnata in hac materie. ibid. Ad mutuum obligatio non repetendi, & juris ceſſio per aliquod tempus, eſt neceſſaria. ibid. & 3.
Traditio non viguit ſola ætate Patrum, nec cum iiſdem finivit, ſed ſemper in Eccleſia, cui credita fuit, integre ſervata, & propagata. 2. tom. 36.
Traditiones ſunt verbum Dei, non minus quam Evangelium, & Scripturæ Canonicæ. 1. tom. 61. 80.
Translatio Dominii. V. Dominii.
Trapezitæ apud Belgas fœderatos, ac reformatos, fœnus ex profeſſione exercentes, maxima infamia laborabant, & a Paſtoribus a ſacræ ſynaxis communione arcebantur. In præf. xxii.
Tridentinæ Synodi ſilentium Uſuræ non favet. 2. tom. 99. Damnat temeritatem illorum, qui in rebus fidei & morum, Scripturas ex proprio ſenſu, non ex Patrum, & Traditionis doctrina interpretantur. 199.

V

Vadium mortuum idem eſt ac fundi pignus. 2. tom. 114.
Valerius Epiſcopus, & Cardinalis, maximis Montis Pietatis anguſtiis quomodo conſuluerit. 2. tom. 108. Ejus monitum pro emtionis contractu. 114.
Veritas non relinquenda, etſi ſcandalum oriatur. 2. tom. 56.
Vitalitii cenſus quomodo taxandi. 2. tom. 160.
Ultrajectina Eccleſia Schiſmatica. 2. tom. 10.

Vo-

Voluntas conditionata, quæ actu non eſt, nihil confert ad contractum, qui actualiter fit. 2. tom. 114.
Voluntas implicita ad contractum ineundum ſufficiens non debet eſſe mere interna, ſed aliquo ſigno externo indicata, & ab alio contrahente acceptata. 2. tom. 122. 227. Non ſufficit habitualis, nec mere conditionalis. 228.
Uratislavienſes, aliique Germani ſub initium ſeculi XIV. inventores Contractuum cenſualium fuere. 132
Uſucapio quid. 2. tom. 59.
Uſura Charitati adverſatur. 1. T. 213. V. Charitatis.
Uſura compenſatoria, qua damnum emergens, aut lucrum ceſſans compenſatur, improprie, & late Uſura dicitur. 2. tom. 11.
Uſura damnata a Summis Pontificibus. V. Conſtitutiones. A Conciliis. V. Concilia. V. Canones.
ex Uſura damnum Reipublicæ oſtenditur ex malo in pauperes, in honeſtiores familias, ac tandem in negotiationem, & commercium. ibid. & 140. 141.
Uſura eſt ſi non ſolum poſt datam gratuito pecuniam lucrum exigatur, ſed etiam ſi lucrum initio contractus intendatur. ibid. Hoc lucri titulo Uſuram cum mercatoribus purgare intendunt adverſarii, quia mercatores ex mutuo accepta pecunia lucrantur. Juſtius eſſet de ſegetibus ad ſationem creditis; ſed perperam utrumque. 1. tom. 176. 177.
Uſura ex ea parte qua excludit officium mutui gratuitum, charitati opponitur; ex ea autem qua aliquid ſupra id quod mutuantis intereſt exigit, non tam charitati, quam juſtitiæ adverſatur. 1. tom. 216.
Uſura in contractibus. V. Contractus.
Uſura in hebræo non Tharbith ſolum, ſed etiam Neſchech vocatur. 1. tom. 24. Harum vocum explicatio. ibid. & 2. tom. 230. Dicitur etiam Toch, & Marbith. 1. tom. 34. & 35.
Uſura jure naturali vetita. 1. tom. 17. Jure divino in Teſtamento veteri. 31. Et in novo. 35. Vetita etiam dignoſcitur ex jure eccleſiaſtico veteri. 46. Et novo. 49. Etiam ex legibus civilibus. 58. Ex Traditione. 56. A Scholaſticis. 42.
Uſura non conſiſtit in uno lucri exceſſu. V. Error.
Uſura non eſt fructus naturalis pecuniæ. 1. tom. 202. 204.
Uſura non ex nomine mutui, ſed ex reali mutuo originem ducit. 1. tom. 6. 23.
Uſura non ideo mala & injuſta quia per legem Moyſis ſit vetita, ſed ideo potius vetita quia per ſe mala, & injuſta eſt. 1. tom. 197.
ab Uſura non excuſat intentio non mutuandi, ſed lucrandi. 1. tom. 6.
Uſura omnis, etiam moderata & minima, a pauperibus exacta, jure naturali eſt illicita, ut Broederſen cum ſuis aſſeclis conſentit. 23. Si illicita, pariter dicenda injuſta. ibid.
Uſura oritur ex mutuo earum rerum, quarum uſus eſt ipſa conſumtio, & in conſumtionis uſum traduntur. 1. tom. 1. 218. 219.
Uſura prohibita in veteri Teſtamento. 1. tom. 29. Teſtimonia ex Exodo, Levitico, Deuteronomio. ibid.
Uſura prohibita, non tam ut oppoſita eſt charitati, quam juſtitiæ. 1. tom. 155.
Uſura quæ ſita eſt in lucro, quod æſtimationum ſortis, & mutuantis intereſſe excedit, injuſta eſt. 1. tom. 217.
Uſura quo unico loco novi Teſtamenti expreſſe ſit vetita. 1. T. 179.
Uſura ſi non eſſet univerſim prohibita plura mala ſequerentur. 1. tom. 234. Scandalum ſcilicet in Religionem Chriſtianam. 235. Oppreſſio pauperum. ibid. Et malum Reipublicæ. 239.
Uſura vetita etiam quoad alienigenas. V. Alieni.
Uſuræ aliqua non eſt neceſſitas. V. Neceſſitas.

Uſu-

Uſurę definitio ex Arabis. 1. tom. 9. Ex Scholaſticis eſt lucrum ex mutuo, aut perceptum vi mutui. 23. Sive a divite, ſive a paupere proveniat. 186. Licet hęc definitio non inveniatur in Scriptura, & PP., non eſt tamen ab illorum mente aliena. ibid.

Uſurę definitiones, ſeu deſcriptiones PP. &c. omnes vel minimum in mutuo augmentum reprobant. 1. tom. 25. Has definitiones dant his locis ubi Uſuram damnant; ideo per ipſos idem eſt Uſuram, ac omne ejuſdem augmentum damnare. 165.

Uſuræ dogma Eccleſiæ. V. Dogma.

Uſurę hęreticorum diſtinctio ſubſidiarię a lucrativa. 1. tom. 168. Quid Catholici. V. Catholici. Uſura non eſt vitium nominis. 174.

Uſurę inhoneſtas in hoc non conſiſtit quod beneficii rationem tollit, ſed quod exigit mercedem ejus, quod ex ſua natura beneficium eſt, & ex quo mercedem exigere eſt contra rationem. 1. tom. 214.

Uſurę inhoneſtas quod a Gentibus ſit agnita, primum naturalis ejus malitię indicium. 1. tom. 200.

Uſuræ injuſtitia naturalis. V. In mutuo.

Uſurę leviores alię vocabantur beſſes, alię ſemiſſes, & quincunces, & trientales. 1. tom. 135.

Uſuræ malitia in hoc conſiſtit, quod quis lucretur ex pecunia ad conſumtionis uſum tradita, quę ſterilis eſt. 1. tom. 147.

Uſuræ moderatæ & excedentis diſtinctio eſt novum inventum. 1. tom. 89.

Uſurę nomine non ſolum exceſſus, ſed omne vel minimum augmentum ſupra ſortem venit. 1. tom. 23. 24. 25. 87. 90. 180.

Uſuræ notio eadem ex Theologis, & Canoniſtis. 1. tom. 27.

Uſurę notio eſt quod res conſumtibilis ad conſumtionis uſum ita tradatur, ut poſt aliquod tempus tantundem reddatur. 1. tom. 22. Si quid ſupra rei traditę ęſtimationem, vel quantitatem percipiatur, Uſura eſt. ibid.

Uſurę notio ex veteri Teſtamento. 1. tom. 23. Ex novo. 25. Ex Traditione. ibid.

Uſurę notio in Patribus non eſt diverſa a Scholaſticorum notione. 1. tom. 43.

Uſuræ perceptæ ſunt reſtituendæ. V. Reſtitutio.

Uſurę prohibitę, vel permiſſę a legibus humanis. V. Leges.

Uſurę prohibitio in quo differat a pręcepto mutui. 1. tom. 52.

Uſurę prohibitio vergit in maximum pauperum ſubſidium, non tamen paupertatem, ſed fraternitatem reſpicit. 1. tom. 154.

Uſurę quęſtus inhoneſtus eſt, quia honeſtati, ac juſtitię aliqua ex parte adverſatur. 1. tom. 200. Philoſophi, & Juriſconſulti gentium uſurarium quęſtum a natura abhorrere dixerunt. 201.

Uſurę tres celebriores apud Gręcos. 1. tom. 134. in Notis.

Uſuræ vera definitio. 1. tom. 111.

ad Uſuræ vitium vitandum vel aliquis juſtus titulus requiritur, vel eo deficiente alii juſti contractus ſufficiendi. 1. tom. 248.

ad Uſuram declinandam in mutuo cum mercatoribus inito ad ſimulatam ſocietatem adverſarii confugiunt. 1. tom. 178. In hac quęſtione pręferenda eſt Scripturarum, ac Traditionis auctoritas rationi. 1. tom. 194. V. Auctor Tract.

ad Uſuram evitandam in mutuo tituli juſti ſunt damnum emergens, & lucrum ceſſans. ibid. Qui, & quales contractus poſſint iniri loco mutui. 248. 249.

Uſuram in pupillaribus pecuniis quæſitam non licere definitum eſt. 1. tom. 260.

Uſuram licere cum mercatoribus qui docuerit. V. de Colonia. V. Maignanus.

Uſuram malam adv. dicunt non per ſe, ſed ex conditione pauperum. 1. tom. 224.

ad Uſu-

ad Uſuram vitandam non ſufficit ſi pecunia ita detur, ut non poſſit an plius repeti. 2. tom. 147.
Uſuram ut ab injuſtitia defendant Adverſarii hanc vocant mercedem, aut pretium uſus pecuniæ, quæ eſſet ſpecies locationis. 1. T. 217. Sed perperam, cum deficiant locationis conditiones. 218. 219. V. Locatio.
Uſurarii latronibus a Chriſto comparati ex D. Hieronymo. 1. tom. 108.
Uſurarii veteres exercebant Uſuras, Uſurarum nomen refugiebant. 1. tom. 169.
ex Uſurario contractu nullum beneficium. 1. tom. 140.
Uſurarum hæreſis qui fuerint primi auctores. V. Cathari.
Uſurarum injuſtitia. V. Reſtitutio.
Uſurarum patroni. V. Broederſen. V. Calvinus. V. Molineus. V. Margunius. V. Salmaſius.
Uſurarum patroni chriſtianis vitio vertunt quod minus ęque ſentiant de pauperibus. 2. tom. 223. Se ipſos in hac parte illis longe pręſtare inaniter jactitant. ibid. Eorundem contra chriſtianos criminatio diluitur. ibid.
Uſurarum patroni diſtinguunt Uſurę naturam ab Uſurę vitio, ſolam pauperum oppreſſionem vitium fatentur, Uſuramque in omni acceſſione ſitam dicunt. 1. tom. 165.
Uſurarum patroni quomodo intelligāt textum Lucę 6. *Mutuum date &c.* 1. tom. 39. Ipſorum criminatio in Scholaſticos. 77.
Uſurarum patroni ſolam immodicam Uſuram divino, & naturali jure reprobatam contendunt. 1. T. 23. Quę nempe intra limites a legibus, & locorum conſuetudinibus præfixos non continetur. 1. tom. 106.
Uſurarum reſtitutio. V. Reſtitutio.
Uſurarum veteris Teſtamenti prohibitioni, lege intacta relicta, Chriſtus in Evangelio perfectionem adjecit. 1. T. 44. V. Perfectio. Cur expreſſius Uſuras non prohibuerit. 45.
Uſuras exigere a divitibus, & mercatoribus qui admittant. V. Auctor. Iſti Uſuram definiunt pretium uſus pecunię. 1. tom. 146. Vel locationem, quod idem importat. 217. Aliqui non locari pecuniam poſſe concedunt ſi ad conſumtionis uſum tradatur; ſi autem ad lucrum, ex. gr. ad emtionem prędii, vel ad negotiationem, quorum uſus eſt diuturnus, locum habere locationis contractum dicunt. 224. V. Divites. V. Neceſſitates.
Uſuras immoderatas prohibere, & mulctare, non eſt probare moderatas. 1. tom. 93.
Uſuras licere per tredecim ſecula nulli inventi ſunt qui docuerint. In pręf. iii. Non primo, & ſecundo. iv. Non tertio. v. Neque aliis per totum ſeculum XII. vi.
Uſuras petere a pauperibus naturali jure omnibus vetitum eſt. In præf. xix. 1. tom. 30.
Uſuras quæ a pauperibus exiguntur nullus heterodoxus pręter Salmaſium admiſit. In pręf. xxiv.
Uſuras tollere non eſt tollere commercium. 1. tom. 249.
Uſusfructus eſt jus in corpore, quo ſublato & ipſum tolli neceſſe eſt. 2. tom. 140. Pereunte fundo, cui uſusfructus adhereſcit, uſusfructus perit ementi. ibid.
Uſus juris, & facti. 1. tom. 13.
Uſus pecunię, ejus pretium injuſtum. 1. tom. 217.
Uſus rei ſterilis quod poſſit vendi, & fructum parere, verum eſt de re, quæ locatur, & locationis uſum veluti naturalem quendam uſum parit. 2. tom. 22.

Z

Zonaras Græcus Schiſmaticus Uſuram jure divino vetitam agnoſcit. 1. tom. 74.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google